OPERA
VARIA

A B

EMINENTISSIMO D.

F. HENRICO DE NORIS

AUGUSTINIANO VERONENSI

Tit. S. Auguſtini S.R.E. Presbytero Cardinali,
& Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario,
vel proprio, vel alieno nomine edita.

QUIBUS DOCTRINA

IN HISTORIA PELAGIANA, DISSERTATIONE DE SYNODO V.
& VINDICIIS AUGUSTINIANIS CONTENTA
illuſtratur, roboratur, defenditur.

Quorum ſeriem ſequens pagina exhibebit.



LUGDUNI,
Apud ANISSONIOS, & JOANN. POSUEL.

M. DCCVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Cenſura in notas P. Joannis Garnerii.

Adventoria Amiciſſimo ac doctiſſimo Patri Franciſco Macedo.

Reſponſiones P. Franciſci Macedi &c. adversùs propoſitiones parallelas Fr. Joannis à Guidicciolo.

Confutatio Palinodiæ ſub nomine P. Henrici Noris publicatæ.

Reſponſa P. Franciſci Macedi &c. adversùs gerras germanas germanitatum Cornelii Janſenii, & Henrici Noris.

Hiſtorica Diſſertatio de uno ex Trinitate carne paſſo.

Apologia Monachorum Scythiæ ab Anonymi ſcrupulis vindicata.

Anonymi ſcrupuli circa veteres Semipelagianorum ſectatores evulſi, & eradicati.

Reſponſio ad appendicem Auctoris ſcrupulorum.

Janſeniani erroris calumnia ſublata.

Acceſſere Somnia Quinquaginta Fr. Macedo in itinerario S. Auguſtini poſt Baptiſmum Mediolano Romam.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

EMinentiſſimus, & Reverendiſſimus Fr. Henricus de Noris, antequam ex Auguſtiniano inſtituto ad Cardinalitiam Purpuram ab Innocentio XII. Pont. Max. aſſumeretur, ob Hiſtoriam Pelagianam, Diſſertationem de Synodo V. & Vindicias Auguſtinianas anno 1673. ab ſe in lucem emiſſas, quantis impoſturis fuerit impetitus, jamdiû, Lector optime, novit Literaria Reſpublica. Ut opus præclarum homines garruli & contentioſi elevarent, ejuſque auctorem in invidiam traherent, ab hæreſi & errore ſuppetias petierunt: contendentes variis ſcriptiunculis, & libellis Orthodoxum Scriptorem Romani Pontificis in rebus Fidei definiendis infallibilitati obnoxium deferre; Plurimorum in Gallia Præſulum ac Patrum, ob Semipelagianiſmi nævos in illorum ſcriptis ab ipſo notatos, doctrinæ, & ſanctitati injurium peragere; Baianiſmi ac Janſeniſmi, aliiſque invidioſis nominibus eundem traducere. Tam grandis, ac tam multiplicis calumniæ notam ſuo nomini, jam Eruditorum aures, & ora ſumma cum laude occupanti, doloſè incruſtatam doctiſſimis elucubrationibus Auctor expunxit; quibus optimè ſuæ famæ conſuluit, & obtrectantium invidos conatus penitùs disjecit. Porrò has Noriſiani ingenii pro ſua cauſa defenſiones ab invicem ſejunctas, utpotè interjecta temporis intercapedine typis excuſas, in unum colligere, Hiſtoriæque Pelagianæ, cujus nova editio procurabatur, aſſuere, mihi decretum fuit; quippè quas à Viris Eruditis deſiderari ſciebam, nec earum ullæ apud Bibliopolas proſtabant. Adornatis defenſionibus aliæ elucubrationes accedunt, quæ vel Pelagianæ Hiſtoriæ illuſtrandæ conducunt, quod præſtat Cenſura in notas P. Joannis Garnerii; vel peregrinas controverſias ejuſdem Hiſtoriæ occaſione excitatas diſſolvunt, cujuſmodi eſt Adventoria P. Franciſco Macedo; vel Lectoris animum ſeriis occupationibus feſſum lepida eruditione demulcent, Quinquaginta videlicet Somnia Fratris Macedo. Illud tandem te præmonitum velim, horum operum ordinem, qui in eiſdem recudendis ſervatur, non illorum dignitatem, ſed tempus, quo ab Auctore edita ſunt, præſeferre; ſi Somnia quinquaginta excipias, quæ veluti erudita mantiſsa ad calcem ſunt poſita. His fruere, & vale.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD
ANTONIUM MAGLIABECUM
FLORENTINUM V. C.

In Notas Joannis Garnerii ad Inſcriptiones Epiſtolarum Synodalium XC. & XCII. inter Auguſtinianas.

CENSURA

F. HENRICI DE NORIS
VERONENSIS AUGUSTINIANI

Sereniſſimi Magni Etruriæ DUCIS Theologi, & in Piſana Academia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſoris.

Poſteà S.R.E. Cardinalis.



Digitized by Google

Digitized by Google

CL. AC DOCTISSIMO VIRO

ANTONIO MAGLIABECO
FLORENTINO

F. HENRICUS DE NORIS VERONENSIS AUGUSTINIANUS S.P.D.

CUm Piſas pergere deſtinaſſem, & jam ſchedas ac literarium inſtrumentum collegiſſem; inſtitutum repentè iter, Vir Clariſſime, remoraris, ſimulquè longiſſimam peregrinationem injungis, jubens ut in Aſsicam ocyſſimè tranſmittam, ibiquè plurimarum urbium, quas tempus edax, ac barbarorum olim furor evertit, ruderibus eruendis inſudem. Scribis enim te nuper Lugduno Marii Mercatoris libellos ampliſſimis notis à Joanne Garnerio illuſtratos accepiſſe, ac gratulari te felici Mercatoris ſorti, qui cum per duodecim ſæcula latuiſſet, hoc anno orbi literario primùm innotuit, ejuſdem libellis Pariſiis, Bruxellis, & partim etiam Patavii unà ſimul in lucem emiſſis. Vides-ne feram poſteritatem doctiſſimorum virorum curam gerere, quos nec longa ætas unquam obruit, ſed è bibliothecarum angulis in manus atque ora hominum poſtliminio licèt erumpunt? Addis legiſſe te in ejuſdem Garnerii opere notas, quas *diſſertatione II. de Synodis in causâ Pelagianorum habitis vivente Sancto Auguſtino* à pag. 176. in utramquè epigraphen literarum Synodi Carthaginenſis, & Milevitanæ anno 416. contrà Pelagianos celebratarum, exaravit. Ubi quæ me aſſequi nullatenùs poſſe dudum tibi per literas ſignificaveram, non modò idem ſcriptor tentavit, ſed etiam, ut ſibi perſuaſit, planè confecit. Etenim cùm Synodicæ literæ ad Sanctum Innocentium Pontificem in epigraphe nomina tantùm Epiſcoporum, non verò etiam eorundem ſedes præferant, ut ex Epiſtolis 90. & 92. inter Auguſtinianas patet, Garnerium, inquis, animum non deſpondiſſe, ſed ex Collatione Carthaginenſi antè quinquennium, nempè anno 411. coactâ, omnium ferè illorum Præſulum urbes, quarum ſacris id temporis præerant, deſignaſse. Fateor, vir Doctiſſime, in eam me pariter cogitationem, ut probè noris, olim abiiſſe, atque eidem operi acriter ſtudium intendiſse, cùm Pelagianam Hiſtoriam concinnarem. Verùm licèt plurimorum Epiſcoporum ſedes ex laudatâ Collatione deducerem, cùm longè plurium urbes ignotæ mihi prorsùs evaderent, manum è tabulâ amovi, dum divinare potiùs, quàm quidpiam me veri ſcribere intelligerem. Quòd verò meum quoque eâ de re judicium poſtulas, quamvis gravioribus curis diſtentus ſim, ut nec indè machinis à quoquam evelli poſſim, animadverſiones in Garnerii notas calamo ad alia properante ſcriptitavi; neque enim jubenti tibi, cui plurimum debeo, refragari poſſum. Erit id novum meæ ergà te obſervantiæ argumentum, quippe qui volens ea exequor, quæ alio imperante, non dicam invitus, ſed nullâ planè ratione præſtarem. Erat magni voluminis in manus ſubinde recipiendi moleſtiæ eximaris, ipſa Garnerii verba præmitto, quibus notationes cenſorias ſuppoſitas leges. Ceterùm operæ pretium duxi epigraphen Epiſtolæ Synodicæ Patrum Proconſularium ex tit. Epiſt. 90. apud Auguſtinum exſcriptam inſerere.

Domino Beatiſſimo, & Honorandiſſimo Fratri Sancto Innocentio Papæ, Aurelius, Mundius, Ruſticanus, Fidentius, Evagrius, Antonius, Palatinus, Adeodatus, Vincentius, Publianus, Theaſius, Tutus, Panthonius, Victor, Reſtitutus, Ruſticus, Fortunatianus, alius Reſtitutus, Ampelius, Avimus, Felix, Donatianus, Adeodatus, Octavius, Serotinus, Majorinus, Poſthumianus, Triſpulus, Victor, alius Victor, Leucius, Marianus, Fructuoſus, Fauſtinianus, Quodvultdeus, Candorius, Maximus, Megarius, Ruſticus, Rufianus, Proculianus, Thomas, Januarius, Octavianus, Prætextatus, Sixtus, Quodvultdeus, Penthadius, Quodvultdeus, Cyprianus, Servilius, Pelagius, Marcellus, Venantius, Didymus, Saturninus, Tiazacenus, Germanus, Germanianus, Juventius, Majorinus, Inventius, Candidus, Cyprianus, Æmilianus, Romanus, Africanus, & Marcellinus, qui in Concilio Eccleſiæ Carthaginenſis adfuimus.

Garnerius antequam laudatorum Patrum provinciæ Proconſularis ſedes deſignet, hæc præfatur: *Viſum eſt porrò, nonnullum futurum operæ pretium, nonnullamquè poſse ab eruditis lectoribus iniri gratiam, ſi Epiſcoporum, qui Synodo interfuerunt, ita recenſerentur nomina, ut quod hactenus tentavit nemo, ſuæ ſingulis, quantum licet, aſſignarentur Eccleſiæ. Collectæ ſunt illæ verò, ſed non ſinè curâ, & labore ex diverſis veterum libris inter ſe collatis, & potiſſimum tribus, codice canonum Eccleſiæ Africanæ, parte primâ Collationis Carthaginenſis, & Notitiâ provinciarum Africæ editâ à Patre Sirmondo.* Verùm quantum gratiæ apud eruditos ſibi conciliarit, ex iis, quæ ſubjiciam, patebit. Profectò *curam, & laborem* inanem impendit, eamquè ſibi tantùm laudem comparavit, quòd magnis excidit auſis, longè majori præconio donandus ſi opus, *quod hactenus tentavit nemo*, majori diligentiâ aggreſſus fuiſset, vel ſaltem cum cæteris intactum reliquiſset. Sed ad rem veniamus, neque enim Epiſtolæ brevitas patitur, ut per inania expatier.

Aurelius Carthaginensis. *Succeſſit Genethlio, ſeu Genedio, ut conſtat ex Auguſtini Epiſtolâ 163. ſcriptâ anno 412. in quâ tamen Genethlius dicitur* beatæ memoriæ, *cùm tamen Aurelius ſederet adhuc, imò tredecim poſt annis Synodo Africanæ præſederit anno 425. Baronius igitur audiri non poteſt, Genethlium Aurelio ſubſtituens.* Rectiùs fecilset, ſi nec audiviſset Baronium dicentem memoratam Epiſtolam 163. ſcriptam fuiſſe ab Auguſtino anno 412. cùm Cirtam ad Synodum pergeret. Certum eſt laudatam Epiſtolam non eſſe ſcriptam poſt annum 397. nam ibidem Ambroſius Mediolanenſis adhuc ſuperſtes memoratur. Etenim cùm Auguſtinus hæc initio præmiſiſset, *Fortunium, quem Tuburſicum habetis Epiſcopum, per eandem civitatem, quanquam feſtinantiſſime, cum ad Cirtenſem Eccleſiam pergeremus, experti ſumus,* hæc ait: *Quæſivi ab eo, utrum juſtum, & Chriſtianum putaret Epiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ Ambroſium. Cogebatur utique negare, quòd ille vir*

Digitized by Google

Chriſtianus eſſet, & juſtus: quia ſi fateretur, ſtatim objiceremus, quòd eum rebaptizandum eſſe cenſeret. Itaque ſi Auguſtinus obtrudit Ambroſium Fortunio Epiſcopo Donatiſtæ rebaptizandum, nondum eo anno obierat Ambroſius, vel illius ſaltem obitûs nondum Auguſtino innotuerat. Quòd autem Epiſtola 163. data ſit anno 399. ex iis, quæ versûs finem ſcribit, apertè colligitur: *Sed quia*, inquit, *ordinandi causâ Epiſcopi neceſſitas non indè*, nempè Tuburſicu, *jam jamque rapiebat*, &c. Itaque Cirtam properabat ad inaugurandum ibidem Fortunatum Epiſcopum, quem eo anno in demortui Profuturi locum electum fuiſſe pluribus oſtendi lib. 2. Hiſt. Pelag. capite 8. quæ cùm ibidem poſſis legere, eadem huc transferre non vacat. His accedit, teſtari Auguſtinum ſe diſputaſſe cum Fortunio Tuburſicenſi Donatiſtâ; At anno 411. inter Donatiſtas in Collatione cap. 201. nominatur *Januarius Epiſcopus de Tuburſico Numidiarum*, qui Fortunio dudum defuncto ſucceſſerat. Fortunius Tuburſicenſis vivebat anno 394. ut conſtat ex Synodo Bagajenſi Donatiſtarum.

Numidius Maxulitanus. *Hunc oportuit diu Maxulitanam Eccleſiam rexiſſe, quippe cùm jam indè ab anno 403. ſecundo loco ſederit, nec tamen anno 419. diem obiiſſet. Civitas porro Maxula, quæ nunc Maſſa dicitur, non multùm diſtat ab antiquâ Carthagine versùs ortum.* Laudo Garnerii correctionem, qui pro *Mundius* legit *Numidius*. Ceterùm neſcio undè ſciverit, Numidium ab anno 403. ſecundo loco ſediſſe. Extat Synodus habita eo anno Theodoſio, & Rurimundo Conſs. Carthagine, in cujus calce ſolus Aurelius Primas legitur nominatim ſubſcriptus, & additur; *Similiter & cæteri Epiſcopi ſubſcripſerunt.* In quâ quidèm Synodo Numidius ſecundo loco ſententiam dicens inter acta refertur, ex quo nihil ad propoſitum inferri poteſt, cùm alii Epiſcopi nequaquam interlocuti ſint. Longè meliùs Numidii Epiſcopatûs antiquitas probari poterat à Garnerio, ſi appellaſſet Synodum anno 390. à Genethlio indictam, in quâ legitur: *Numidius Maxulitanus dixit &c.* & Aquilejenſem A. 381. cui adfuit *Numidius legatus Afrorum.*

Ruſticianus Tabracenſis. *Fuit autem Tabraca nobilis olim colonia Hipponem inter & Uticam.* Nolo objicere Carolum à Sancto Paulo, & Holſtenium adſcribere Tabracam Numidiæ: etenim cùm in confiniis ſit inter Numidiam, & Proconſularem, potuit eandem urbem ſuo jure Proconſularibus Eccleſiis accenſere. Illud tolerari nequit, quòd inferiùs, ut videbis, alterum Ruſticianum hoc ipſo anno 416. & in hac ipsâ Synodo Tabracenſem Epiſcopum dicit. Vel ergo hic Ruſticianus, vel alter perperam ponitur Tabracæ Antiſtes.

Fidentius Cæfalenſis. *Incertum quæ fuerit civitas, cujus Eccleſiam rexit.* In Collatione primæ diei cap. 133. laudatur, *Fidentius Epiſcopus plebis Cæfalenſis.* Hanc verò Eccleſiam ſpectaſſe ad provinciam Proconſularem probandum erat ex Synodicâ ejuſdem provinciæ Patrum inſertâ actioni ſecundæ Concilii Lateranenſis anno 649. à Sancto Martino Papâ celebrati, ubi ſubſcriptus legitur *Creſcens gratiâ Dei Epiſcopus S. E. Cæfalenſis.* Fuit ergo Cæfala civitas provinciæ Proconſularis.

Evangelus Aſſuritanus. *In excuſis codicibus legitur Evagrius, ſed mendum ineſſe ex eo conſtat, tum quòd Evagrii nomen vulgare non fuit Afris, fuerit autem Evangeli: tum quòd Evangeli Aſſuritani ſit mentio in Collatione.* Utrumque Garnerio probandum venit: Evagrii nomen nec unius hominis fuiſſe, Evangeli verò ſolitum apud Afros, & familiare. In elencho quadringentorum Epiſcoporum in Notitiâ Africæ nec unus Evangelus nominatur, in ducentis octoginta ſex Epiſcopis in Collatione Carthaginenſi unus Evangelus Aſſuritanus appellatur, uti unus itidem Evagrius in epigraphe Synodicæ. Undè igitur habet Evagrii nomen vulgare non fuiſſe Afris, fuiſſe verò Evangeli? Cùm nullus Evagrius in Collatione nominatus fuerit, ac vellet omnino Epiſcopi quinto loco ſubſcripti ſedem aſſignare, ex Evagrio Evangelum fecit. Ceterùm error correctoris manifeſtè apparet ex Synodo Carthaginenſi A. 401. in quâ can. 77. Cod. Afric. hoc ordine legati ad urbem Hipponenſem Diarrhytorum nominantur: *Reginus, Alypius, Auguſtinus, Maternus, Evagrius, Theaſius, Evodius, Placianus, Urbanus, Valerius, Ambivius, Fortunatus, Quodvultdeus, Honoratus, Januarius, Aptus, Honoratus, Ampelius, Victorianus, EVANGELUS, & Rogatianus.* Quarè cùm in hac epigraphe Theaſius, & Ambivius poſt Evagrium nominentur, loco Evagrii Evangelus neutiquam poni poteſt, qui utroque laudato Epiſcopo poſterior fuit.

Antonius Carpitanus. *Sermo fit de ipſo in Collatione ann. 411. ſubſcripſit Epiſtolæ, quam de appellationibus, & causâ Apiarii Africana Synodus ad Sanctum Cæleſtinum ſcripſit.* Niſi Antonius anno 425. redux in vitam iterùm Carpitanam ſedem receperit, hæc procul à vero exorbitant: nam in Synodo Carthaginenſi in causâ de appellationibus ſubſcriptus nominatur *Penthadius Epiſcopus Carpitanæ Eccleſiæ*, vel ut in aliis codicibus, *Penthadius Carpitanus.* Cùm verò in titulo Epiſtolæ ad Cæleſtinum inter primos nominetur Antonius, cur non iſte idem fuerit, qui anno 416. Synodicæ præfixus legitur? Qui tamen Carpitanus eſſe non potuit, cùm anno 419. Penthadius Carpis ſederet. Alter familiaris huic ſcriptori error corrigendus eſt, quòd poſteà in hac Synodo an. 416. Penthadium Carpitanum Epiſcopum pronunciat. Itaque vel Antonius hic, & Penthadius in eadem ſede unà Coepiſcopi apud Carpos ponuntur, vel in alterutrius ſede deſignandâ Garnerius falſus fuit.

Palatinus Boſſetenſis. *Palatini mentio fit in Epiſtolâ Synodi Africanæ ad Sanctum Cæleſtinum, Boſſetenſis ſedis in Collatione.* In epigraphe Epiſtolæ ad Sanctum Cæleſtinum legitur: *Aurelius, Palatinus, Antonius, Tutus &c.* In hac verò epigraphe Antonius præcedit Palatinum. Quarè optimè notat Labbeus legendum eſſe *Valentinum*, qui tempore Cæleſtini erat Primas Numidiæ. Illius ſedes cap. 202. dicitur *Voſetenſis*, & cap. 125. *Boſſetenſis.* Ex quibus patet pertinere illam Eccleſiam ad Proconſularem, quam tamen incertæ provinciæ dixerunt Carolus à Sancto Paulo, & Holſtenius, qui etiam lapſus eſt pag. 105. dum Voſetenſem dixit Viſicenſem; etenim anno 411. apud Eccleſiam Boſetenſem ſedebant Palatinus Catholicus, & Felix Donatiſta cap. 125. Collationis: apud Viſicenſem verò urbem Felix Catholicus, qui cap. eodem 125. dixit: *Epiſcopum contrà me non habeo.*

Adeodatus Bencennenſis. *In Notitiâ Epiſcoporum ex provinciâ Proconſulari ejectorum, Guloſi Beneventenſis (lege Bencennenſis) in Corſicam relegati mentionem fieri.* Poſtquam Epiſcopi nomen mutavit, urbis quoque nomen antiquat, imò duas in unam civitatem conflat, Beneventum in Bencennam tranſcribens. Verùm Beneventanam urbem

bem fuiſſe in Africâ præter Notitiam Epiſcoporum, in qua legitur *Guloſus Beneventenſis*, colligo ex Synodo primâ Arelatenſi habitâ anno 314. cui ex Africâ cum Cæciliano Carthaginenſi interſuit *Anaſtaſius de civitate Beneventinâ*. Prætereà cùm eidem Collationi ex cap. 135. adſuerit *Adeodatus Simidicenſis* ex Provinciâ Proconſulari, cur Adeodatus ſexto loco in epigraphe nominatus, Bencennenſis potius, quam Simidicenſis appellandus ſit, pro arbitrio tantùm aſſeritur: præſertim cùm Bencennenſis Eccleſia iis accenſeatur, quæ incertæ prorsùs provinciæ deputantur.

Vincentius Culusitanus *Hunc oportet fuiße ſtrenuum in rebus agendis, & acrem in fide defendendâ &c. Scio in itinerario Antonini, ubi deſcribitur via litoraria ab oſtiis Anpſagæ Hipponem uſque Rigium, recenſeri Parotianas, Culuſitanas, Tacutuam, Sullucu, & Hypponem, nec aliud intelligi poſſe Culuſitanarum nomine, quàm utrumque Colopem, vel ſaltem minorem.* Poſteà. *An emendanda lectio codicum, & pro Culuſitano, ſeu Coloſitano Epiſcopo reſtituendus Curobitanus ab urbe Curobi propè Neapolim in Provinciâ Proconſulari ſitâ?* Hæc ex unius literæ variatione ingentes excitat controverſias, quæ nullæ ſunt. Neque enim Antoninus ſcribit *Culuſitanas* interiacere inter Hypponem, & Ampſagæ oſtia; hac enim ratione urbs Culuſitana pleno jure ad Numidiam ſpectaret, cùm Mauritaniæ Sitifenſi vicinior eſſet, quàm provinciæ Carthaginenſi. Scribit Antoninus *Culcitanas*, & conſentiunt tabulæ Peutingerianæ quæ inter Ruſiccadem, & Cirtam ponunt *Parantianis & Culucitani*. At Garnerius legit *Culuſitanas*, ex quo errore Culuſitam ex Antonini ſententiâ contendit locandam eſſe in Numidiâ. Ita Tacarata eſt Numidiæ urbs, & in Notitiâ laudatur inter Numidas *Creſcentius Tacaratenſis*: Tagarata verò eſt in Proconſulari, in quâ ibidem nominatur *Honoratus Tagaratenſis*. Itaque licèt Culucitani inter Numidas ſtatuantur, Culuſitani Proconſularibus deputantur, & Vincentius in Collatione cap. 133. dicitur *Culuſitenſis*, & in ſubſcriptionibus Synodi An. 419. *Culſitanus*, & *Culuſitanus*. In Notitiâ legitur *Æmilianus Culſitanus* inter Proconſulares: in Synodo Bonifacii Carthaginenſis anno 525. *Marcianus Culuſitanus*; in Carthaginenſi ſub Grato can. 6. *Nicaſius Culuſitanus*. Nuſquam legitur Culucitanus: Sed neque varianda eſt lectio, ut pro Culuſitano Curobitanus Epiſcopus reponatur; nam Culuſita, & Curobis fuere diſtinctæ civitates Proconſularium: etenim in Synodo Carthaginenſi ſub Hilderico Rege anno 525. ſubſcripti leguntur & *Peregrinus Epiſcopus plebis Curobitanæ*, & *Marcianus Epiſcopus plebis Culuſitanæ*. Vides Curobim à Culoſitâ ſeu Culuſitâ diſtinctam? Sed ex ipsâ Collatione hoc ipſum demonſtratur, in quâ cap. 138. Vincentius Culuſitanus de ſuâ diœceſi dixit: *Catholica eſt*. At cap. 198. inter Donatiſtas recitatur *Victor Epiſcopus Curubitenſis*. Res eſt clariſſima, de quâ unus Garnerius potuit dubitare.

Publianus Bazaradidacenus. *Ita quidèm legitur in Collatione: Sed quia nullibi, quod ſciam, hujuſcemodi civitatis mentio ſit, ſuſpicari poſſet aliquis ineſſe mendum, reponendumque Mazaranacenum, eſt enim Mazarana civitas in provinciâ Proconſulari inter Bagradam Fluvium, & Fontem Catadæ, quo alluitur Carthago.* Profectò urbem Bazaradidacenam ex cap. 125. Collationis habemus. Nuſquam tamen novæ urbis *Mazarenæ* nomen, niſi in novâ Garnerii geographiâ reperitur. In Synodo Sancti Cypriani apud Aug. lib. 7. de Baptiſmo cap. 10. nominatur *Felix à Marazanâ*, in tabulis Caroli à Sancto Paulo Marazana deſcribitur: Synodum *Marazanenſem* laudat Ferrandus Diaconus Carthaginenſis can. 76. At Garnerii hallucinatio apparet, qui Marazanam ſitam fuiſſe putat in provinciâ Proconſulari, nam pertinebat ad Byzacium. Hinc in Notitiâ Africæ inter Byzacenos aſſeritur *Vindicianus Marazanienſis*. Hoc ipſum ex Antonino evincitur, qui ſcribit ab *Aquis Regiis Marazaniam M. P. XV. Suſibus M. P. XXVIII.* Quarè inter Suſetanos, & Aquas regias interiacet Marazana. Priores verò urbes pertinere ad Byzacenos conſtat ex Notitiâ laudatâ, in quâ inter eoſdem nominantur *Liberatus Aquarum regiarum*, & *Euſtraſius Suſetanus*. Sed omne dubium diſpellit Collatio Carthaginenſis, in quâ cap. 127. ponitur *Publianus Epiſcopus plebis Bazaradidacena*, & cap. 133. appellatur *Eunomius Epiſcopus plebis Marazanenſis*. Igitur ſtulti ſolùm ſuſpicari poſſunt, unam eandemque eſſe urbem, cùm ibidem diſtincti Epiſcopi utriuſque oppidi disertè aſſerantur. Ex Ortelii Tabularum mendo, ubi pro Marazanâ legitur Mazarana, errorem ſorbuit, tot ignoratis pro Marazanâ certiſſimis teſtimoniis.

Theasius Membresitanus. *Quòd Membreſa porrò fuerit Epiſcopalis, dubium eſſe non poteſt; nam Lucii Membreſitani mentio eſt in Concilio Carthaginenſi de rebaptizandis hæreticis: Salvii Membreſitani apud Auguſtinum &c.* Eundem lapidem offendit, duas iterùm urbes in unam confundens. Tempore Collationis Carthaginenſis Membreſa ſeu Membreſſa, ut Auguſtinus, & Antoninus ſcribunt, erat civitas diſtincta à Membloſitâ. Hoc ad oculum patet ex memoratâ Collatione, in quâ cap. 133. recenſetur *Gennadius Epiſcopus plebis Membreſſitenſis*, itemque ibidem ponitur *Theaſius Epiſcopus plebis Membloſitenſis*. In Synodo Cypriani apud Auguſtinum lib. 7. de Baptiſ. cap. 26. nominatur *Lucius à Membresâ*, quam eandem cum Membloſitâ Garnerius exiſtimavit. Qui etiam ibidem probat Membreſſam ſpectaſſe ad Proconſulares, quia ex Antonino *conſtat civitatem hanc inter Muſtitanam, & Sicilibbam fuiſſe*. At Muſtitana pertinebat ad Numidiam ex Notitiâ Africæ, in quâ inter Numidas nominatur *Antonianus Muſtitanus*; ſi verò Membreſſa inter duas urbes Proconſulares fuiſſet, fortè intentum probaſſet. Hæc de Muſtinanâ urbe juxta vulgarem ſententiam loquor. Debuit ergo hæc demonſtrare ex Synodicâ act. 2. Concilii Sancti Martini Papæ, in qua inter Proconſulares laudatur *Victor Membreſitanus*, & ex Synodo Bonifacii Carthaginenſis Anno 525. quam ſubſcribit *Paſchaſius Membreſſitanus*.

Tutus Melditanus. *Scribitur in Collatione Melzitanus, ſed vitiosè opinor: neque enim ab ullo ſit mentio Melzita civitatis in Provinciâ Proconſulari: Fit autem ab omnibus Melditæ ad Hipponitidem paludem poſitæ, cujus ſitus à Ptolomæo deſcribitur.* Ita Garnerio Plinius, ac trecenti & decem Epiſcopi Donatiſtæ nulli ſunt. Plinius lib. 5. cap. 4. laudat in Africâ oppidum *Melzitanum*. Synodus Bagajenſis Donatiſtarum inter duodecim ordinatores Maximiani Carthaginenſis damnat *Valerium Melzitanum*. apud Auguſt. lib. 3. contrà Creſconium cap. 19. & 53. Rectè ergo in Collatione cap. 121. legitur: *Tutus Epiſcopus plebis Melzitanæ*. Non tamen reprehendendus eſt Ptolomæus, ubi hoc ipſum oppidum, Melditam vocat, familiare enim fuit antiquis pro Z, uſurpare D, ut pluribus oſtendi lib. 2. Hiſtor. Pelagian. cap. 3. Ita in eadem provinciâ

Hipponem Zarrhutum laudat Antoninus, & Zaritonenſem Epiſcopum nominat Collatio cap. 139. cùm alii eandem Urbem Hipponem Diarrhytum vocent.

Panthonius Pupputanus *In Collationi parte primâ legitur Pannonius Puppitanus, ſed gemino vitio, cùm Pannonii nomen inſolens ſit apud Afros, Panthonii familiare, & civitas cujus ſedem tenuit, dicatur Pupput in Itinerario Antonini.* Imò *gemino vitio* laborat hæc cenſura. Cùm textus epigraphis Synodalis ex Collatione corrigendus eſſet, ut ubiquè erraret, maluit textum Collationis erroris arguere. In MS. Sereniſſimi Magni Ducis poſteà laudando, in epigraphe non *Panthonius*, ſed *Pannonius* rectè legitur. Verùm quis illi dixit Pannonii nomen inſolens eſse apud Afros, Panthonii verò familiare? Præter Pannonium Pupitanum, legitur in Notitiâ Africæ inter Mauritanos Cæſarienſes *Pannonius Bitenſis.* Unum tantùm Panthonium ex depravatâ epigraphe novit, alterum ex incognitis libris ex Africâ appellet, & tunc familiare apud Afros nomen Panthonii affirmabo, & erit mihi magnus Apollo. Quod verò contendit à Pupput dicendum eſſe *Pupputanum*, non *Puppitanum*, vix citrà indignationem ab Afris audiri poſſet, quaſi hic Scriptor Africanarum urbium vocabula meliùs quam ipſimet Afri, declinare ſciat. In Collatione cap. 187. inter Donatiſtas nominatur *Victorianus Puppitanenſis*, Pannonii æmulus. Synodicam Proconſularium act. 2. laudatæ Synodi Lateranenſis ſubſcribit *Guloſus Puppitanus;* in Synodo Bonifacii Carthaginenſis anno 525. recitatur *Fortunatus Puppitanus.* Quis autem dixerit, hos Epiſcopos neſciſſe, ſuæ urbis nomen latinè inflectere?

Victor Vinensis *Legitur ipſius nomen in Collationis primâ parte, eſt autem Vina civitas propè Pupputanam.* Ariolatur; nam cum in titulo Epiſtolæ, quam adeo eruditis notis illuſtrat, tres Victores nominentur, eorundem ſedes ex Collatione Carthaginenſi expiſcatur. Priorem dicit Vinenſem, alterum Uticenſem, poſtremum Migirpenſem. Quòd ita pro arbitrio horum Victorum ſedes diſponit, nullam Garnerio quæſtionem facio, quamvis prior potuerit eſse Migirpenſis, poſtremus autem Uticenſis, & medius Vinenſis. Hoc eundem interogatum velim, cur tres alios Victores, qui in Collatione recenſentur, omiſit, nullumque eorum in memoratâ epigraphe nominatum voluit? Recenſetur cap. 116. *Victor Libertinenſis* Hanc verò orbem ſpectaſse ad Proconſulares patet ex Synodicâ ejudem provinciæ act. 2. Concilii Lateranenſis, ubi legitur *Januarius gratiâ Dei Epiſcopus S.E. Libertinæ.* Rursùs in eadem Collatione recitatur cap. 215. *Victor Abitinenſis.* Et hunc pariter Proconſularibus accenſendum conſtat ex proximè laudatâ Synodicâ, in quâ nominatur *Auguſtalis gratiâ Dei Epiſcopus S. E. Abitinenſis.* & apud Cyprianum habetor *Saturninus ab Abbitinis.* Denique tertius Victor occurit cap. 133. ubi dicitur ſubſcribere *Quintus pro Victore Epiſcopo Tuburbitanorum minorum.* Fuiſse verò Tuburbum in Proconſulari docet Notitia Africæ, in quâ appellatur *Benenatus Tuburbitenſis;* & utriuſque Tuburbi ſitum in Proconſulari exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Cur ergo tres hoſce Victores, qui anno 411. eidem Collationi cum tribus aliis, quos laudat, interfuere, à Synodo anni 416. excluſit? Cur unum ſaltem ex illis intrà Synocum non admiſit, ſed ſolummodo Vinenſem, Uticenſem, & Migirpenſem? Profectò vides, mi Antoni, Garnerium hìc purum putum ariolatorem agere.

Restitutus Muzulensis. *Legitur in Collatione Muzucenſis, ſed Auguſtinus lib. 7. (lege 6.) contrà Donatiſtas cap. 41. meminit Epiſcopi Muzulenſis, quem fuiſſe provinciæ Proconſularis colligo ex Notitiâ ſæpius laudatâ, in quâ numeratur inter ejectos ex eâ provinciâ Epiſcopos Felix Muzulenſis.* Geographus urbes confondit. Rectè in Collatione Reſtitutus appellatur Muzucenſis, cujus adverſarius Donatiſta cap. 206. dicitur *Maxius Muzucenſis.* Porrò hæc urbs erat inter Byzacenas; undè in Notitiâ Africæ inter Byzacenos Epiſcopos recitatur *Innocentius Muzuccuſis.* Præterea more ſolito divinatur; nam in Collatione cap. 133 ſcribitur *Reſtitutus Epiſcopus plebis Simingitenſis.* Hunc verò adnumeratum Proconſularibus colligo ex Synodo Bonifacii, in quâ appellatur *Creſtonius Epiſcopus plebis Simingitana.* Itaque errat Garnerius dum Reſtituto Simingitenſi provinciæ Proconſularis omiſso, Reſtitutum Muzucenſem ex Byzacio ad Proconſularem transferens, eundem in Muzulenſem Epiſcopum vertit,

Rusticus ſeu potius Rusticianus Tabracensis. *Sic enim legitur in Collatione. Fuit autem Tabraca colonia in ipſo confinio provinciæ Proconſularis, & Numidiæ, unde factum eſt, una pars auctorum in Numidiâ, alii in Provinciâ collocarent.* Infeliciter labitur. Etenim cùm in Collatione nullum Ruſticum appellatum legeret, cuò hujus Epiſcopi ſedem deſignaret, eundem ex Ruſtico in Ruſticianum mutavit. Sed in hoc turpiter etiam errat; nam ſuperiùs Epiſcopum, qui tertius ab Aurelio Primate in epigraphe legitur, appellarat *Ruſticianum Tabracenſem.* Itaque auctore Garnerio anno 416. Tabracæ duo Ruſticiani Epiſcopi Catholici ſedebant, ut Eccleſiæ, quemadmodum & urbes id temporis regebantur, ſuos habuerint duumviros.

Fortunatianus Neapolitanus vel Siccensis. *Fortunatiani duo celebres extiterunt tunc temporis: Neapolitanæ unus, alter Siccenſis Eccleſiæ Epiſcopus, uterque Proconſularis provinciæ &c. Uterque ſinè dubio interfuit Africano Concilio anno 418. Incertum uter electus ad finiendas cauſas cum aliis provinciarum legatis. Uterque pariter interfuit Concilio univerſali anno 419. Incertum utrius nomen præferatur in epiſtolâ Afrorum ad Sanctum Cœleſtinum.* Laudo hominis eruditionem, qui duos Fortunatianos novit, eoſque in diverſis urbibus collocavit; verebatur enim, ne duos Fortunatianos uni urbi præficeret, quemadmodum duos Ruſticianos uni civitati donavit. Verùm ſtatim ceſpitat, & præceps ruit. Quod enim ait, utrumque Fortunatianum interfuiſſe Concilio univerſali Africæ anno 419. admitti non poteſt, niſi mortuos Epiſcopos ſuffragia dare, ac ſententias dicere fingamus. Anno 419. Siccæ ſedebat Urbanus in mortui Fortunatiani locum ſubrogatus, qui cùm anno ſuperiori Apiario igni, aquaque interdixiſſet, & hic ad Zoſimum appellaſſet, acriter à Pontifice reprehenſus fuit; unde diuturniores illæ de appellationibus controverſiæ Afros inter & Romanam ſedem exordium duxere. In literis Synodi Africanæ anno 419. ad Bonifacium Pontificem datis hæc leguntur; *Prior autem Coepiſcopus noſter Siccenſis Urbanus, quod in eo*, nempè Apiario, *corrigendum eſt, ſinè ullâ dubitatione correxit.* Unus ergo Fortunatianus Neapolitanus anno 418. & 419. Synodis Africanis interfuit, unus Neapolitanus ad finiendas cauſas cum aliarum provinciarum legatis electus eſt idem epiſtolæ ad Sanctum Cœleſtinum Papam præfigitur. Nota interim, Vir Clariſſime, Garnerii confidentiam, qui aſſeveranter pronunciat, Siccenſem Fortunatianum

ſinè

Google

ſinè dubio laudatis Synodis interfuiſſe, qui id temporis *ſinè dubio* diem objerat, ac in eadem ſede Urbanum ex Hipponenſi Clero Epiſcopum exceperat. De initio Epiſcopatûs Urbani ſcribit Sanctus Auguſtinus Epiſt. 59. ad Paulinum Nolanum.

RESTITUTUS CINCARITENSIS. *Legitur in Collatione Epiſcopus hujus nominis, & ſedis; credibile admodum eſt hunc ipſum eſſe, quo de agitur.* Et hìc divinat, nam adfuit etiam Collationi cap. 133. *Reſtitutus Epiſcopus plebis Simingitenſis.* Et in Concilio Bonifacii Anno 525. inter Proconſulares laudatur *Creſconius Epiſcopus plebis Simengitanæ.* At Cincaritenſem Eccleſiam incertæ provinciæ deputant Carolus à Sancto Paulo, & Holſtenius, nec quicquam pro eâ ſe affert Garnerius. Ego tamen puto illam Eccleſiam fuiſſe inter Proconſulares; nam in Synodica act. 2. Concilii Sancti Martini Papæ inter ejuſdem provinciæ Epiſcopos nominatur: *Quobulus Ceciritenſis*, quæ fortè Eccleſia eadem eſt cum Cincaritenſi.

AMPELIUS. *Incertæ ſedis. Nam Ampelius, cujus fit mentio can. 78. Cod. Afric. cujuſque ſedes in Collatione dicitur fuiſſe Voga, vel potius Vada, quique interlocutus legitur cap. 176. videtur fuiſſe Numidarum unus &c. Unde ulterius corrigendus quoque Collationis textus cap. 215. ubi duo appellantur Epiſcopi Vagenſes Catholici, Ampelius, & Primulus: legi enim debet Vadenſis.* Ignoravit duas fuiſſe in Africâ Vagas, undè alteram urbem Vadam dicendam contendit. At Plinius, cui meliùs Africanæ urbes cognitæ fuerunt, lib. 5. cap. 4. inter XV. oppida civium Romanorum nominat *Vagenſe*, & inter triginta libera oppida *Vagenſe aliud.* Conſultò addidit *aliud*, ut Vagam utramque diſtingueret. Una erat Latio donata, altera liberum municipium. Hinc perperam Collationem corrigendam ducit, in quâ duæ Vagæ aſeruntur. Hæc oppida, quæ Vagæ dicuntur in Collatione, ambo *Vadæ* appellantur in Notitiâ Numidiæ, ubi recitantur *Rufinianus Vadenſis*, & *Proficius Vadenſis.* Imò tertia inſuper Vaga ponitur in eadem Collatione, nam cùm cap. 177. nominatus fuiſſet *Privatus Epiſcopus Vagenſis*, Rogatus Epiſcopus dixit: *Januarianus dicitur, non Privatus.* At reſpondit Primianus Primas Donatiſtarum Carthaginenſis provinciæ cap. 179. *Eſt Auzagga, ubi fuit Januarianus, qui nunc defunctus eſt; alia Auzagga ubi eſt Privatus, qui nunc vivit.* Ubi patet has Vagas agnominatas *Auzaggas*, ut à Vagâ, ubi Ampelius ſedebat, diſtinguerentur. Et quidèm præter duas Vagas, quas Plinius in Africâ, hoc eſt, provinciâ Zeugitanâ ponit, Ptolomæus lib. 4. cap. 2. in mediterraneis urbibus Mauritaniæ Cæſarienſis *Vagam* etiam collocat, cujus ſitum exhibent Tabulæ antiquæ Peutingerianæ, & recentes Caroli à Sancto Paulo. Ampelius qui laudatur can. 78. Cod. Afric. non eſt idem cum Ampelio, qui hìc appellatur, ille enim Ambivio Piſitenſi poſterior fuit, ut ibidem patet; hic autem eundem præcedebat, ut proximè oſtendam.

ANIMUS. *Sin minùs vitioſa ſit lectio, quod non temerè tamen quiſpiam conjiciat propter inſolentiam vocis, ignota dici debet hujuſce Epiſcopi Eccleſia. Quod ſi vitium irrepſit, ſuſpicari poſſit non nemo reponi debere pro Animo Timianum, qui ut eſt in Collatione, rexit Eccleſiam Utinæ civitatis à Ptolomæo ſub Carthagine ad Bagradam fluvium repoſitæ.* Si vitioſam lectionem ſuſpicabatur, cur antiquum aliquem codicem non conſuluit? Extat epiſtola hujus Synodi Carthaginenſis in codice MS. Bibliothecæ Sereniſſimi Magni Ducis ad D. Laurentii in pluteo XII. in quo non *Aninus* legitur, ſed *AMBIVIUS*, qui in reſcripto Innocentii Papæ dicitur *Ambivius.* In Collatione cap. 133. appellatur inter Catholicos Patres *Ambibius Epiſcopus plebis Piſitenſis.* Evodius Uzalenſis Sancti Auguſtini diſcipulus lib. 1. de Prodigiis Sancti Stephani cap. 13. meminit *Piſitanæ civitatis.* Ambibii Eccleſiam omiſit Carolus à Sancto Paulo, Holſtenius incertæ provinciæ deputavit, & minùs rectè à Piſitanâ diſtinxit, quæ tamen ex hac epigraphe colligitur fuiſſe in proconſulari. Ambivii fit mentio can. 78. Cod. Afric. ubi ante Evangelum nominatur, quem Garnerius pro Evagrio ſuppoſuit, ut vidiſti, ſed perperam; nam in laudato codice *Evagrius* nominatur, & pro *Mundius*, ut in excuſis codicibus corruptè habetur, *Numidius* rectè ibidem legitur. In nullis codicibus epigraphen quæſivit Garnerius, qui tamen ob exſcriptos ab alio è Vaticanis MSS. Marii Mercatoris libellos, vah quales tragœdias in calce ſui operis excitat, & in quos!

FELIX UZITENSIS. *Legitur in Collatione Vizicenſis, ſed in Notitiâ Epiſcoporum provinciæ Proconſularis mentio fit Caii Uzitenſis, qui periiſſe ſcribitur, antequam veniret ad exilii locum: & Uzitha civitas ponitur in Ptolomaicis Tabulis propè Adrumetum, & Ruſpinam.* Cùm iſtæ duæ urbes fuerint in Byzacio, in eadem etiam provinciâ Uzitha Ptolomæi locanda fuit. Uzithæ oppidi ſitum diſertè tradit A. Hirtius lib. de Bello civili in Africâ, ubi ait Cæſarem propè Uzitham caſtra metatum, *quæ aberant à portu Leptis parvæ millia paſſuum ſex.* Leptis verò erat in Byzacio ſuprà Adrumetum versùs Tripolim M. P. XVIII. ex Antonino. Ex his in Notitiâ legendum eſt: *Cajus Ucitenſis*, non *Uzitenſis*; hæc enim Eccleſia erat in Byzacio; Ucitenſis verò in Proconſulari, in cujus provinciæ Synodicâ act. 2. Concilii Lateranenſis laudatur *Tripolius Ucitenſis*, ab Uci urbe, ut ex Plinio mox oſtendam in notis ad FRUCTUOSUM. Igitur perperam Viſicenſem in Uzithenſem Eccleſiam mutat. Scribitur in Collatione cap. 125. *Felix Epiſcopus plebis Viſicenſis.* Quam Eccleſiam pertinere ad Proconſulares, colligo ex eadem Synodicâ, ubi inter Proconſulares cernitur *Valentinianus Epiſcopus S. E. Viſicenſis.* Erat hæc urbs propè Taboram, cujus Epiſcopus Victor Donatiſta cap. 125. citato dixit Felici Viſicenſi: *Ego tibi intervenio.* Et cap. 201. idem Victor ait: *Suſceperam quidèm mandatum; ſed quia beatiſſimus Pater & princeps noſter Primianus nunc ſuſcepit, me neceſſe eſt mandare his actis.* Itaque erat in Proconſulari Epiſcopus, ſi Primianum Carthaginenſem ſuum Primatem appellat. Perperam in diſſert. de Synodo V. cap. 10. Taboram Victoris Donatiſtæ cum Taborâ alterâ Mauritaniæ confudi. Quarè addenda eſt Tabora tabulis Proconſularium Caroli à Sancto Paulo, & Holſtenii. Ceterùm de hujus Felicis ſede Garnerius divinat. In Collatione cap. 127. laudatur *Felix Epiſcopus plebis Aptungitenſis.* Erat Aptunga in provinciâ Proconſulari, & alter Felix Aptungenſis olim Cæcilianum Carthaginenſem conſecraverat, ut ex Optato lib. 1. & Auguſtino Epiſt. 68. 162. 163. & libris contrà Donatiſtas paſſim habetur. Itaque omiſſo Felice Aptungenſi, Felicem Viſicenſem Synodo anni 416. pro arbitrio præſentem facit, illumque in Uzithenſem perperam mutat.

DONATIANUS ZEGGENSIS, ſivè ZELLENSIS. *Recenſetur in Collatione Donatianus Zellenſis. In Notitia provinciæ Proconſularis fit mentio Vincentii Zeggenſis in exilium*

Digitized by Google

lium ejecti. Eodem in luto hæret, Ziggam cum Zellâ confundens. Erat Zella in Byzacio; Strabo enim recenſens hujus provinciæ oppida lib. 17. ait *Propè etiam erat Zella, & Achola liberæ civitates.* In Tabulis Peutingerianis Achola ponitur inter Tapſum, & Ruſpam urbes in Byzacio, in cujus Notitiâ recitatur *Reſtitutus Acholitanus.* Concilium *Zellenſe* laudat Ferrandus Diaconus, quod Teleptenſe perperam dici, oſtendi lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 13. At Zigga erat urbs in Proconſulari, in cujus Notitiâ recenſetur *Vincentius Ziggenſis*, quem Garnerius *Zeggenſem* dixit, ut facilius *Zellenſem* faceret. In geſtis purgationis Felicis coram Africæ Proconſule in calce Optati Albaſpinææ editionis memoratur *Ingentius Decurio Ziguenſium*, quæ urbs, ut ibidem patet, erat in Proconſulari. In literis Conſtantini Imperatoris apud Auguſtinum Epiſt. 68. & lib. 3. con. Creſc. cap. 70. idem dicitur *Decurio Ziquenſium civitatis.* Et *montem Ziquenſem* memorat Victor Vitenſis de perſec. Vand.

ADEODATUS SIMIDICUS *Interfuit Collationi ann. 411. unuſque fuit anno 419. è decem legatis provinciæ Proconſularis, qui cum legatis aliarum provinciarum canones Eccleſiæ Africanæ recognovit, & ſubſcripſit.* Et hìc rursùs Epiſcopos, & urbes confundit. Adeodatus qui anno 419. canones recognovit, erat Epiſcopus Simittuenſis, non Simidiccenſis. Leguntur apud Labbeum ſubſcriptiones Synodi anno 419. Carthagine celebratæ, in quibus *Adeodatus Simituenſis*, vel *Simitenſis* dicitur. Oppidum *Simittuenſe* laudatur à Plinio lib 5. cap. 3. *Simittu* ab Antonino dicitur. In Collatione cap. 135. recenſetur *Benenatus Epiſcopus plebis Simittoſis*, & cap. 135. *Adeodatus Epiſcopus plebis Simidiccenſis.* Quarè Adeodatus, qui anno 419. canones recognovit, anno 411. nondum erat Epiſcopus, cùm Simittuenſem cathedram teneret Benenatus. Hoc ipſum etiam evidenter oſtenditur ex ſubſcriptione Synodi anno 419. ubi legimus: *Penthadius Carpitanus, Adeodatus Simittuenſis.* Quare Adeodatus fuit Epiſcopus tempore poſterior Penthadio: Africani enim juxtà tempus delati Epiſcopatûs nomina Synodis dabant, & in tractoriis ſcribebantur ex canone 53. Cod. Afric. & Auguſtino Epiſt. 217. ad Victorinum. At certum eſt Penthadium anno 411. non fuiſſe Carporum Epiſcopum, nam cap. 125. ponitur *Antonius Epiſcopus plebis Carpitanæ.* Ex quibus colligimus Adeodatum Simittuenſem diverſum eſſe à Simidiccenſi, qui anno 411. Collationi interfuit, & diverſas fuiſſe urbes Simittu, & Simidiccam, cùm tempore Collationis hìc Adeodatus, illic verò Benenatus ſacra ſupremâ auctoritate adminiſtraret.

OCTAVIUS UTHINENSIS. *Interfuit Collationi; eſt autem Uthina civitas in provinciâ Proconſulari ad Bagradam fluvium, ut habent tabulæ Ptolomaicæ. In Concilio Carthaginenſi &c. dixit vigeſimo ſeptimo loco ſententiam Felix ab Uthinâ, & Lampadius Uthinus Concilio Arelatenſi II. ſubſcripſit.* Eâdem chordâ oberrat, Utinunam cum Uthinâ confundens. In cap. 133. Collationis Carthaginenſis editionis Maſſonis, & Albaſpinæi legitur *Octavius Epiſcopus plebis Utinunenſis.* Scio duas fuiſſe Utinas in Africâ; & tempore Collationis cap. 125. legitur: *Timianus Epiſcopus plebis Utinenſis*; capite verò 133. *Iſaac Epiſcopus plebis Uthinenſis.* Quarè ſi Octavius fuit pariter Epiſcopus Uthinenſis, tertiam in Africâ Utinam nobis excitare debet, vel Octavium collegam Timiano, aut Iſaaco ſuper imponere. Contrà Iſaac Epiſcopum Catholicum ſtabat Felicianus; contrà Timianum Felix Donatiſtarum Epiſcopi; At de Octavio refero integrum textum ex Collatione Carthaginenſi: *Octavius Epiſcopus plebis Utinunenſis coram V. C. Tribuno, & Notario Marcellino ſuperiùs mandavi, & ſubſcripſi Carthagine. Quare idem dixit; E contrario mihi eſt Bonifacius.* Ex tribus igitur Epiſcopis Catholicis, totidemque iiſdem adverſariis Donatiſtis duas Utinas, & Utinunam in Africâ urbes habemus. Quod inſuper addit Uthinam ad Bagradam fluvium ſitam ex Ptolomæo: notes velim, vir eruditiſſime, Garnerium antè ſeptemdecim verſùs idem dixiſſe de Utinâ alterâ, in quâ ſedebat Timianus. Profectò Ptolomæus unam tantùm Uthinam ponit; quòd ſi noſſet Geographus Uthinam Octavii, & alteram Timiani ad Bagradam reponit, de utraque Ptolomæi teſtimonium neutiquam laudare poteſt. Scribit Holſtenius alterutram Uthinam cum aſpiratione ſcribendam, & verè apud Auguſtinum lib. 6. de Bapt. cap. 33. recitatur *Felix ab Uthinâ.* Omitto quod ibidem ait Lampadium Uthinenſem ſubſcripſiſſe Concilium Arelatenſe II. voluit dicere primum, indictum anno primo Sylveſtri Anno 314. Bonifacius Octavii adverſarius cap. 198. dicitur Utunmenſis; utri textui error irrepſit, incertum.

SEROTINUS THUZZITENSIS *Interfuit Collationi. Ponitur autem à Ptolomæo Thurſa propè Vinam coloniam non longè à Tuniſzâ, atque adeo nec admodum procul à Carthagine.* Non ita ſcribitur in Collatione; nam cap. 133. recenſetur *Serotinus Epiſcopus plebis Turuzitenſis.* Quæ inflexio, uno Garnerio auctore, à Thurſâ Ptolomæi derivat. Sanè vapularent diſcipuli, qui à Thurſâ Thuruzitanum declinarent; hoc enim adjectivum à Thuruzitâ originem ducit. Quarè perperam Ptolomæus in teſtem vocatur. Imo nuſquam legitur Thurſa in Ptolomæo, ſed tantùm Thurza, quam ponit in Byzacio propè Adrumetum. Rectiùs autem ex ipſa Collatione oſtenditur Thuruzitam fuiſſe in provinciâ Proconſulari; quia cùm Serotinus Epiſcopus dixiſſet ſe nullum habere Epiſcopum adverſarium; Primiani Primatis Carthaginenſis Diaconus Habetdeum repoſuit: *Presbyter eſt illic Cattus.* Qui quidèm Diaconus frequentiùs interloquebatur, ubi de Epiſcopis Proconſularibus quærebatur, ut paſſim ibidem patet; licèt ſemel, aut iterum de aliis quoque locutum concedam.

MAJORINUS ZEMPTENSIS. *Ita legitur in Collatione; meliùs Zamenſis, nam in Proconſulari provinciâ fuit Zama civitas, ſi Plinio, Ptolomæo, ac Straboni credimus.* Quot verba tot errata. In Collatione cap. 133. laudatur *Majorinus Epiſcopus plebis Zemtenſis.* Et quidèm rectè: nam in Synodicâ Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis memoratur *Florentius gratiâ Dei Epiſcopus S. E. Zentenſis.* Quo egregio teſtimonio evicitur, rectè ſcribi in Collatione Zentenſem, ac malè legi Zemptenſem, & Zentam, ſeu Zemptam fuiſſe inter urbes Proconſulares. Rursùs quòd Zentam in Zamam mutat, vix patienter ferri poteſt. In Collatione cap. 121. dicitur *Dialogus Epiſcopus Zamenſis*, cujus adverſarius Montanus unus è ſeptem Donatiſtis collatoribus recenſetur. Igitur non Majorinus, ſed Dialogus anno 411, erat Zamenſis Epiſcopus.

POSTUMIANUS. *Ignotæ ſedis; Nam qui dicitur in Collatione Tagorenſis diverſus eſt ab iſto; ſiquidèm Tagora civitas, ſeu Tagura eſt in Numidiâ; non item in Proconſulari, & inter Epiſcopos è Numidiâ in exilium actos, recenſetur Timotheus Tagurenſis.* Ignoravit

duas

Digitized by Google

duas fuiſſe in Africâ Tagoras, quod tamen intelligere poterat ex Collatione, cui inter Catholicos Antiſtites interfuere *Reſtitutus Epiſcopus Tagorenſis*, qui fuit cuſtos tabularum cap. 143. & *Poſthumianus Epiſcopus plebis Tagorenſis* cap. 133. Itaque Poſthumianus, qui ponitur in epigraphe, fuit Epiſcopus Tagorenſis in provinciâ Proconſulari. At fuiſſe Tagoram in hac provinciâ colligo ex Tabulis Peutingerianis, ubi hæc leguntur. *Thacora V. Gegetu* (ſupple *XV.* ex Antonino mox laudando) *Narragara XII. Sicca Veneria XXX.* Antoninus ita ſcribit in itinere Muſti Cirtam. *Siccam XXXII. Naraggara XXX. Tagora XX. Tipaſa XXXIV.* Certum eſt Tipaſam ſpectaſſe ad Numidiam; nam in Notitiâ hujus provinciæ nominatur *Ruſticus Tipaſenſis.* Naraggaram Tipaſæ finitimam Numidiæ adſcripſere Carolus à Sancto Paulo, & Holſtenius, ſed perperam; nam Synodicam Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis ſubſcribit *Benenatus Epiſcopus S. E. Narragaritanæ*, & in Notitiâ inter Proconſulares recenſetur *Maximinus Maraggaritanus*, ubi planè *Naraggaritanus* legendum eſt. Et Synodum Bonifacii Anno 525. ſubſcribit cum Proconſularibus *Victorinus Epiſcopus plebis Nagargaritanæ* lege *Naragaritanæ.* Vltrà Naraggaram verſùs Numidiam ponitur *Gegetu.* Porro hanc etiam urbem fuiſſe intra diœceſim Proconſularium, patet ex Victore Vitenſi, qui lib. 1. de Perſecut. Vand. inter Proconſulares nominat *Vincentium Gigitanum.* Itaque Tagora V. M. P. Gigetu diſtans, erat ultima urbs provinciæ Carthaginenſis Tipaſæ contermina, cujus ſacra tempore Collationis Poſthumianus miniſtrabat, qui poſteà anno 416. ſententiam contrà Pelagianos ſubſcripſit. Tagora in Numidiâ dicebatur etiam Tagura, ut ex Notitiâ Africæ patet.

Crispolus Volitensis. *In vulgatis codicibus legitur Triſpolus, ſed vitium per ſe manifeſtat inſolentia nominis; quarè emendari debet ex Collatione.* Hic rectè priorem literam corrigit. In MS. Sereniſſimi Magni Ducis *Criſpolus* legitur, tum in epigraphe Synodicæ, tum in reſcripto Innocentii.

Victor Uticensis. *Non ille quidèm ſcriptor librorum de perſecutione Vandalicâ anno 484. excitatâ adverſùs Catholicos ab Hunerico, ſed alius ejuſdem nominis, & ſedis, qui fuit Carthagine, cùm Collatio haberetur.* Victor, qui ſub Hunerico vixit, ac ſcripſit libros de perſecutione Vandalicâ, non fuit Epiſcopus Uticenſis, ſed Vitenſis, ut egregiè è MSS. oſtenderunt Chiffletius, ac Holſtenius. Hoc ipſum probatur ex elencho Epiſcoporum ab Hunerico in exilium deportatorum, nam inter Proconſulares nominatur *Florentinus Uticenſis*, & inter Byzacenos *Victor Vitenſis*, qui libros ſcripſit de perſecutione Vandalicâ. Plura hac de re leges in Chiffletio, cujus volumen, ut pleraque alia è copioſiſſimâ tuâ illâ bibliothecâ non ſemel mihi commodaſti.

Victor Migirpensis. *Ita legitur in Collatione &c.* In hoc, & præcedenti Victore redit ad ſolitas divinationes. Adfuere Collationi tres alii è Proconſulari provinciâ Victores, nempe Libertinenſis, Abitinenſis, & Tuburbitanus. Itane hoſce intrà quinquennium obiiſſe putat, vixiſſe verò Migirpenſem, & Uticenſem, ut iſti ſolummodo, & nullus illorum trium Synodo anno 416. Carthagine contrà Pelagianos coactæ intereſſe potuerint? Sed cui facile fuit Urbes pro arbitrio mutare, confundere, extruere, haud quicquam penſi habuit, Epiſcopos ad Synodos admittere, prout libet, & prout lubet, excludere.

Lucius Tagaratensis. *Recenſetur eius nomen in Collatione. Tagaratenſis Epiſcopi meminit Notitia Epiſcoporum provinciæ Proconſularis, refertur enim Honoratus Tagaratenſis pulſus in exilium.* Non poſſum non albos calculos adjicere.

Marianus Uzipparensis. *Nominatur in Collatione. Meminit Notitia Epiſcoporum provinciæ Proconſularis Augentij Uzipparitam in exilium expulſi.* In plerіſque editis codicibus legitur *Macianus*, ſed Garnerio favet MS. Laurentianæ bibliothecæ. In Tabulis Peutingerianis *Uſippira* ponitur ſuprà Pupput in mediterraneis verſùs meridiem. In Synodo Bonifacij appellatur *Sementius Uzipparenſis.* Marianus fuit unus legatorum Proconſularium in Concilio anni 419.

Fructuosus Abziritensis. *Ita legitur in Collatione, legendum tamen fortè eſt Abderitenſis, vel Abbiritenſis: eſt enim apud Ptolomæum Abderæ mentio in Africâ propriâ, ſeu provinciâ Proconſulari, ſiquidem ponitur ſub Carthagine, & in Notitiâ provinciæ Proconſularis fit mentio Felicis Abaritani Epiſcopi. Hunc verò Fructuoſum oportet non diu fuiſſe ſuperſtitem; nam ann. 419. Candidus Abbaritanus recenſetur inter legatos provinciæ Proconſularis, qui tamen in ſubſcriptionibus dicitur Germaniæ, ſed mendosè: nam Germania ſivè vetus, ſivè nova, pertinet ad Numidiam, ſi qua fides Notitiæ ſæpius citatæ, in quâ fit mentio Felicis Abaritani Epiſcopi.* Parum callet Africanam geographiam, dum urbem Abziritanam cum Abbiritanâ confundit. In Collatione cap. 128. dicitur *Fructuoſus Epiſcopus plebis Abziritenſis.* Plinius lib. 5. cap. 4. laudat in Africâ oppidum *Abziritanum.* Hæc urbs Ptolomæo dicitur Abdera, nam D pro Z paſſim ſumptum ſuperiùs oſtendi. Et in Synodo Genethlii A. 390. *Victor Abziritanus & Abderitanus* in variis codicibus legitur. Cæterùm adhuc in Africâ numerabantur duæ urbes, quarum Epiſcopi Abbiritenſes nuncupabantur. Nam cap. 215. laudatæ Collationis ponitur *Annibonius Abbiritenſis*; capite verò 133. *Felix Epiſcopus Abbirmajus*, quæ urbs ita appellabatur, ut ab Abbirminus, ubi ſedebat Annibonius, diſtingueretur: Afri enim ad duas ejuſdem nominis urbes diſtinguendas, utebantur iſtis vocabulis *majus*, & *minus*: ita apud eoſdem habemus *Leptiminus*, nempè parvam Leptim, & in Notitiâ inter Byzacenos eſt *Fortunatianus Leptiminenſis*: ita Plinius ibidem recenſet oppida *Ucitana duo, majus, & minus*, & cap. 133. Collationis recitatur *Octavianus Epiſcopus plebis Ucimajus.* Itaque eidem Collationi anno 411. interfuere Fructuoſus Abziritenſis, Felix Abbirmajus, Annibonius Abbirminus. In Synodali Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis laudati appellantur *Aleodatus Abbiritanus, & Victorinus Abziritanus*, quorum Epiſcoporum urbes mirum non eſt Garnerium in unam confudiſſe, cùm nec eaſdem Carolus à S. Paulo, nec Holſtenius exactè diſtinxerint. Sed alia rursùs Garnerii errata corrigenda ſunt; falſum enim eſt Candidum ſucceſſiſſe Fructuoſo; nam Candidus fuit Epiſcopus Abbiritenſis, non Abziritenſis: ita enim legitur in ſubſcriptione Synodi anno 419. Carthagine coactæ, *Candidus Epiſcopus Abbiritenſis Germanicianorum*, apud Labbeum tom. 2. Concil. pag. 1670. Et rectè: nam apud Auguſtinum lib. 6. de Bapt. cap. 23. nominatur in Synodo Cypriani *Succeſſus ab Abbir Germanicianâ.* Si Garnerius pro *Germaniæ* in melioribus codicibus *Germanicia* legiſſet, rectiùs textum correxiſſet. Verùm

plusquàm

Digitized by Google

pluſquàm palmaris eſt ejuſdem ſcriptoris hallucinatio, ubi traditFructuoſum poſt A. 416. haud diu fuiſſe ſuperſtitem, quòd Candidus A. 419. Fructuoſi cathedram ſedebat. Id ubi de Candido ſermo inferiùs incidet, oſtendã; nam ambos huic Synodo præſentes fingit.

Quoduultdeus Verenſis. *Fuit unus ex decem legatis provinciæ Proconſularis, qui cum aliarum provinciarum legatis ann. 419. nomine totius Africanæ Synodi canones recognoverunt.* Non ita eſt. Hic Quodvultdeus antè annum 411. erat Epiſcopus, nam nominatur antè Thomam Cubdenſem, qui interfuit Collationi. At Quodvultdeus Verenſis poſt an. 411. Epiſcopatum indeptus eſt; cùm in ſubſcriptionibus A. 419. poſt Penthadium Carpitanum locetur. Earum fragmentum, quòd plurimum ad rem facit, hic inſero

Penthadius Epiſcopus Carpitana Eccleſiæ ſubſcripſi.
Ruffianus Epiſcopus Eccleſiæ Mazenſis ſubſcripſi.
Prætextatus Epiſcopus Sicilibbenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.
Quodvultdeus Epiſcopus Verenſis Eccleſiæ ſubſcripſi.
Candidus Epiſcopus Abbiritenſis Germanicianorum Eccleſiæ ſubſcripſi.

Anno 411. ſedebat Carpis Antonius, cui Penthadius ſubrogatus fuit ex cap. 125. toties memoratæ Collat. Idem etiam Quodvultdeus in epigraphe ponitur antè Candorium Mullitenſem, qui Collationi interfuit. Quarè diverſus plane fuit à Quodvultdeo Verenſi.

Candorius Mullitanſis. *Numeratur inter Epiſcopos, qui Carthagine fuerunt tempore Collationis. Inter Proconſulares ejectos Notitia habet Liberatum Mullitanum.* Tandem Garnerius *non ſinè cura, & labore* aliquid expiſcatus eſt.

Maximus & Megarius. *Ignota ſedes.* Sed & aliorum parum eidem notæ.

Rufinus Druſialenſis. *Quanquam ita legitur in Collatione, legendum tamen puto Diniſianenſis, vel potius Dioſinianenſis: eiuſce enim nominis Epiſcopus ponitur in Concilio Carthaginenſi rebaptizantium num. 48. An non illa ſedes, quæ in Notitiâ provinciæ Proconſularis corruptè legitur Duaſſendelmai?* Non poſſunt ſinè riſu hæc audiri. A carcere ad calcem pererrat. Lege, mi Antoni, epigraphem, videbis nominari non Rufinum, ſed RUSTICUM. Ita cùm duo Ruſtici in epigraphe ſcribantur, Garnerius ex priori Ruſticianum facit, poſteriorem in Rufinum mutat. Cùm non poſſit Ruſticum inter ducentos & octoginta ſex Epiſcopos, qui Collationi nomen dederunt, reperire, ſatìs urbano artificio pro Ruſtico Rufinum obtrudit. Porrò Rufinus cap. 121. Collationis vocatur *Epiſcopus plebis Druſilianenſis.* Verùm metamorphoſeos ſtudioſus, non modo Epiſcopum, ſed & Druſilianam eiuſdem ſedem in aliam convertens ait: *Legendum tamen puto Diniſianenſem.* Seriòne, an iocosè hæc ſcripſiſſe eundem putas? Ubinam gentium, non dicam in Africâ, ſed Orbe toto Epiſcopatus Diniſianenſis paruit? Verùm vide, quomodo eandem Diniſianam ſuam illam urbem, quam uno ductu calami repentè excitarat, altero ſtatim deiecit; *vel potius*, inquit, *Dioniſianenſis.* Sed perperam Druſilianenſem Eccleſiam cum Dionyſiana confundit; illa enim ad Proconſulares pertinet, ut ex Tabulis Peutingerianis conſtat, hæc verò ad Byzacenos; nam inter ſedes Byzacij, quæ ſinè Epiſcopis erant anno 484. ponitur in Notitiâ Africæ *Dionyſiana.* Eaſdem etiam diverſas urbes fuiſſe, evidenter ex Collatione deducitur, in quâ cap. 187. inter Epiſcopos Donatiſtas, qui Collationi interfuere, ponitur *Reſtitutus Epiſcopus Druſilianenſis*, & cap. 198. *Victor Epiſcopus Dionyſianenſis.* Itaque Druſiliana, & Dionyſiana fuere diverſæ, & diverſarum provinciarum urbes, quibus diſtincti Epiſcopi Donatiſtæ præſidebant: illas verò novus Geographus in unam confundit, alteram ex Byzacio in Proconſularem ſinè machinis transferens. At neque his mutationibus contentus, cùm ex Druſiliana fecerit Diniſianam, dein Dionyſianam; tandem ex his omnibus tanquam dirutarum civitatum ruderibus novam urbem ædificat Duaſſendelmai; *An non*, inquiens, *illa ſedes, quæ in Notitiâ provinciæ Proconſularis corruptè legitur Duaſſendelmai?* Imò ipſemet corruptè legit; nam in Notitiâ laudatâ non dicitur *Duaſſendelmai*, ſed *Duaſſedemſai*; nominatur enim ibidem *Mannucius Duaſſedemſai*, cuius ſedes cùm ſtatuatur in Proconſulari, nequit eadem eſſe cum Dionyſianâ, quæ in eadem Notitiâ locatur in Byzacio. Porrò Eccleſiam Duaſſedemſai puto eandem eſſe, quę cap. 202. Collationis dicitur *Aſſenemſalenſis*, ubi inter Donatiſtas recenſetur *Fortunatianus Aſſenemſalenſis*, & in Synodo Bonifacij inter Proconſulares ponitur *Patronianus Senemſalenſis.* Synodicam Proconſularium act. 2. Synodi Lateranenſis ſubſcribit *Julianus gratiâ Dei Epiſcopus S. Eduarum Senepſalitinarum.* Habes ergo in quatuor verſibus tot errata recentioris huiuſce Geographi, quæ fortè idem addenda putavit Geograph. reformatæ, quam quidam (noſti hominē) in lucē emiſit.

Rufianus Maxenſis. *Dicitur in Collatione Muzucenſis; unus fuit è decem delegatis è provinciâ Proconſulari ann. 419. ad recognoſcendos canones &c.* Putabat ſe lippis ſcribere, ac tonſoribus, cùm tot fabularum portenta chartis inſeruit. Fallitur, dum ſcribit Rufianum dici in Collatione Muzucenſem. Nec Rufianus dicitur, nec Muzucenſis, ſed cap. 127. nuncupatur *Rufinianus Muzuenſis.* Erat Muzua in Proconſulari, & inter ejectos ex hac provinciâ in exilium ab Hunerico recitatur *Felix Muzuenſis.* In eadem Collatione ca. 133. Epiſcopus *Muzucenſis* appellatur Reſtitutus. Denique in ſubſcriptionibus ſuperiùs adductis anno 419. Penthadius, qui poſt ann. 411. electus fuit Carporum Epiſcopus, ſubſcribit antè Rufianum Maxenſem. Nondum ergo hic ann. 411. erat Epiſcopus, neque interfuit Collationi, cùm tamen Rufianus qui in epigraphe nominatur, Penthadio Carpitano & Thomæ Cubdenſi, qui Collationi interfuere, præponatur.

Proculianus *Vel ignotæ ſedis, vel quod magis reor, legi debet Proculus Gineſitenſis Salariæ, cuius nomen ponitur in Collatione. Nam in Notitiâ Epiſcoporum provinciæ Proconſularis legitur Cariſſimus Giſipenſis, eiectus in exilium: Nullus verò dubito, quin idem Gineſitenſis qui Giſipenſis.* Vereor, ne tot metamorphoſes nauſeam ac faſtidiū tibi ingerant, Vir doctiſſime, ac memet non levi ſanè crimini obnoxium faciam, qui te à gravioribus ſtudijs, quibus diu noctuque curam intendis, ad hæc planè fabuloſa lectitanda interpellem. Scis Catonem poſt difficillima ſenatûs conſulta animum ad curſum, ludoſque cum pueris vertiſſe. Ego quidèm varias ſubinde hominum, urbium, ac provinciarum non ſecus ac in ſcenâ fieri ſolet, mutationes exhibeo. Refice interim te, ac oculos, aureſque commoda, nam novæ rerum facies occurrunt. Hic Proculianus in Proculum vertitur, ac Giſipa in Gineſitam urbem tranſmigrat. Quòd hominis nomen varietur, dolo plerumque fit, vel conſilio, dum per adoptionem familiæ in alias tranſcribuntur. At urbes urbibus inſerere unus Garnerius tentavit. Verùm quàm infeliciter, ne imperitè dicam, collige ex cap. 133. Collationis, in quâ nominatur *Proculus Epiſcopus plebis Gineſitenſis Salariæ*: & ex cap. 135. ubi recenſetur *Januarianus Epiſcopus Eccleſiæ Giſipenſis.* Et tamen cum utriuſque urbis diſtinctio meridianâ luce clarior appareat,

conſi-

Digitized by Google

confidenter exclamat Garnerius: *Nullus dubito quin idem Gineſitenſis, qui Giſipenſis.* Adde etiam Proculiani nomen familiare fuiſſe apud Afros; nam Epiſcopus, qui in Hipponenſi diœceſi contrà Auguſtinum morabatur in parte Donati, Proculianus dicebatur, ad quem data eſt Epiſtola inter Auguſtinianas 147. & nominatur etiam in Epiſt. 168. Fateor tamen in codice Laurentiano *Proculum* ſcribi. Verùm adeſt in cap. 135. etiam *Proculus Serrenſis.*

Thomas. *Mirum ubique hujus nominis ſilentium, niſi quod Leo Magnus ſcripſit ad Thomam Africanum Epiſcopum: ſed incredibile eſt huncce Thomam noſtrum vixiſſe.* Si præſens Collationi hæc dixiſſet, ſurdum illum affirmaſſem; nam cap. 133. altâ voce nominatus eſt ab Officio *Thomas Epiſcopus plebis Cubdenſis*, qui etiam reſpondit: *E contrà neminem habemus.* Hanc verò Eccleſiam ſpectaſſe ad Proconſulares poterat Garnerius diſcere ex Synodicâ act. 2. Concilii Sancti Martini Papæ, quam ſubſcripſit *Gentilis gratiâ Dei Epiſcopus S. E. Cubdenſis.* Portentum tibi fortè videbitur, hunc Scriptorem non vidiſſe Thomam ubi erat in Collatione, reperiſſe verò hunc ipſum, ubi planè non erat, nempè in Epiſtolâ Sancti Leonis Magni. Semel tantùm Leo Magnus literas, quæ extent, in Africam miſit; eſt Epiſtola 87. ad Epiſcopos Mauritaniæ Cæſarienſis, in quâ nullus Thomas appellatur. Interim non poſſum non dolere ſupinam ac immanem prorsùs Garnerii hallucinationem, qui non contentus urbes, & Africanos Epiſcopos confudiſſe, Leonem Magnum pro Leone IX. obtrudit. Extat inter Leonis IX. Epiſtolas tertia cum hac epigraphe; *ad Thomam Epiſcopum Africanum* quam tamen fingit à Leone Magno ſcriptam. Damus ergo libentiſſimè *incredibile eſſe Thomam* nominatum in hac epigraphe, *tandiu vixiſſe*; etenim uſque ad tempus literarum ab Apoſtolicâ ſede *ad Thomam Epiſcopum Africanum* ſcriptarum, ſexcenti & triginta tres anni lapſi ſunt; primus Leonis IX. annus fuit noſtræ epochæ 1049. Si in lib. 2. Victoris de perſ. Vand. vidiſſet alium Thomam Epiſcopum Africanum?

Januarius Timidensis. *In Collatione legitur Tunudenſis, ſed legendum* (nota confidentiam) *omnino videtur Timidenſis; nam in provinciâ proconſulari nulla fuit Tunuda civitas, ſed Timida quæ regia aliquando dicitur.* Eandem crambem reponit. Audi interim quæ idem auctor in notis ad VINCENTIUM Culuſitanum ſcribit de urbibus proconſularibus: *ſiquidèm vix illius provinciæ plures, quàm ſexaginta octo Eccleſias novimus, nec illas noti ſitûs, cum tamen fuerint centum ſexaginta quatuor, ſi qua fides Victori Uticenſi.* Cur ergo Tunuda non fuit una ex illis centum ferè, quæ ignorantur? Potuit tamen pertinere ad aliam Africanam provinciam; nam Tunuda incertæ provinciæ ab Eccleſiaſticis geographis deputatur. In Tabulis Peutingerianis in Proconſulari legitur *Uthica XX. Thunu VII. Maxula XXI.* Fortè à Thunu dicta eſt Eccleſia Tunudenſis. In Tabulis Ptolomaicis ponitur *Tunuba*; ubi unius tantùm literæ variatio à textu Collationis apparet. Et Plinius lib. 4. cap. 5. laudat in Proconſulari oppidum *Tunudiſenſe.* Ex his poterat Garnerius memoratam Eccleſiam faciliùs, & probabiliùs oſtendere, quàm illam in Timidenſem ſinè teſte convertere. Cùm inter Donatiſtas nullus Timidenſis nominetur, non obſcurè deducitur, eandem Eccleſiam fuiſſe Catholicam (rari erant Epiſcopi Donatiſtæ in Proconſulari teſte Petiliano capit. 165. Collationis) ejuſque Epiſcopum ad Synodum non veniſſe; niſi fuerit ex LXIV. Eccleſiis Catholicorum, quæ tempore Collationis Epiſcopis carebant, nondum in demortuorum locum novis ſubrogatis, ex eâdem Collatione cap. 215.

Octavianus Ressianensis *Ita legitur in Collatione.* Hoc breviſſimo ſcholio rem ſe ad oculum monſtraſſe exiſtimat. Errat autem, dum Reſſianenſem Epiſcopum Proconſularibus adnumerat, qui inter Numidas locandus eſt; nam in Notitiâ Africæ inter Numidas habetur *Vigilius Reſſianenſis.* Hoc etiam ex ipsâ Collatione colligitur; nam cap. 121. hæc ſcribuntur: *Aſpidius Epiſcopus plebis Tacaratenſis. Idem dixit: Præſto ſum. Veriſſimus Epiſcopus Donatiſta dixit: agnoſco illum: quatuor ſunt in plebe mea, Datianus, Aſpidius, Fortunatus, & Octavianus.* Erat Tacarata in Numidiâ, undè ibidem in Notitiâ recitatur *Creſcentius Tacaratenſis.* Datianus erat Epiſcopus Legenſis ex cap. 121. & in Notitiâ Numidiæ ponitur *Januarius Legenſis.* Octavianus Reſſianenſis; Tres illæ diœceſes intrà Numidiam erant conterminæ. Octavianus ergo Reſſianenſis pertinet ad Numidiam. Garnerius tamen non vidit in eadem Collatione alterum Octavianum Epiſcopum Proconſularem; is fuit *Octavianus Epiſcopus plebis Ucimaius*, utì ſcribitur cap. 133. Plinius ſuperiùs memoratus, recenſuit oppida *Ucitana duo, majus, & minus*, & in Synodicâ Proconſularium act. 2. Concilii Lateranenſis laudatur *Tripolius G. D. Epiſcopus S. E. Ucitanæ.* Quarè hic fortè fuit Octavianus Epiſcopus Ucimajus.

Prætextatus Sicilibensis. *Unus fuit è decem legatis provinciæ Proconſularis, qui cum aliis aliarum provinciarum recognovit Canones anno 419. nomine totius Africanæ Synodi.* Neque ſedem hujus Epiſcopi rectè divinatur; nam Prætextatus Præſul Sicilibræ, ſeu Sicilibbæ, erat dignitatis tempore poſterior Penthadio Carpitano; ſiquidem in ſubſcriptionibus Synodi à Garnerio laudatæ, Penthadio poſtponitur, ut ex tribus ſubſcriptionibus apud Labbeum tom. 2. Concil. pag. 1168. 1669. 1670. apparet, quarum unum exemplum ſuperiùs poſuimus; at hic Prætextatus Penthadio præponitur, cùm quartus ab eodem in epigraphe recitetur. Hic Holſtenii ſententia rejicienda mihi eſt, qui pag. 36. ſcribit Cilibienſem eandem cum Sicilibbenſi urbem fuiſſe; nam eidem Collationi ex Donatiſtis interfuere *Quadratianus Epiſcopus Sicilibenſis* cap. 198. & *Tertullus Epiſcopus Cilibienſis* cap. 205. In Synodo Bonifacii Anno 525. nominatur *Reſtitutus Cilibienſis* inter Proconſulares. Utraque Eccleſia deeſt in Notitiâ Africæ. Carolus à Sancto Paulo pag. 114. Cilibienſem Epiſcopatum incertæ provinciæ adſcripſit, qui tamen ad provinciam Carthaginenſem ſpectavit.

Sextus. *Ignotæ ſedis.* In codice Laurentianæ Bibliothecæ *Sixtus* legitur; ſed nuſquam memoratur in vetuſtis Africæ monumentis.

Quodvultdeus Givirtensis *Legi fortè ita debet: fit enim mentio Epiſcopi ejuſdem nominis, & ſedis in Collatione, nec tamen in aliis à proconſulari provinciis reperitur ſedes Givirtenſis.* Sanè Garnerius non legit ſubſcriptiones Synodi Bonifacii Carthaginenſis apud Labbeum tom. 4. Concil. pag. 1640. illam enim Synodum ſubſcribit *Vincentius Epiſcopus plebis Gervitanæ legatus provinciæ Tripolitinæ.* Itaque ſedes Givirtenſis erat extrà terminos Proconſularis, imò ultrà Byzacium, & ad Tripolitanos pertinebat.

Penthadius Carpitanus. *Fuit unus è decem electis ex provinciâ proconſulari ad recognoſcendos canones anno 419.* Vides hunc ſcriptorem fingere duos Carpitanos Epiſcopos unà ſimul ſediſſe, & anno 416. eidem

Synodicæ nomina dediſſe? Etenim ſuperiùs Antonium, qui Sextus in hac epigraphe nominatur, appellarat Epiſcopum Carpitanum, cui modò Penthadium concathedraneum facit.

Quodvultdeus. *Ignotæ ſedis.* Hunc rectiùs Verenſem dixiſſet, quippè qui in Synodo anno 419. poſt Penthadium ſubſcriptus legitur.

Cyprianus tuburbitanus. *Ita legitur in Collatione: Eſt autem Tuburbus ſeu Tuburbo civitas in provinciâ proconſulari, fuitque olim colonia Plinio, & Ptolomeo nota. Meminit ejuſdem Antoninus in itinere Hippone Regio Carthaginem, eamque ponit inter Cluacariam, & Cigiſam.* Duas urbes Tuburbitanas in unam confundit. Nam cap. 133. Collat. nominatur *Victor Epiſcopus Tuburbitanorum minorum*; & capit. 135. *Cyprianus Epiſcopus plebis Tuburbitanorum majorum.* Victor lib. ult. de perſec. Vand. meminit *Tuburbitanæ civitatis majoris*, & Antoninus in deſcriptione memorati itineris ait: *Cluacaria* xv *Tuburbominus* xxviii. *Cigiſam.* Perperam ergo teſtimonium Antonini adducitur, quia Cyprianus ſedebat apud Tuburbomajus, cujus nulla apud Antoninum mentio eſt. Verùm utriuſque Tuburbi ſitum deſcribunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi Sicillibba media viſitur obliquè utrumque Tuburbum reſpiciens, diſtans Tuburbomajus M.P. xxviii. Errat inſuper, dum Cyprianum Penthadio Carpitanò poſteriorem ponit, qui tamen anno 411. erat Epiſcopus, & Penthadius, quemadmodum dictum eſt, nondum eo anno Carpis ſedebat.

Servilius. *Ignotæ ſedis, quemadmodum.* PELAGIUS, MARCELLUS, VENANTIUS, DIDYMUS, SATURNINUS, THIAZACENUS, GERMANUS, GERMANIANUS, JUVENTIUS, MAJORINUS, JUVENTIUS. Hic Collatio Carthaginenſis hominem deſtituit, nec aliunde ſuppetias petere potuit, ſed quàm infeliciter eadem Collatione uſus ſit, nemo non videat.

Candidus abiritanus. *Fuit unus è legatis provinciæ proconſularis &c.* Riſum, Amice, teneas. Superiùs in FRUCTUOSO, quem Abbiritanum Epiſcopum fuiſſe aſſeruit, hæc planè dixerat: *Hunc verò Fructuoſum oportet non diu fuiſse ſuperſtitem, nam anno 419. Candidus Abbiritanus recenſetur inter legatos provinciæ proconſularis.* Si Fructuoſus, & Candidus ambo ejuſdem urbis Abbiritenſis Epiſcopi unâ eademque die anni 416. ſimul adfuere Carthagine in Synodo, cur unà ſimul in alterâ quoque Carthaginenſi Synodo anno 419. eſſe nequivere? Tam citò ſui oblitus, Candidum collegam in Epiſcopatu Fructuoſo dedit, quem paulo anteà iſtius deceſſorem pronunciaverat. Putaſne Garnerium ullam his reſponſionem adornare poſſe niſi ad Kalendas Græcas? Cæterum id etiam peccat, quod utrumque ejuſdem urbis Epiſcopum facit, cùm Fructuoſus Abziritanum thronum ſedarit, Candidus fuerit Epiſcopus Abbiritenſis Germanicianorum, ac Felici, qui Collationi interfuit, ſucceſſerit, quemadmodum ubi de Fructuoſo ſuperiùs ſermo incidit, palam oſtendi.

Cyprianus, & Æmilianus. *Ignotæ ſedis.* Nec ego ſcio, nec inquiro.

Romanus megalopolitanus. *Recenſetur in Collatione. Fit mentio in Notitiâ Epiſcoporum provinciæ proconſularis Coronii Megalopolitani in exilium acti: quâ verò in parte provinciæ proconſularis ſita fuerit Megalopolis, ignotum mihi eſt.* Imò & Afris illius ætatis hominibus id pariter ignotum fuit; nulla enim unquam extitit in Africâ Megalopolis, cujus nominis urbs celebris fuit in Peloponneſo, Polybii hiſtorici patria. Erat quidèm in Africâ Meglapolis. Undè in Collatione cap. 133. laudatur *Romanus Epiſcopus plebis Meglapolitanæ*, & in Notitiâ citatâ à Garnerio, ſed non benè lectâ, vel certè corruptâ, nominatur *Coronius Meglapolitanus*; denique in Synodicâ act. 2. Synodi Sancti Martini Papæ recenſetur *Reparatus Epiſcopus S. E. Meglapolitanæ.* Hos Epiſcopos unius literæ additione Garnerius ex Africâ in Europam rapit. Cæterum Amanuenſis, vel Typographus erroris auctor judicetur, proprium Garnerii erratum eſt; quòd, Romanum ante annum 411. Epiſcopum, quippè qui Collationi interfuit, ſediſſe in Synodo putat poſt Penthadium Carpitanum, & Candidum ab Abbir Germanicianâ, qui poſt annum 411. ad ſacras ſedes evecti ſunt.

Africanus & Marcellinus. *Incertæ ſedis.* Marcus Epiſcopus Donatiſta cap. 187. Collationis interrogatus à noſtro Alipio Tagaſtenſi: *Unde es? Quæ eſt civitas tua?* reſpondit: *Secutu Pruræ Amidiccæ. Melimelimenia Naſutu Prura.* Poterat Garnerius pro ea, quam in deſignandis pro arbitrio Epiſcoporum ſedibus auctoritatem uſurpat, Africanum Secutæ Pruræ Amidiccæ, Marcellinum verò Melimelimeniæ Naſutæ Pruræ Epiſcopos deputare.

Hactenus de notis Garnerii ad epigraphen Patrum Proconſularium. Accedo ad ejuſdem notas in titulum alterius Synodicæ à Numidiæ Epiſcopis anno eodem 416. itidem contrà Pelagianos ad Innocentium Pontificem miſſæ; eſt epiſtola inter Auguſtinianas xcii. quæ ita inſcribitur.

Domino beatiſſimo meritoque venerabili, & in Christo honorando Papæ Innocentio Silvanus, Valentinus, Aurelius, Donatus, Reſtitutus, Lucianus, Alipius, Auguſtinus, Placentius, Severus, Fortunatus, Poſſidius, Novatus, Secundus, Maurentius, Leo, Fauſtinianus, Creſconius, Malcus, Littorius, Fortunatus, Donatus, Ponticanus, Saturninus, Chriſtonius, Honorius, Lucius, Adeodatus, Proceſſus Creſconius, Secundus, Felix, Aſiaticus, Ruffinianus, Fauſtinus, Servus, Terentius, Creſconius, Spirantius, Quadratus, Lucillus, Sabinus, Fauſtinus, Creſconius, Victor, Gigantius, Poſſidonius, Antonius, Innocentius, Præſidius, Creſcentius, Felix, Antonius, Victor, Honoratus, Donatus, Petrus, Præſidius, Creſconius, Lampadius, Delphinus ex Concilio Milevitano in Domino Salutem.

Peſſimis iiſdem auſpiciis horum quoque Epiſcoporum ſedes Garnerius deſcribit; cujus quidèm notis refellendis temporis jacturam facere fortè videbor: ſed hoc ipſum in lucri loco reponendum cenſeo, quod dum tibi hoc in opere morem gero, obſequium erga te meum extendo; neque enim periculum eſt, ne ſit nimium, quod eſſe maximum debet. Collige interim te, & ex Proconſulari provinciâ in Numidiam à Garnerio vocatus gradum moveas, ut qualia de Carthaginenſis Concilii Patribus, eadem de Milevitani conſeſsûs Epiſcopis commenta audias.

Silvanus Summensis vel Zumensis *Utroque modo in Collatione ſcribitur nomen ſedis, quæ prima tunc erat in provinciâ Numidiæ &c. Ubi verò ſita fuerit Summa, vel Zuma, incertum eſt; niſi fortè dicatur eſſe Zama, quam Plinius, & Ptolomæus in Africâ, ſeu potius Numidiâ reponunt.* Niſi hoſpes in Africanâ Hiſtoriâ Zamam cum Zummâ confundet. Etenim anno 411. Kal. Junii Collationi Carthaginenſi adfuere *Dialogus Epiſcopus Zamenſis*, contrà quem Montanus unus è ſeptem Donatiſtis collatoribus ſtabat ex cap. 121. & *Silvanus Epiſcopus Zummenſis* cap. 99. cui adverſabatur

tur eâdem in diœceſi Felix Donatiſta, qui cap. 124. 201. & 202. dicitur *Zummenſis*. Hic ſcriptor in notis ad epigraphen Proconſularium dixerat: MAJORINUS *Zemptenſis. Ita legitur in collatione; meliùs Zamenſis, nam in Proconſulari provinciâ fuit Zama civitas, ſi Plinio, Ptolomæo, ac Straboni credimus.* Eandem inconſtantiam, quâ paſſim laborat, in horum Epiſcoporum ſedibus deſignandis, viris doctiſſimis affricat, qui in recenſendis illarum provinciarum urbibus, exactam utriuſque provinciæ diviſionem, qualis ab Eccleſiaſticis ſervata eſt, non afferunt, ſed fluminum ſectione illas dividunt, ut ad oculum patet. Ex collatione habemus Dialogum Epiſcopum Zamenſem, cui Garnerius Majorinum, & Silvanum etiam collegas ſuperimponit, ut Epiſcoporum eadem in Urbe triumviratum conſtituat. Zama Jugurthæ, dein Jubæ in Numidiâ regia, rebus apud eandem à Metello, & Cæſare geſtis celebratur à Salluſtio, & A. Hirtio; Zumma verò fuit exiguum in eadem provinciâ oppidum ex ſolâ collatione Carthaginenſi ſcriptoribus Eccleſiaſticis notum.

VALENTINUS VAIENENSIS *Ita legitur in collatione. Incerta ſedes eſt; fuit tamen propè Vegeſelam, nam in collatione pro Vegeſelitano Epiſcopo ſubſcripſiße dicitur.* In cap. 135. collationis hæc leguntur: *Valentinus Epiſcopus Vaienſis pro conſacerdote meo Regino Eccleſiæ Vegeſelitenſis, qui hìc Carthagine infirmitatis cauſâ detinetur &c. ſubſcripſi.* Ejuſdem adverſarius Donatiſta cap. 136. dicitur *Quintaſius Vajenſis*. Vegeſela erat in confiniis Numidiæ verſùs Byzacium; nam ex Antonino diſtabat Sufetulâ urbe Byzacii M. P. XXX. in itinere Thenis Theveſtem. Vaja, ſeu Baja non ſemel in Eccleſiaſticis Africæ monumentis nominatur. *Felix Bajanenſis* fuit in Concilio Grati Carthaginenſis. *Bejanus Bajanenſis* fuit unus è duodecim ordinatoribus Maximiani damnatus Bagajæ à Donatiſtis ex Auguſtino lib. 3. contrà Creſc. cap. 53. Perperam verò ex ſubſcriptione Valentini deducitur, iſtum ſediſſe propè Vegeſelam. In collatione cap. 208. & 209. plures Epiſcopi Donatiſtæ ſubſcripſere pro collegis, qui *in itinere infirmitatis cauſâ detenti* dicuntur, quorum tamen diœceſes non erant conterminæ. Et cùm Reginus Carthagine ægrotaret, inviſentem ſe Valentinum rogare potuit, ut mandatum ſuo nomine ſubſignaret. In Epheſinâ Synodo pro Rufo Theſſalonicenſi ſubſcripſit Flavianus Philippenſis, quorum ſedes non erant vicinæ; hic enim in Macedoniâ ſecundâ, ille in primâ ſacrorum præfectos agebant.

AURELIUS MACOMADIENSIS. *Bis Antoninus meminit civitatum Macomadum in Itinerario: ſemel dum deſcribit viam, quæ ducit Cirtam Carthagine; iterum in itinere Aſſuris Thenas. Illic non procul à Cirtâ, iſthic propè Thenas ponitur; quarè neceſſe eſt falli lexicographos, qui legi debere putant Macomadem; eamque collocant propè Sirtim minorem.* Poſteà. *Gemina enim fuit Macomadia apud Numidas; una cujus Eccleſiam regeret Aurelius, haberetque adverſarium Salluſtium Donatiſtam; altera Reſticiana, cui pro parte Donati Proficentius præeſſet.* Imò tres Macomades recenſet Antoninus. Priorem in Numidiâ ponit diſtantem Cirtâ M. P. LIII. alteram in Byzacio propè Thenas, quæ urbs erat in Byzacio, in cujus Notitiâ nominatur *Paſcaſius Thenitanus*; & rursùs in eodem itinere à Magnâ Lepti, quæ erat metropolis Tripolitanæ provinciæ, Alexandriam ait: *Macomades Syrtis*. Antonino conſentiunt Tabulæ Peutingerianæ, quæ propè Thenas in Byzacio reponunt *Macomades minores*. Quartam Macomadiam apud Numidas lexicographi, quos vellicat, à Garnerio diſcent. Quarè Proficentius Donatiſta ſedebat apud Macomades Byzacenas; hæc enim urbs dicitur ab Antonino *municipium*. Limes Macomadienſis in Notitiâ Imperii Occidentalis ponitur ſub cuſtodiâ Ducis Tripolitani.

DONATUS AMPORENSIS. *Dicitur quidèm in collatione Auburenſis, ſed in Notitiâ fit mentio Creſconii Amporenſis ejecti in exilium cum aliis.* In collatione cap. 121. non Auburenſis dicitur, ſed *Anburenſis*, cujus adverſarius Servatus cap. 198. appellatur *Epiſcopus Amphorenſis*. Potuit Donatus ſedere Anburæ in diœceſi Amphorenſi, ſeu Amporenſi, quemadmodum Delphinus ex cap. 65. ejuſdem collationis, morabatur in diœceſi Conſtantinienſi, & quatuor Catholici erant in diœceſi Adeodati Milevitani Donatiſtæ, ut ibidem Petilianus conqueſtus eſt.

RESTITUTUS NOVASINUS. *Ita in collatione. In Notitiâ Epiſcoporum Numidiæ recenſetur inter expulſos Candidus Novaſinenſis. Interfuit Concilio tum Carthaginenſi ante collationem anno 411. tum Milevitano anno 416. tum Africano univerſali anno 418. in quo tertius fuit legatorum provinciæ Numidiæ.* Hæc partim rectè dicerentur, ſi unus è Numidiâ Reſtitutus Novaſinenſis appellaretur; ſed occurrit in eadem collatione cap. 143. *Reſtitutus Epiſcopus Tagorenſis*, quam Eccleſiam ad Numidiam ſpectare concedit Garnerius, quia in Notitiâ illius provinciæ ponitur *Timotheus Tagurenſis*. Rursùs in Synodo anni 418. dicuntur electi legati de provinciâ Numidiæ *Alipius, Auguſtinus, & Reſtitutus.* Quarè cùm Reſtitutus qui in epigraphe nominatur, ſederit in Synodo anni 416. ante Alipium, & Auguſtinum, perperam dicitur ille idem, qui anno 418. nominatur Numidarum legatus, quia hic poſt Alipium, & Auguſtinum ibidem tanquam in Epiſcopatu poſterior memoratur.

LUCIANUS GUIRENSIS *Recenſetur inter Epiſcopos, qui Carthagine Synodum habuerunt antè collationem &c. An verò & hìc, & illic corruptè legatur Eccleſiæ nomen, reponique debeat pro Guirenſi, vel Girenſis, vel Girbenſis, cujus Epiſcopus decimo loco ſententiam dixit in Concilio rebaptizantium, dubitaverit fortè aliquis, nec meo judicio valdè temerè.* Non ibo inficias, judicio geographi urbes ſubinde miſcentis, non fore ita ſentientem valdè temerarium. Sed eruditi riderent hominem Girbam in Numidiâ locantem. Qui ponitur *Momillus à Girbâ* in Synodo rebaptizantium, ſpectat ad Tripolitanos; nam in Notitiâ hujus provinciæ laudatur *Fauſtinus Girbitanus*. In Numidiâ nulla Girba nominatur, ſed tantùm Garbe; unde in Synodo Secundi Tiſigitani apud Cirtam adfuit *Victor à Garbe* ex Optato Milevitano lib. 1. & Aug. lib. 3. contrà Creſconium cap. 27. Et in collatione cap. 209. *Felix Garbenſis* inter Donatiſtas collocatur.

ALIPIUS TAGASTENSIS. *Nobilior ille eſt cùm ſcriptis Auguſtini, Hieronymi, ac Paulini, & aliorum, tùm maximè rebus geſtis, faſtiſque Eccleſiæ, quibus adſcriptus eſt inter Divos die 15. Aug. &c.* Omnia egregiè. Sed Alipius ſuprà omne Garnerii præconium eſt.

AUGUSTINUS HIPPONENSIS. *Nullâ hìc notâ opus eſt.* Utinam quemadmodum nullas hic ſcriptor de Auguſtino notas ſupponit, ita nec ulli Auguſtino notas innſiſſent; neque enim nobis vindiciarum ſcribendarum neceſſitas impoſita fuiſſet: unde eorum, qui ſe ac ſua tantùm probant, querela non uno loco erupit.

PLACENTIUS MADAURENSIS. *Legitur quidèm in collatione Placentinus, imò & in codice Latino Eccleſiæ Africanæ, verùm in græco habetur Placentius, quæ vox*

communior apud Afros. Interfuit Concilio Africano anno 408. perſonamque geſſit legati Numidiæ, ac in cauſâ Maurentii] Tuburſicenſis contrà ſeniores novæ Germaniæ interlocutus eſt. Correctionem admitto. Interim annum Synodi, cui interfuit Placentius contrà ſeniores novæ Germaniciæ (ita legitur cap. 67. Cod. Africani) ipſe etiam corrigat; dicendus enim eſt annus 407. nam in Synodo indictâ Baſſo, & Philippo Conſſ. anno 408. nullum Placentii nomen ſonat.

Severus Milevitanus. *Severi Eccleſiam ſilet Collatio prout edita eſt, quamvis de Severo loquitur ſerius Carthaginem appulſo cum novemdecim aliis Catholicis, quorum Catholicæ Eccleſiæ appellantur &c.* Nulla nota his notis inferri poteſt. Loquitur ex cap. 215. Collationis. Sedit Severus Milevi antè annum 397. Mileum dicitur ab Antonino, & fuit colonia ex Tabulis Peutingeerianis.

Fortunatus Constantiniensis. *Fuit unus è ſeptem Catholicis, qui collationem contrà Donatiſtas ſuſceperunt; ſitne Conſtantinienſis Eccleſia eadem quæ Cirtenſis, diſputant eruditi.* Et adductis argumentis, quibus eadem urbs utroque modo nominata apparet, ait: *Cogit me licèt reluctantem, tanta vis argumentorum aſſentiri Gravio, Pamelioque, quem ducem ſecutus eſt. Quanquam prima ratio, quâ utitur, omnino infirma eſt; ſiquidem Fortunatus ille Cirtenſis, quem memorat Auguſtinus lib. de unico Baptiſmo cap. 16. diverſus eſt procul dubio à Fortunato, quem lib. 3. contrà Petilianum cap. 1. & lib. 3. cap. 38. Conſtantinenſem vocat: ille enim Poſſidium dignitate Epiſcopali præceſſit, iſte ſecutus eſt. Cirtenſis ſiquidem pauciſſimis annis, antequam Auguſtinus librum de unico Baptiſmo ſcriberet (ſcribebat verò anno 407.) ſucceſſit Profuturo, cùm tamen Poſſidius antè annum 394. Epiſcopus eſſet; at Conſtantinenſis præcedebat Poſſidium, ut ex multis ſubſcriptionibus conſtat.* Scribit Aurelius Victor in libro de Cæſaribus victo anno 306. à Conſtantino propè Milvium pontem Maxentio, à Senatu Romano *Cirtæ oppido, quod obſidione Alexandri ciciderat, repoſito, exornatoque nomen Conſtantina inditum.* Hinc Conſtans, & Conſtantius Conſtantini filii dederunt reſcriptum *Ordini civitatis Conſtantinæ Cirtenſium L. 29. de decurionibus Cod. Theod.* Auguſtinus lib. 1. contrà Petil. cap. 21. ait: *In eadem Conſtantinienſi civitate Sylvanum Epiſcopum majores veſtri in ipſo exordio ſui ſchiſmatis ordinaverunt.* In Libro verò tertio contrà Creſconium cap. 27. *Sylvanum Cirtenſem* nuncupat. Et Lib. 3. contrà Petilianum Epiſcopum Conſtantinenſem Donatiſtam ait: *Ego commemoravi Sylvanum Cirtenſem, cui quibuſdam interpoſitis etiam ipſe ſucceſſit.* Ubi Petilianum Sylvani concathedraneum appellat. Legatur Epiſt. 165. itemque geſta ſub Conſulari Numidiæ Zenophilo. Hinc idem Sanctus Doctor Petilianum, & Fortunatum modò Cirtenſes, modò Conſtantinenſes Epiſcopos dicit, ut pluribus oſtendi lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 8. Hæc ſunt evidentia: at Garnerius teſtatur, *ſe reluctantem* in hanc ſententiam deſcendere: malebat enim Conſtantinam à Cirtâ diſtinguere, ut qui toties duas in unam urbem confudit, hic unam in duas diſſecaret. Verùm quod de urbibus malebat, hoc de Epiſcopis fecit, dum Fortunatum Cirtenſem à Fortunato Conſtantinenſi diverſum pronunciavit. Scribit hæc Auguſtinus libro laudato de unico Baptiſmo cap. 16. *Proinde ſi Profuturus antè pauciſſimos annos defunctus, & Fortunatus qui, in corpore adhuc eſt, atque illi ſucceſſit Epiſcopo &c.* Itaque A. 407. cùm hæc ſcriberet Auguſtinus, vivebat Fortunatus Conſtantinenſis; nam Lib. 2. contrà Petil. cap. 1. ait: *Cùm eſſem in Eccleſiâ Conſtantinienſi, Abſentio præſentè, & collegâ meo Fortunato ejus Epiſcopo.* At Lib. 2. cap. 51. laudans Romanam Eccleſiam ait: *in quâ hodie Anaſtaſius ſedet.* Ubi vides libros contrà Petilianum ſcriptos fuiſſe à Sancto Doctore ſuperſtite Sancto Anaſtaſio Papâ, qui cùm diem obierit anno 402. conſequens fit, ut Fortunatus Conſtantinenſis antè annum 402. fuerit Epiſcopus Conſtantinæ, qui cùm in Collatione anni 411. & in Synodo Milevitanâ anno 416. præſens fuerit, anno 407. juxtà Garnerii chronologiam ſedebat Conſtantinæ unà cum Fortunato alio Cirtenſi Profuturi ſucceſſore.

Possidius Calamensis. *Fuit & ipſe collatorum unus, imò individuus ferè quemadmodum & Alipius Auguſtini in rebus Eccleſiæ agendis ſocius &c.* Omnia benè ſe habent; ſed quod proximè in notis ad Fortunatum dicit, *Poſſidium ante annum 494. Epiſcopum fuiſſe*, anachroniſmo ſcatet. Ipſe Poſſidius Calamenſis in lib. de Vitâ Auguſtini cap. 8. ſcribit Sanctum Doctorem Hippone conſecratum *à Primate Numidiæ Megalio Calamenſi Epiſcopo.* At Auguſtinus ex chronico D. Proſperi viri & coætanei, & amiciſſimi, inauguratus eſt Antiſtes Olybrio, & Probino Conſſ. anno 395. Quarè nondum illo anno Megalius Poſſidii deceſſor obierat. Cæterum Fortunatum Conſtantinenſem, & Poſſidium Calamenſem ordinatos fuiſſe anno 397. evidenter oſtendi lib. 2. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 8.

Novatus Sinitensis. *Ita legitur in Collatione. Sinitenſis autem Eccleſiæ meminit Auguſtinus Epiſt. 128. quæ eſt ad Donatum; meminit pariter Notitia Epiſcoporum Numidiæ, in quâ ſcribitur, Stephanus Sinitenſis in exilium pulſus. Quæ porro fuerit, & ubi poſita civitas illa incertum eſt; niſi quòd ex Auguſtino colligi poteſt non procul ab urbe Hipponenſi abfuiſſe. An non idcirco putari poteſt eſſe Siniſtu colonia, cujus mentio fit apud Antoninum in itinere Hipponem Carthagēne, diciturque Hippone diſtare III. M. LXXX. P.* Omnia planè ſuſdeque prævertit, urbes ex unâ in aliam provinciam portans, textus Collationis, & Antonini peſſimè corrumpens. In cap. 143. Collationis legitur; *Novatus Epiſcopus Eccleſiæ Sitifenſis:* & cap. 204. *Novatus Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ Sitifi.* Erat Sitifis celebris Mauritaniæ urbs, & ut ait Procopius lib. 2. de Bello Vandalico, *caput regionis Zabis ultrà Auraſium montem ſitæ*, à quâ Mauritania Sitifenſis quinta Eccleſiaſtica in Africâ provincia denominabatur. In codice Africano cap. 127. laudatur *Novatus Sitifenſis legatus Mauritaniæ Sitifenſis.* Garnerius ut Novatum inter Numidas recenſeat, ex Sitifenſi fecit Sinitenſem. Erat Sitifis proxima Numidiæ, diſtans Cuiculo urbe Numidicâ ex Antonino millia paſſuum viginti quinque, Ampſagâ fluvio inter utramque poſito. Nuſquam Antoninus meminit *Siniſtu* in itinere Hippone Regio Carthaginem; ſcribit enim: *Onellaba M.P.L. Ad Aquas M.P. XXV. Simittu M.P.V. Bullam Regiam VII.* At ille ex Simittu reddit Siniſtu. Porrò Simittu erat in Proconſulari provinciâ; nam in Synodicâ act. 2. Concilii Sancti Martini legitur *Benenatus Simitenſis* inter Patres Proconſulares, & in Synodo anni 419. *Adeodatus Simittuenſis*, & cap. 125. collationis nominatur *Benenatus Simitenſis*, qui dixit: *Nec habeo alium, nec hæreticos.* Verùm cap. 202. *Creſconius Epiſcopus Sinitenſis* cùm Donatiſtis nominatur; ubi verò hæc urbs fuerit, dicam ſuo inferius loco ad notas in LUCILLUM.

Secundus Ruspitensis. *Ita legitur in collatione. Pertinuiſſe verò Secundum tum ſuâ Eccleſiâ ad provin-*

ciam Numidiæ conſtat ex can. 100. Cod. Africanæ Eccleſiæ, ubi dicitur electus à Maurentio pro uno judicum ſuâ in cauſâ apud primatem Numidiæ Xantippum. Nam dii omnes Epiſcopi Numidæ ſunt, & judicium illud provinciale fuit. Tot ſunt in paucis verbis errata, ut unde cenſuram exordiar, ignorem. Hærebo ejuſdem veſtigiis, ut ſubinde labentem, in pedes erigam. Erat Rupſa Byzacii urbs, quam Sanctus Fulgentius & vitæ ſanctitate, & ſcriptorum excellentiâ illuſtravit. Laudatur in Notitiâ Byzacenâ *Stephanus Ruſpenſis*, & in Synodali ejuſdem provinciæ act. 2. Concilii Sancti Martini *Julianus Ruſpenſis*. In Tabulis Peutingerianis in Byzacio ponuntur *Ruſpe & Ruſpina*. In Tabulis Ptolomæicis legimus hæc in Byzacio oppida: *Adrumetum, Ruſpina, Leptis parva, Tapſus, Achola, Ruſpe, Bracordes promontorium &c.* Plinius *Ruſpinam* liberum oppidum dicit lib. 5. cap. 4. Itaque Secundus Ruſpitenſis, qui in Collatione nominatur, ſive Ruſpæ, ſeu Ruſpinæ ſedit, perperam ad Numidiam transfertur. Secundus qui canone 100. Cod. Afric. memoratur, erat Epiſcopus Megarmelitenſis, ut poſtea oſtendam. Denique quod ait Antiſtites electos in cauſâ Maurentii Tuburſicenſis *omnes Numidas fuiſſe*, falſum eſt. Nam hi planè fuere *Xantippus* Tagoſenſis Primas, *Auguſtinus* Hipponenſis, *Florentius* Hippozarrhytenſis, *Thaſius* Memblofitanus, *Samſucius* Turrenſis ex Epiſtolâ Auguſtini 168. *Secundus* Megarmelitenſis ex Collat. cap. 125. & *Poſſidius* Calamenſis. At certum eſt Memblofitam, & Hipponem Diarrhytorum fuiſſe in Proconſulari. De Theaſio hoc ipſum dixit Garnerius in notis ad ſuperiorem epigraphen, licèt neſcierit diſtinguere Membreſſam à Memblofitâ. In Synodali apud Concilium Sancti Martini inter Proconſulares ſubſcribit *Donatus Ipponizaritenſis*. Sed hæc clarè patent, neque diutius in illis te volo.

Maurentius Tuburſicenſis *Ita legitur in collatione &c.* Rem acu tetigit: hinc illi etiam atque etiam gratulor. Tollit ſe humo: ſed heu ſtatim corruit.

Leo Municipii Moptenſis. *Ita legitur in Collatione. Eſt autem ſermo Municipii in Notitiâ Epiſcoporum Numidiæ, ubi ſcribitur* Victor Municipienſis *cum aliis actus in exilium. Cavendum porro ne quis propter cognationem nominum Leonem hunc confundat cum alio, qui Mocenſem Eccleſiam rexit, adfuitque concilio plenario anno 419. illa enim Eccleſia, quæ Moptenſis dicitur, ad Numidiam provinciam, iſta quæ Mocenſis ad Mauritaniam Sitifenſem pertinebat.* Moptam ex Sitifenſi diœceſi in Numidiam rapit; ubi apud unum Garnerium *Mopta* collocatur. In Tabulis Peutingerianis in Mauritaniâ Sitifenſi ſcribitur: *Mopti municipium*. At ille municipium pro Municipio oppido, quod erat in Numidiâ, obtrudit, cùm Mopta diceretur municipium, quòd non erat colonia, ſeu urbs Latio donata, ſed vivebat lege municipali; & in laudatis Tabulis oppida, quæ municipia, vel coloniæ fuerint, optimè demonſtrantur. Quòd verò Leo in Synodo anno 419. dicitur Mocenſis, mendosè ſcribitur; nam ex vetuſtis Vaticani codicibus Labbeus tom. 2. Concil. pag. 1670. repoſuit *Moptenſis*.

Fauſtinianus Tamugadenſis. *Ita in collatione. Eſt autem propè Theveſtam coloniam in Numidiâ Tamugade civitas nota Auguſtino, Antonino, Plinio, Ptolomæo, & aliis.* Neutiquam notum eſt Antonino Thamugadem eſſe vicinam Theveſti; nam hic ſcribit. *Theveſte M. P. XXII. Timphadi M. P. X. Vegeſela M. P. XVIII. Maſcula M. P. XXII. Claudi M. P. XXII. Thamugadi:* Igitur Thamugada non eſt propè Theveſtem ex Antonino, cùm eodem teſte, remota fuerit ab illâ urbe M. P. CIV. & mediæ inter utramque fuerint Maſcula, & Vegeſela urbes Epiſcopales; hìc enim tempore Collationis Rheginus, illic verò Malchus Antiſtites ſedebant. Frugum copiam apud Thamugadam laudat Procopius lib. 2. de Bello Vandalico. Ibidem etiam tradit pag. 97. edit. Grot. Thamugadam ſitam eſſe in campis ad orientem adverſus montem Auraſium, quem ait *trium dierum itinere* Carthagine remotum fuiſſe; in eodem verò libro laudat pag. 120. *Theveſtem ſex dierum itinere Carthagine diſtantem, oppidum.* Verùm quòd Fauſtinianus ille fuit Thamugadenſis, pura puta Garnerii divinatio eſt; nam in Collatione cap. 215. recitatur *Fauſtinianus Ruſiccadenſis*. Hanc verò urbem in Numidiâ ponit Plinius lib. 5. cap. 3. ubi ſcribit diſtaſſe Cirtâ Numidiæ metropoli M. P. XLVIII. Ponitur ab Antonino diſtans à Cullu Numidiæ M. P. LX. à Paratianis L. quæ loca erant in Numidiâ, & Ruſiccades media inter illa locatur. Cur ergo Fauſtinianus Ruſiccadenſis nequit affirmari ille idem, qui interfuit Synodo Milevitanæ? Legit in laudato capite 215. Alipium dixiſſe de Fauſtiniano Ruſiccadenſi: *Hic eſt in hac civitate, ſed malè habet.* Quarè morbo eundem anno 411. putavit Carthagine extinctum; unde unus Thamugadenſis in Collatione remanebat, quem Synodo Milevitanæ præſentem citrà dubium aſſeveraret. Viſ-ne tam ſpecioſam conjecturam admittere?

Crasconius Cuiculitanus *Ita in collatione: ſcribendum fortè Culcuitanus, eſt enim cognita non tantùm Antonino ſed etiam Ptolomæo Culcua colonia media ferè inter Cirtam, Simittu coloniam, Lares, & Gauſapham.* Rideas, per me licet, novæ geographiæ portenta. Ponit Cuiculum medium ferè in itinere Cirtâ Orientem versùs, ac Carthaginem; & quod mirabilius eſt, ex Antonino, qui tamen hæc ſcribit: *Cirta Mileum M. P. XXV. Idicram M. P. XXV. Cuiculi M. P. XXV. Sitifi M. P. XXV.* Vides teſte Antonino ſitum eſſe Cuiculum in itinere Cirtâ versùs Occidentem ad Sitifenſem civitatem, quæ cùm in Mauritaniâ Sitifenſi fuerit, apertè deducitur, Cuiculum extremam fuiſſe Numidiæ urbem versùs Mauritaniam, quam tamen idem in medio ferè Numidiæ locat. Mirare interim hominis ſolertiam, qui in Antonino invenit Culcuitanum oppidum, quod nuſquam in Antonini Itinerario legitur; non autem vidit Cuiculitanum, quòd ab eodem tam disertè deſignatur. Sed vix pati poſſum ab hoc commentatore Cuiculitanam Eccleſiam in Culcuitanam mutari auctoritate Ptolomæi (qui tamen *Culcuam*, non *Culcuan*, ut mendosè legit, inter Numidiæ novæ urbes poſuit) cùm in vetuſtis Africanæ Eccleſiæ monumentis nihil Cuiculitanâ urbe frequentius nominetur. In Synodo Grati laudatur *Elpidophorus Cuiculitanus*: in Synodo Sancti Cypriani *Pudentianus à Cuiculi*: in Notitiâ Africæ *Victor Cuiculitanus*: in Collatione *Creſconius Epiſcopus plebis Cuiculitenſis*: in Synodo V. *Creſes Epiſcopus E. Cuiculitanæ provinciæ Numidiæ.* Memini Garnerium initio præfationis ad Hiſtoriam Neſtorianam affirmare, Chriſtianum Lupum magnum Eccleſiaſticæ antiquitatis reparatorem *immensâ eruditionis copiâ vix non obrui*. Procul ab hoc periculo remotum vides Garnerium, nondum enim immensâ illâ eruditione ſuffocatur; ſiquidem tota ejuſdem literaria ſuppellex, quòd notas præſentes attinet, pugno ſtringitur.

Malchus Masculitanus. *Ita in Collatione. Nota*

verò Antonino eſt Maſcula M. M. LX. P. à Thebeſte diſtans euntibus ad Sitifenſem coloniam. Recenſetur etiam inter Epiſcopos Numidiæ Januarianus Maſculitanus, & meminit Auguſtinus lib. 3. contrà Creſconium cap. 27. Donati Maſculitani, qui in concilio Cirtenſi Donatiſtarum anno 303. cui præfuit Secundus Tiſigitanus Numidiæ primas, confeſſus eſt ſe traditorem. Rectè de Malchi ſede: nam etiam in Synodo Bonifacii laudatur *Januarius Maſculitanus legatus provinciæ Numidiæ.* Verumtamen in iis, quæ addit, peccat biennii prochroniſmum. Nam Synodus illa teſte Optato lib. 1. *poſt perſecutionem apud Cirtam coacta fuit.* Et Auguſtinus libro laudato cap. 26. ait: *Extat Secundi Tiſigitani concilium cum pauciſſimis quidèm factum apud Cirtam poſt perſecutionem codicum tradendorum, ut illic in locum defuncti ordinaretur Epiſcopus.* At ex geſtis municipalibus perſecutio codicum tradendorum incæpit Cirtæ *Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Conſſ.* anno 303. *XIV. Kal. Junii*, ex eodem cap. 29. Cirtæ ſedente *Paulo Epiſcopo*, cui poſteà anno 305. mortuo, Sylvanus ſucceſſor datus eſt. Auguſtinus annum & diem Synodi Cirtenſis deſignat in breviculo Collationis tertiæ diei cap. 18. ubi & tempus durantis in Africâ perſecutionis etiam declaratur. *Geſta*, inquit, *martyrum, quibus oſtendebatur tempus perſecutionis conſulibus facta ſunt Diocletiano IX. & Maximiano VIII. pridie idus Februarias: geſta autem Epiſcopalia decreti Cirtenſis poſt eundem conſulatum tertio nonas Martias, ac per hoc tredecim menſes intereſſe inveniuntur.* Habes ex Auguſtino ſæviſſe perſecutionem anno etiam 304. cùm martyres occiſi ſunt: Synodum verò Cirtenſem coactam anno 305. die quintâ Martii, cùm ceſſaſſet in Africâ perſecutio poſt abdicationem Diocletiani, & Maximiani dominante in Italiâ & Africâ Severo Cæſare. Probat hæc ipſa pluribus eruditiſſimus Henricus Valeſius in notis ad cap. 2. libro 8. Euſebii Cæſarienſis. Hadriani Henrici fratris literas nuper ad te datas mihi oſtendiſti. Ambo de Eccleſiaſticâ ac profanâ Hiſtoriâ benemeriti, ac proinde tuâ amicitiâ digniſſimi.

Littorius Suanensis. *Ita quidèm in Collatione, ſed fortè legendum* Sugunenſis. *Ponitur enim ab Antonino in Numidiâ propè Cirtam Sugus: quanquam in Notitiâ Epiſcoporum Numidiæ fiat mentio Felicis Suabenſis in exilium pulſi.* Si non perfunctoriè Notitiam lectitaſſet, cognoviſſet ibidem memorari *Victorem Sugieanum*; unde Suabenſis, ſeu Suavenſis (non, ut ille ait, *Suanenſis*) Eccleſiæ in Sugitanam convertendæ ſententiam exuiſſet.

Fortunatus Casensi-Calanensis. *Ita in Collatione; ſed cùm plures ejuſdem nominis cenſeantur, dubium an Fortunatus noſter ſit hujuſce Eccleſiæ Epiſcopus.* Vah quales modò ſcrupulos patitur, qui paſſim quoſdam Epiſcopos ad hanc Synodum ex collatione admittit, aliis ejuſdem prorsùs nominis pro arbitrio excluſis! Sex Fortunati in collatione inter Catholicos recenſentur: Ruſuccurenſis, Capſenſis, Conſtantinienſis, prior pertinet ad Mauritanos Cæſarienſes, alter ad Byzacenos, poſtremus ad Numidas, qui ante Poſſidium legitur in Epigraphe. Tres alii recitantur, Caſenſi-Calanenſis, Abbenzenis, & Undeſitenſis. Has duas Eccleſias incertæ provinciæ vulgo adſcribunt. At in Notitiâ Numidiæ recitatur *Optantius Caſenſi-Calanenſis.* Garnerius ergo dubitat, an Numidiæ Epiſcopus Fortunatus ſederit apud Eccleſiam Caſenſi-Calanenſem, quam certum eſt ad Numidiam ſpectaſſe, vel potius fuerit Epiſcopus Undeſitæ, vel Abbenzæ incertæ prorsùs provinciæ oppidorum.

Donatus Tibilitanus. *Legitur in collatione Tigilitanus, ſed procul dubio mendosè; neque enim uſpiam mentio reperitur civitatis Tigilis.* Libenter admitto Donatum legi in collatione *procul dubio mendosè* Tigilitanum, ſed ab uno Garnerio, nam qui literas norit, in cap. 121. collationis leget: *Donatus Epiſcopus Tiſilitenſis. Idem dixit. Præſto ſum: ſed non habeo contrà me etiam Epiſcopum.* Ille verò perperam pro *Tiſilitenſi*, quemadmodum in tribus editionibus Maſſonis, Albaſpinæi, & Labbei legitur, *Tigilitanum* dixit. Licèt verò nuſquam reperitur mentio civitatis Tigilis, fit tamen mentio oppidi *Tiſilis* in Synodo Carthaginenſi Anno 525. quam ſubſcribit cum Proconſularibus *Florentius Epiſcopus Tiſilitenſis.* Itaque hujus Donati non modò urbem, verùm etiam provinciam ignoravit. Sed præproperæ lectioni id vitio vertatur. Aliud inſuper peccat, quòd in urbe Tibilitanâ Donatum Epiſcopum Catholicum ponit anno 411. cùm id temporis apud Tibilitanum oppidum ſederet Simplicius Donatiſta Epiſcopus, qui cap. 197. collationis dixit: *Adverſarium non habeo.* Huic tamen, velit nolit, Donatum Catholicum in eadem urbe adverſarium jungit: cùm uterque ſuâ in civitate teſtatus ſit, non habere adverſantem Coepiſcopum. Eſtne hoc eruditorum patientiâ abuti?

Ponticanus, Saturninus, Christonius, Honorius, Lucius. *Ignotæ ſedis.* Uno verbo ſemet cenſuræ periculo, nos moleſtiâ liberat.

Adeodatus Bellalitensis. *Ita quidèm in collatione appellatur Eccleſia; ſed in Notitiâ Numidiæ legitur Bellaliſenſis. Ubi verò Numidiæ ſita fuerit ejuſmodi civitas incompertum mihi eſt.* Sed cum Garnerio expoſtulabit alter ejoſdem nominis Epiſcopus Numida, qui cap. 129. dicitur *Adeodatus Epiſcopus plebis Bazaritanæ*: nam hanc urbem in Numidiâ fuiſſe docet Notitia ejuſdem provinciæ in qua laudatur *Vicalianus Vazaritanus*: *& loci Vazaritani* fit mentio canon. 54. Cod. Africani. Itaque merè pro arbitrio Bellalitenſem obtrudit, excluſo Bazaritano. Quarè hujus Adeodati, qui in Synodo nominatur, civitas etiam incerta eſt, & non tantùm ſitus civitatis, ut ille affirmabat.

Processus. *Ignotæ ſedis.* Procedamus ad notas.

Cresconius Centenariensis. *Ita legitur in collatione. Et verò in Notitiâ Epiſcoporum Numidiæ numeratur inter ejectos inde Epiſcopos Florentius Centenarienſis.* Cùm plures Creſconii in collatione numerentur, hunc qui trigeſimo loco in epigraphe nominatur, ſeduſſe apud Centenariom. (ita hoc oppidum appellatur in Tabulis Peuringerianis) ſino teſte non credam; cùm præſertim idem Garnerius de Creſconiorum in Numidiâ urbibus nihil certi ſe ſtatuere poſſe ingenuè fateatur, ut ſuo inferiùs loco videbis.

Secundus Magarmelitanus, ſeu Aquensis. *Quem Magarmelitanum collatio dicit, Aquenſem præterea vocat Auguſtinus.* Nuſquam in Auguſtini libris Secundi nec *Magarmelitani*, nec *Aquenſis* nomen reperitur. In libello tantùm Leporii hæc ſubſcriptio legitur: *Secundus Epiſcopus Aquenſis, ſive Megarmelitanæ oblato nobis à Leporio libello ſubſcripſi.* Ubi non Auguſtinus, qui ibidem eodem modo ſubſcriptus legitur, ſed ipſe Secundus ſe Aquenſem dixit.

Felix Villaregensis. *Etſi certum eſt ex duobus ejuſdem nominis Epiſcopis Numidiæ alterum fuiſſe Villaregenſem, alterum Tubienſem; dubium tamen uter utram Eccleſiam rexerit.* Poſtea. *Canon 48. Cod. Afr. continet cauſam Creſconii Villaregenſis, qui cum Tubienſem Eccleſiam violenter invaſiſſet, relictâ Villaregenſi,*

ſæpiuſ-

ſapiusque admonitus fuiſſet, contumaciter parere detrectaverat. Verùm cùm expoſtulatio facta fuerit ab Honorato & Urbano Mauritania Sitifenſis legatis, conjicere poſſet aliquis, nec temerè utramque præfatam Eccleſiam ad hancce Mauritaniam pertinere. Sed cùm Notitia auctor in contrarium ſentiat, vix ego poſſim conjecturam probare: quis enim Victore Uticenſi melius ſitum civitatum Africa, Eccleſiarumque à ſuis rectarum ſociis diſtinctius noverit? Quarè donec lux aliunde major affulgeat, Notitia adhærendum puto. Ceſpitat in plano, & in meridie *majorem lucem* exoptat. Sibi fingit teſtimonium Notitiæ canonis Africani dictis adverſari. In Notitiâ Numidiæ ſcribitur *Donatus Villaregenſis*; at Tubienſis Eccleſia ibidem non recitatur. Itaque Creſconius ex urbe Villaregenſi Numidiæ ad Mauritaniam Sitifenſem profectus, Tubienſem ibidem Eccleſiam invaſerat. Hinc legati Sitifenſes petiere à Synodo, ut agere poſſent contrà Creſconium coram *Rectore provinciæ*; erat enim Mauritania Sitifenſis provincia præſidalis teſte Seato Rufo in Breviario. Ea quibus evidenter colligitur, Tubienſem Eccleſiam huic provinciæ adſcribendam, non verò Numidiæ; aliàs iſtius provinciæ legati contrà Creſconium ſtetiſſent, non autem Sitifenſes. Carolus à Sancto Paulo Tubienſis Epiſcopatus non meminit, & Holſtenius pag.65. & 96. notarum ad eundem minus rectè cum Tubunenſi confundit, Tubunæ enim erant in Numidiâ, ut poſteà dicam. Garnerius quòd Creſconius relicto oppido Villaregenſi Tubienſem ſedem occupavit, utramque Numidiæ urbem aſſeruit. Scimus ex Socrate, Sozomeno, & Theodoreto Euzojum prius ſediſſe apud Germaticiam in Euphratenſi provinciâ, dein Antiochenſem thronum invaſiſſe, poſtremò Conſtantinopolitanam ſedem uſurpaſſe. Euſebius teſte Synodo Alexandrinâ in apologiâ ſecundâ Sancti Athanaſii, primo Beryti in primâ Phœniciâ Epiſcopus fuit, indè in Nicomedienſem in Bithyniâ ſedem ſe intruſit, tandem favente Conſtantio Auguſto Conſtantinopolitanam arripuit, *ſemper aliorum civitates, oculis per invidiam conjectis, oblimans, atque arrodens.* Juxtà illationem Garnerii in eadem provinciâ erunt memoratæ urbes; cùm tamen Conſtantinopolis fuerit in Europâ, aliæ verò in variis, ac abs ſe invicem remotis Aſiæ provinciis. Fortè quò erronem iſtum Creſconium longioris itineris moleſtiâ liberaret, utrumque oppidum Villaregenſe & Tubienſe in eadem provinciâ poſuit, ut Creſconius de uno ad alterum facilè tranſiliret.

Asiaticus. *Incertæ ſedis, quemadmodum &* RUFININUS. Nullus hìc cenſoriæ ſeveritatis notæ locus eſt. Melius illi vertit ignorare, quàm docere.

Faustinus Sillitensis. *Ita in Collatione: fit autem in Notitiâ Epiſcoporum Numidia mentio Maximi Sillitani.* Expecta parumper, & alterum Fauſtinum Sillitanam cathedram unà ſimul ſedentem audies; imò tertium Fauſtinum ſuppoſititium in hac Synodo, Garnerio auctore, videbis.

. Sarvusdei Burensis. *Ita in Collatione, niſi quod additur Tuburſicenſis Bura. Verùm in Notitiâ Epiſcoporum Numidia dicitur ſimpliciter Leontius Burenſis.* Non uno vitio laborat hoc ſcholion. Agnomen urbis pro ejuſdem nomine obtrudit. Cùm duplex eſſet Tuburſicus in Africâ; una dicta eſt Tuburſicus *Bura*, altera *Numidiarum*. Patet ex collatione, in quâ cap.121. laudatur *Servusdei Epiſcopus plebis Tuburſicenſis Bura*, contrà quem Donatus hæreticus ſtabat, qui cap.206. dicitur *Donatus Tuburſicenſis*, neque additur *Bura*; undè conſtat, Servumdei non eſſe dicendum Burenſem, ſed Tuburſicenſem; à nomine enim, non ab agnomine urbis appellandus eſt: hoc enim hujus Tuburſicûs ab alterâ iſtius nominis urbe diſtinctio tantùm ſignificatur. Ita dicimus Vltrajectum Rheni, ut hoc oppidum ab Ultrajecto ad Moſam ſecernamus, & perperam quis hujus civitatis Epiſcopum vocaret *Moſenſem*. Altera Tuburſicus dicebatur *Numidiarum*: ita in eadem collatione cap.201. inter Donatiſtas nominatur *Januarius de Tuburſicu Numidiarum*, cui adverſabatur ibidem Maurentius Catholicus ex cap.143. ubi appellatur *Epiſcopus Eccleſia Tuburſicenſis*. Utrumque oppidum confudit Holſtenius pag.55. & unius tantùm meminit Carolus à Sancto Paulo. Ex his etiam infertur, Tuburſicum, ubi ſedebat Servusdei, non rectè ſtatui in Numidiâ, cùm ad diſtinguendam alteram Tuburſicum à Tuburſicu Buræ, illa diceretur *Tuburſicus Numidiarum*. Hoc etiam conſtat ex Synodo Patrum Proconſularium ſedente apud Carthaginem Bonifacio; nam ibi legitur ſubſcriptus *Reparatus Epiſcopus plebis Tuburſicuburenſis.* Cyprianus Epiſcopus à Tuburſicubere damnatus fuit à Primiano Primate Donatiſtarum provinciæ proconſularis ex lib.3. Auguſtini contrà Petil. cap.34. Poterat Garnerius Servumdei ex Auguſtino lib.3. contrà Creſconium cap.43. eximiè commendare, cujus verba hìc laudanda ſunt, ac germana lectio reſtituenda. *Epiſcopus*, inquit, *Catholicus à Thuburbiſicubure Servus nomine, cùm invaſum à veſtris locum repeteret, & utriuſque partis procuratores proconſulare præſtolarentur examen, repente ſibi in oppido memorato veſtris armatis irruentibus, vix vivus aufugit.* Tuburſicus Numidiæ erat in itinere Hippone Cirtam ex Auguſtino Epiſt. 163. Denique notes velim Garnerii tecnas, nolo enim dicere malitiam, aut vaſritiem, à quibus longè eſſe virum probè ſcio; ille ut citra dubium Servum, ſeu Servumdei cum ſuâ illâ Burenſi urbe, quæ nulla uſpiam fuit, in Numidiam traheret, appellavit Notitiam Africæ, ſcribens in eâ *dici ſimpliciter: Leontius Burenſis*, cùm tamen non ita legatur; nam *ſimpliciter* ibidem ſcribitur: *Leontius Burcenſis.* Ita ex Burcâ Buram novam in Numidiâ urbem obtruxit. Burita fuit Numidiæ urbs, ut inferiùs parebit.

Terantius Saleucianensis. *Ita in Collatione. Fit autem in Notitiâ Epiſcoporum Numidia mentio Proficii Selencianenſis.* Poterat Terentium, & Servumdei, quem proximè nominaverat, laudare ex Synodicis literis Africanæ Synodi ad Cœleſtinum Papam, in quarum inſcriptione nominantur *Aurelius, Valentinus, Antonius, Tutus, Servusdei, Terentius, Fortunatus &c.* Ita in utraque Synodo Servusdei, & Terentius tanquam eodem ferè tempore conſecrati, proximè ſedebant. Ex hac verò epigraphe deduces, maximos illos, Auguſtinianæ noſtræ gentis Heroas, Auguſtinum, Alipium, Severum, ac Poſſidium non fuiſſe in eo Africano Concilio; nam antè Servumdei, & Terentium inſcripti legerentur, quemadmodum ponuntur in titulo Epiſtolæ tantis notis à Garnerio illuſtratæ; quòd nempè intelligerent eo in Concilio ex univerſâ Africâ coacto adversùs Romanas appellationes acerrimè diſputandum, & decernendum eſſe, à quâ ſententiâ collegarum cùm ipſi erga Romanæ Eccleſiæ jura obſequentiſſimi, procul eſſent, ideo ad eum Epiſcoporum conventum ſe conferre recuſarunt.

Cresconius de Castello Tituliano. *Legitur in Collatione* plebis Tituli; *ſed Notitia meminit Victo-*

rius de

rini de caſtello Tituliano Epiſcopi Numidiæ. Poſteà : *Monendo porro nunc, quoniam memini, vehementer eſſe probabile, Notitiam Epiſcoporum, quâ tam ſæpè* (at quàm infeliciter!) *uſi ſumus, ſcriptam fuiſſe ab ipſomet Victore Uticenſi, qui tres libros de perſecutione Vandalicâ compoſuit &c. Atque hinc quiſque ſatis perſpiciat, utrumque opus conjungendum, ſi quando Victoris hiſtoria edatur, tanquam alterum alterius ſupplementum & lumen.* Paſſim labitur. Scribitur in Collatione cap. 125. *Creſconius Epiſcopus plebis Tituli*, contrà quem Victor Donatiſta ſtabat, qoi capite 202. inter hæreticos ita recenletur: *Victor Epiſropus Titulitenſis.* Hæc autem Eccleſia pertioebat ad Proconſulares, quod diſertè Garnerius poterat diſcere ex Notitiâ Epiſcoporum, quâ ſe tam *ſæpè uſum* teſtatur, ſed profectò hac vice uſus non eſt; nam ibidem inter Proconſulares legiſſet *Creſciturum Titulitanum.* At ille ut Creſconium in Numidiâ Epiſcopum faciat, eundem ex oppido Titulitano in *caſtellum Titulianum* citò citiùs volare jubet. Quod addit, Notitiam Epiſcoporum Africæ inſerendam hiſtoriæ Victoris de perſecutione Vandalicâ, *atque utrumque opus conjungendum, ſi quando Victaris hiſtoria edatur*, vix ſinè riſu leges; habes enim in inſigni tuâ bibliothecâ hiſtoriam Victoris editam à Petro Franciſco Chiffletio, quem inter eruditiſſimos Societatis Jeſu ſcriptores poſt Petavium, ac Sirmondum laudare ſoleo, in cujus libro quarto memorata Africæ Notitia legitur. Qui ſanè vir doctiſſimus Garnerii vota non modò jamdiù prævenit, verùm etiam ſuperavit; cùm Notitiam illam non quidèm tanquam appendicem hiſtoriæ Victoris adſutam voluerit, quod ſe deſiderare Garnerius dicit, ſed medio prorsùs operi inſeruerit. Editum eſt illud volumen à Chiffletio Divione aono 1664. Hinc fortè putabis Garnerium hoc præſenti anno 1673. quo Marium Mercatorem notis illuſtratum publicavit, Chiffletii opus, quod in ore famæ verſatur, atque eruditorum omnium manibus teritur, penitùs ignoraſſe. Verùm ſi ita judices, ægrè in tuam ſententiam deſcendam; nolo enim tam ſupinam celebratiſſimi voluminis ignorantiam homini affricare. Arbitror autem Garnerium jam antè novennium haſce notas in utramque epigraphen adornaſſe; ſcribit enim ſe opus difficillimum, *quod hactenus tentavit nemo* aggreſſum, *ſed non ſinè curâ & labore.* Et quidèm diſsert. 5. pag. 319. teſtatur ſe ante duos & viginti annos ad Pelagianam Hiſtoriam commentariis illoſtrandam, à Sirmondo vetuſtiſſimis ſchedis communicatis animatum. Hinc ejuſdem conſilium laudo, qui juxtà Poetæ de ſcripto publicando monitum, *nonumque prematur in annum*, ſuas notas pleno à Chiffletiani Victoris editione novennio maturatas haud maturatè vulgavit. Quòd ſi ex eodem Horatio ſtatim reponas.

> . . . . *reprendite quòd non*
> *Multa dies, & multa litura coercuit, atque*
> *Præfectum decies non caſtigavit ad unguem.*

Nullam pro homine reſponſionem adornare volo, ne ex cenſore repentè, dum neſcio, advocatus fiam.

Sperantius, vel ut eſt in Collatione, Speratus Ammadærensis. *Dubium mihi fuit, debeat-ne Eccleſia Ammadarenſis in Numidiâ cenſeri, an in provinciâ Proconſulari, quamvis certum ſit ad alterutram pertinere, etſi in neutrius Notitiâ inveniatur: verùm cùm propè abſit à Thebeſte coloniâ, ut eſt apud Antoninum, Thebeſte verò, ut conſtat ex Notitiâ Epiſcoporum Numidiæ, civitas ſit Numidiæ, Amadara videtur quoque Numidiæ tribui debere, quantumvis repugnent vulgares tabulæ, profectò non exactiſſimæ. In Concilio baptizantium* Eugenius ab Ammadærâ *trigeſimo ſecundo loco ſententiam dixit, quem ad locum Pamelius nihil attulit in notis, alioquin eruditis, quod optatam lucem afferret. Affert aliquam Antonini Itinerarium, cùm via quæ Carthagine Cirtam ducit, ita deſcribitur:* Unucam M. P. XXII. Sicillibram M. P. VII. Vallos M. P. XV. Coreva M. P. XV. Muſti M. P. XXVIII. Laribum coloniam M. P. XXX. Attieuros M. P. XVI. Ammadæram coloniam M. P. XXXII. Theveſte coloniam M. P. XXV. &c. *Hinc enim patet Ammadæram tribuendam eſſe Numidiæ, ſi quidèm media eſt inter Attieuros, & Thebeſtem, quæ duæ civitates in iſtâ provinciâ exiſtunt.* Quæſo, vir eruditiſſime, ne ægrè ac moleſtè feras, me in his diſcutiendis parumper immorari; non nulla enim tradam, hactenus Eccleſiaſticis geographis ignorata, queis tamen Africanæ diœceſeos limites exactiùs ſtatuentur. Unuca Antonini apud Eccleſiaſticos ſcriptores Uluca nominatur. In cap. 127. Collationis laudatur *Procricinus Urulenſis*, & in Synodicâ apud Concilium Lateranenſe ſæpiùs nobis memoratum, *Creſconius Uenlenſis* inter Proconſulares recitatur. De Sicilibbâ in ſuperiori epigraphe dictum eſt. Vallos etiam fuit urbs Epiſcopalis, & inter Præſules Carthaginenſis provinciæ in Synodo Bonifacii appellatur *Reſtitutus Epiſcopus plebis Vallitanæ.* Corevæ Epiſcopus nuſquam mihi apparuit. Hic ab Eccleſiaſticis geographis Carolo à Sancto Paulo, & Lucâ Holſtenio viris eruditiſſimis, deſignantur confinia provinciæ proconſularis; Etenim Muſtim Corevæ finitimam ad Numidiam ſpectare ex Notitiâ Africæ citrà dubium exiſtimarunt; ibi enim inter Numidiæ Epiſcopos memoratur *Antonianus Muſtitanus.* Sed in eo decepti ſunt, quòd duas hujus nominis urbes in Africâ non obſervarunt, quarum una in Numidiâ, altera erat in Proconſulari. Hoc patet ex Collatione Carthaginenſi, in quâ inter Donatiſtas cap. 206. nominatur *Creſconius Epiſcopus Muſtitenſis.* At ſuperiùs cap. 121. hæc leguntur: *Victorianus Epiſcopus plebis Muſtitenſis. Idem dixit: Præſto ſum. Habeo Felicianum Muſtitenſem, & Donatum Turrenſem contrà me.* Et ſtatim cap. 122. *Alipius Epiſcopus Eccleſiæ Catholicæ dixit: De nomine Feliciani utrum in communione ſit Primiani.* Ex his optimè intelligis apud Muſtim in Numidiâ anno 411. cùm celebraretur Collatio, ſediſſe Creſconium Donatiſtam, apud Muſtim in Proconſulari Felicianum, qui toties Sancto Auguſtino in libris contrà Donatiſtas memoratur. Indè verò aſſero Felicianum Proconſularem Epiſcopum & magni inter Donatiſtas Maximianiſtas nominis; quia Alipius petiit, num Felicianus eſſet in communione Primiani Primatis Proconſularium, non verò Januarii Primatis Numidarum; cùm tamen in Synodo apud Bagajam Felicianus ab utroque Primate ob Maximiani ordinationem damnatus fuerit. Adeſt evidens teſtimonium pro Muſti Proconſulari in Synodicâ act. 2. Concilii Sancti Martini Papæ, quam inter Proconſulares ſubſcribit *Januarius Epiſcopus S. E. Muſtitanæ*; in Notitiâ verò Numidiæ etiam legitur *Antonianus Muſtitanus.* Urbs autem Turrenſis in Proconſulari, cujus ſacris præerat Donatus Donatiſta, quem Victorianus Muſtitenſis ſibi vicinum dixit, apparet in Tabulis Peutingerianis, in quibus habetur; *Thurris VI. Sicilibba XIII. Inuca &c.* Turrenſis urbs erat proxima Sicilibbæ, quam eſſe Proconſularem in notis ad ſuperiorem epigraphen oſtendi, ubi inter legatos provinciæ Proconſularis laudavi Prætextatum

Sicilibbenſem. Hac occaſione etiam ſupplendæ mihi ſunt tabulæ Eccleſiæ Africanæ, quas laudati geographi Carolus à Sancto Paulo, & Holſtenius publicarunt, qui Inucenſem Eccleſiam Sicilibbâ M. P. XIII. diſtantem omiſerunt; cùm tamen in Collatione cap. 187. nominetur *Valentinianus Epiſcopus Inucenſis.* Hinc vides, Philippum Labbeum, cujus morti ſacra eruditio indoluit, & collegam Goſſartium virum inſignem, minus rectè in margine pro Inucenſi *Juncenſem* repoſuiſſe; illa enim Eccleſia erat in Proconſulari, hæc in Byzacio, & laudatur *Synodus Juncenſis* habita à Liberato Primate Byzaceno act. 2. Concilii Bonifacii Carthaginenſis, cujus etiam canones commendat Ferrandus Diaconus. In Laribo ſtatuendo iidem geographi decepti ſunt. Nam cùm in tabulis Ptolomaicis viderent Lares poni propè Vagam in Numidiâ, eandem urbem huic provinciæ adſcripſere. Sed eundem lapidem offenderunt. Duplex enim fuit hujus nominis oppidum. In Collatione cap. 207. recitatur *Reſtitutus Lariteuſis*, & cap. 197. *Honoratus Larenſis*, ambo Epiſcopi ex parte Donati. Lares verò etiam ad Proconſulares ſpectaſſe patet ex Synodo Bonifacii, quam cum illius provinciæ Patribus ſubſcribit *Vitulus Epiſcopus plebis Larenſis.* Cæterùm ex Tabulis Peutingerianis, quas mihi inſpiciendas tradidiſti, res illuſtrari poteſt: ita ibidem ſcribitur. *Theveſte XI. Ad Mercurium XIV. Admedera XVI. Muzia XVI. Orba VII. Larabus XII. Druſiliana VII. Thacia VII. Mubſi VII. Aobia VI. Tignica XII. Tichilla XVI. Membreſſa VIII. &c.* Aliud verò iter à Mutiâ ita deſcribitur. *Altuburos XVI. Altaſera X. Aſſures &c.* Ubi *Mubſi* legendum *Muſti.* Ex his patet, non ſatis conſequenter poni Ammederam (ita ſcribunt Auguſtinus lib. 7. de Bapt. cap. 39. Collatio cap. 207. & Antonious) in Proconſulari à ſacris Geographis, Lares verò, Druſilianam, & Muſtim in Numidiâ, cùm iſtæ urbes recto itinere à Theveſte Numidiæ ſuprà Ammederam ſint Carthagini propinquiores. Salluſtius *Oppidi Laris* meminit in bello Jugurthino, Procopius lib. 2. de Bello Vandalico Laribum dicit, & Victor Vitenſis lib. 2. de perſ. Vand. *Laribus* ſcribit, ubi etiam *Siccenſem & Larenſem civitates* appellat. Ex eodem Peutingeriano fragmento apparet ſitus Tignicæ in Proconſulari, cujus meminit Collatio cap. 133. ubi nominatur *Aufidius Epiſcopus plebis Tignicenſis*, quæ incertæ provinciæ deputatur à Carolo à Sancto Paulo, & omittitur ab Holſtenio. Sed quid dicetur de Aobiâ? Ponitur in ſubſcriptionibus Synodi V. *Valerianus Epiſcopus Obbæ provinciæ proconſularis.* Hæc quoque urbs deſideratur apud Carolum à Sancto Paulo, & Holſtenium. An hìc *Aobiæ*, vel *Obbæ* in Tabulis legendum, incompertum mihi eſt. Ultrà Lares ad XVI. M. P. ponitur ab Antonino Altieuros, ſeu ut Surita legit, Altituros: utrobique corruptè, nam Altiburos legendum eſt. Hæc civitas erat in Proconſulari, & in Synodicâ ſæpè laudatâ ponitur *Conſtantinus Epiſcopus S. E. Altoburitanæ*, & in Notitiâ ejuſdem provinciæ *Vindemius Altoburitanus.* Garnerius mendosè dixit *Altieuros*, cùm *Altieuros* dicatur in Itinerario, cujus verba adducit. Ubi perperam Altiburos, ſeu Altoburos Numidiæ accenſet, contrà laudata veterum Synodorum teſtimonia. De Ammederâ nihil certi invenio, quo movear ad eandem Proconſulari potiùs, quàm Numidiæ adſcribendam. Cùm in Notitiâ Epiſcoporum Numidiæ illius urbis Epiſcopus non appareat, qui tamen CXIII. ibidem recenſentur, exiſtimo Ammederam fuiſse ultimam Proconſularis diœceſis civitatem, cùm Theveſtis indè M. P. XXV. diſtans ad Numidiam pertineat. Neque tamen ob eandem in Numidiâ locatam, ullam Garnerio litem intendo; imò eidem gratias ago, quòd provinciæ, in quâ ſita fuit Ammedera, inveſtigandæ occaſione datâ, Muſtim, ac Lares duas ejuſdem nominis urbes fuiſſe oſtendi; undè & exactior Africanæ Eccleſiæ notitia relucet, ac Synodorum ſubſcriptiones neutiquam, quod ad provinciarum urbes attinet, inter ſe diſcrepare intelliguntur; indè etiam Tabulæ diœceſeos Africæ facilè corriguntur, ac ſupplentur.

Quadratus. *Incertæ ſedis.* Veritati exactiùs quadrarent cæteræ notæ, ſi eaſdem hiſce tantùm verbis exaraſſet.

Lucillus. *Incertæ pariter ſedis; niſi fortè legi debeat Lucianus Guirenſis; nam hujus nominis aliquis in concilio, quod collationem præceſſit, ſubſcripſiſſe legitur. Fuit verò in Provinciâ Numidiæ Guirenſis Epiſcopus; meminit enim Notitia Martialis Guirenſis.* Plura peccat. In primis Lucilli nomen diminutivum implet, augetque, *Lucianum* efformans. Rurſus Guiræ, ſeu Giræ, in Numidiâ duos ſimul Coepiſcopos donat; nam ſuperiùs alterum Lucianum itidem Girenſem pronunciaverat. Denique Lucilli urbem ignotam putavit, cùm disertè deſignetur ab Auguſtino lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. ubi loquens de miraculis poſt delatas in Africam anno 416. Sancti Stephani reliquias, ait: *In caſtello Sinitenſi, quod Hipponenſi coloniæ vicinum eſt, ejuſdem loci Lucillus Epiſcopus &c.* In excuſis codicibus legitur *Synitenſi*; ſed quatuor codices MSS. in bibliothecâ Sereniſſimi Magni Ducis disertè habent: *in caſtello Sinitenſi.* Auguſtinus in Epiſtolâ 128. ad Donatum Proconſulem Africæ, mentionem facit colonorum, quos hic habebat in *Sinitenſi vel Hipponenſi* agro. In eodem lib. de Civit. Dei Sanctus Doctor Lucilli deceſſorem deſignat inquiens: *Collega tunc meus Epiſcopus Sinitenſis Eccleſiæ Maximinus.* In editis codicibus *Synicenſis* itidem legitur, ſed ex Epiſt. 163. textus emendandus eſt, ubi ſcribens Sanctus Pater ad Donatiſtas ait: *Modò præconem miſiſtis, qui clamaret Siniti, quiſquis Maximino communicaverit, incenderetur domus ejus.* Maximinus ex Donatiſtâ factus erat Catholicus.

Sabinus Tuccensis *Tucca gemina eſt in Africâ; altera in Mauritaniâ Sitifenſi ad Serpetem fluvium: altera in Numidiâ penè mediâ, ut habent Ptolomaicæ Tabulæ. De Numidiæ Epiſcopo intelligi debet collatio &c. In concilio certè rebaptizantium utrinſque Tuccæ Epiſcopi ſententiam dixerunt: alter qui* confeſſor Saturninus, *quinquageſimo ſecundo loco, alter qui* Honoratus *ſeptuageſimo ſeptimo.* Longis erroribus agitur, malis avibus arduum opus aggreſſus. In primis quatuor Tuccæ in Africâ memorantur, & Sabinus non Tuccenſis, ſed fortè Tuncenſis Epiſcopus fuit. Ptolomæus prioris Tuccæ meminit in Mauritaniâ Cæſarienſi: alteram ponit inter urbes Numidiæ novæ: tertiam inter Bagradam amnem & Tabracam: quartam Antoninus locat in Byzacio, vel Proconſulari; nam in itinere ab Aſſuris Thenas ait: *Aſſuris Tuccam Terebinthinam M. P. XV. Sufibus M. P. XXV.* Erat ergo Tucca Terebinthina media inter Aſſuros, quæ eſt urbs Proconſularis, & Sufes Byzacenas: Utri deputanda, incertum. Ille verò duas tantùm Tuccas novit, quarum unam ad Serpetem fluvium in Mauritaniâ Sitifenſi, alteram in mediâ Numidiâ ponit. Plinius Tuccæ Sitifenſis ſitum exactè tradit lib. 5. cap. 2. *Oppidum*, inquit, *Tucca impoſitum mari, & flumini Ampſagæ.* Itaque erat in confi-

Digitized by Google

confiniis provinciæ Mauritaniæ Sitifenſis, quæ Ampſaga flumine à Numidiâ ſeparabatur. Concinunt Tabulæ Peutingerianæ, ubi hæc leguntur: *Tucca fines Mauritaniæ, & Africæ.* Meminit Dio Caſſius lib. 4°. Tuccæ civitatis ſub T. Seſtio Præfecto Numidiæ pro Antonio Triumviro. In Notitiâ Sitifenſi memoratur *Uzalus Thuccenſis.* Rursùs Tuncam Sabini Epiſcopi perperam in meditullio Numidiæ ſtatuit. Nam Petilianus Epiſcopus Conſtantinienſis Donatiſta in Collatione cap. 65. hæc dixit: *Nam etiam in plebe præſentis ſanctiſſimi* (mulus mulum fricat) *collegæ ac fratris mei Adeodati, ideſt in civitate Milevitanâ, ita commiſſa res eſt, ut unum ibidem habeat adverſarium, alterum in Tuncenſi civitate, qui ad hujus ſcilicet plebem antiquitùs pertinet, & ante biennium videtur eſſe conſtitutus.* Hic ipſe erat Sabinus; etenim cap. 130. edit. Labbei hæc habentur: *Sabinus Epiſcopus Tucenſis. Idem dixit: Præſto ſum. Adeodatus Epiſcopus dixit: in diœceſi meâ eſt ordinatus.* Itaque Tunca, ſeu Tucca, nolo enim de nomine cum Garnerio contentionis funem ducere, erat in diœceſi Milevitanâ. At Milevis, quam Mileum Antoninus vocat, diſtabat Cirtâ versùs Ampſagam M.P. XXV. & in Tabulis Peutingerianis ſcribitur *Milevir colonia*, & ponitur infrà Ruſiccadem, quæ Cirtâ aberat ex Plinio XLVIII. M. P. Cirta non erat in mediâ Numidiâ; nam diſtabat Hippone Regio M. P. XCIV. & Numidia ultrà Hipponem Tabracam uſque ultimum provinciæ limitem versùs Orientem, protendebatur M.P. LXIV. Milevi Cuiculum extremam Numidiæ urbem versùs Occidentem erat iter M. P. L. Tabracam verò M.P. CLXXXIII. euntibus ad Proconſulares. Hæc ex Itinerario Antonini patent. Itaque Tunca, quæ erat in diœceſi Milevitanâ, non erat in mediâ Numidiâ, ſed ſuprà Cirtam versùs Sitifenſes. In Tabulis Peutingerianis res ad oculum patet. Hinc etiam deduco neutrius Tuccæ, quas ex Synodo Sancti Cypriani laudat, Sabinum Epiſcopum fuiſſe; nam illæ urbes ſuos habebant Epiſcopos antè annum epochæ Chriſtianæ 258. quo Cyprianus martyrium ſubiit; oppidum verò Sabini *antè biennium* quàm collatio Carthagine haberetur, nempè anno 409. Epiſcopali primùm dignitate ornatum fuit, cùm *antiquitùs* intrà diœceſim Milevitani Antiſtitis cenſeretur.

Faustinus Sillitanus. *Ita in Collatione legitur. In Notitiâ verò Numidiæ fit mentio Maximi Sillitani, qui periit in itinere ad exilium.* In eadem omnino paginâ duos Fauſtinos Sillitæ Epiſcopos anno 416. Milevitanæ Synodo præſentes facit. Error immanis, qui non modò memoriæ, verum etiam oculorum propemodum defectum indicat: ſi tamen vigilans ea ſcripſit. Mirare interim, notas iiſdem omnino verbis concinnatas, utrique Fauſtino ſupponi. Sanè quæ de hoc Fauſtino repetuntur, dici nequeunt *nec ſinè curâ, & labore* exarata: quid enim faciliùs eſt quàm exſcribere?

Faustinus alter. *Vel hic, vel iſte Sillitanus fuit; alteruter ignoratæ ſedis.* Nec iſte, nec ille Sillitanus fuit, niſi prior Fauſtinus, quem in Sillitanâ ſede locaverat, deſiciatur. Cæterùm tertius hic Fauſtinus emergit in Milevitanâ Synodo uni Garnerio cognitus, cæteris hucuſque ignoratus. Hi quidèm tres Epiſcopi in epigraphe numerantur vel apud ipſum Garnerium, SABINUS, FAUSTINUS, CRESCONIUS, At ille eadem auctoritate, quâ novas urbes condit, quâ binos in unâ ſede Epiſcopos locat, quâ civitatum & Præſulum nomina detruncat, auget, commutat, eadem, inquam, auctoritate FAUSTINUM nuper domi ſuæ natum Epiſcopum, ſinè tractoriâ Synodo intrudit, cum jure ferendi in Pelagianâ causâ ſuffragii. Contineo impetum, ne Epiſtola in ſatyram migret; vereor tamen ne ipſe riſum continere poſſis, dum hæc *non ſinè curâ* à Garnerio ſcripta audis, qui ne ullus in numerandis Epiſcopis error obreperet, epigraphis iterum legendæ curam dimiſit.

Cresconius Tubiniensis. *Cùm quinque Creſconiorum nomina ſint inſcripta Synodicæ, ſcire quidèm poſſumus, quæ ab iis indefinitè Eccleſiæ in Numidiâ rectæ fuerint, definire non poſſumus, quæ à ſingulis. Creſconius Tubinienſis aliquis appellatur in Collatione, ponitur verò in Notitiâ Numidiæ Reparatus Tubunienſis.* Scribendum eſt ubique *Tubunenſis*, ut in Notitiâ. In Synodo rebaptizantium appellatur apud Auguſt. lib. 6. de Bapt. cap. 12. *Nemeſianus à Tubunis*; idem pariter Epiſt. 70. *Tubunas* nominat; Sed nec addita cautio vel parùm hominem juvat. Undè habet quinque Creſconios, qui anno 411. collationi interfuere, anno 416. adhuc ſuperſtites fuiſſe, ne uno quidèm intra quinquennium defuncto? Itane quinque Creſconiorum numerus pleno quinquennio elapſo non decrevit, auctore Garnerio qui de Delphino ſcribens, brevi biennii ſpatio octodecim in unâ provinciâ Epiſcopos, ut oſtendam, diem obiiſſe publicat? Cur nec unus ſaltem illorum Creſconiorum domi remanſit, vel nullus ejuſdem nominis Epiſcopus intrà quinquennium conſecratus Milevim perrexit? His addo alteram fuiſſe Tubunam in Mauritaniâ Cæſarienſi ex Notitiâ memoratâ, & in alterutrâ urbe ſedit Nemeſianus, quem ex Cypriani Synodo appellabam.

Victor, Gignantius, & Possidonius. *Incertæ ſedis.* Quid illi mali intulit *Victor Epiſcopus Cullitenſis*, qui cap. 125. in Collatione nominatur? Fuit enim Cullu, ſeu Colops magnus, Numidiæ oppidum Plinio, Ptolomæo, Antonino, aliiſque in Numidiâ memoratum, cujus ſitum in littorario illius provinciæ itinere exhibent Tabulæ Peutingerianæ. Solinus cap. 27. de Numidiâ agens: *Urbes*, inquit, *in ea quam plurimæ, nobileſque, ſed Cirta eminet, dein Cullu purpureo fuco Tyriis velleribus comparata.* Hæc ille.

Antonius forte Antonianus Lamfortensis. *Cujus mentio eſt in Collatione; Lamfortenſem porro Eccleſiam pertinuiſſe ad Numidiam, probat Notitia Epiſcoporum Numidiæ, cùm recenſet inter confeſſores Felicem Lamfortenſem.* O quàm turpiter illi vertit, ex Antonio finxiſſe Antonianum! Nuſquam infeliciùs hallucinatus eſt; etenim Catholicum Epiſcopum in hæreticum commutavit. In Collatione cap. 149. poſt Januarium, & Primianum Donatiſtarum Primates, ferè ſtatim recitatur *Antonianus Epiſcopus Lanſortenſis*, qui cap. 163. cùm iterùm inter Donatiſtarum turbam nominaretur, dixit: *Non illic habeo adverſarium.* Peſſimus enim Donatiſta totam diœceſim in parte Donati omni ſtudio tenebat. Et hunc Donatiſtarum primipilum, tanquam Saul inter prophetas, locat Garnerius inter Catholicos Epiſcopos Synodi Milevitanæ? Eſt-ne iſta *immenſa eruditionis copia, quâ vix non obruitur Chriſtianus Lupus?* Omitto quòd hujus hæretici Eccleſia non *Lanfortenſis* dicenda eſt, ſed *Lanſortenſis.* Ita legitur in Collatione, cujus teſtimonium proximè laudabam, in Notitiâ appellatur *Felix Lanſortenſis*: in Synodo Bonifacii Anno 525. *Florentius Lanſortenſis.* Dum audio Garnerium

ex

ex Antonio Antonianum, hoc eſt, ex Catholico Hæreticum efformare, non poſſum non repetere lepidum Hieronymi dictum in apologiâ priori contrà Ruſinum, qui Euſebii Ariani pro Origene librum Sancti Pamphili Martyris titulo prænotatum publicaverat: *cùm tantam*, inquit, *habeas licentiam nominum immutandorum, ut de Euſebio Pamphilum, de hæretico Martyrem feceris, cavendus homo, & mihi maximè declinandus, ne me repente dum neſcio, de Hieronymo Sardanapalum nomines.* Hæc ille. Poterat Garnerius Antoniano Donatiſtâ in malam crucem abire juſſo, legere caput 133. Collationis, ubi ponitor inter Catholicos *Antonius Epiſcopus plebis Mutugennenſis.* Holſtenius hanc Eccleſiam in Numidiâ ponit. Auguſtinus *villam Mutugennam* in territorio Hipponenſi recenſet Epiſt. 204.

Innocentius Germanienſis. *Ita legitur in Collatione. Eſt autem Germanienſis civitas in Numidiâ, ut conſtat ex Notitiâ: cenſetur enim inter confeſſores Numidas Epiſcopos Creſcentianus Germanienſis.* Si ab anno 411. ad annum 416. Innocentius Germanienſis ſuperſtes fuit, nulluſque alius hujuſce nominis Epiſcopus inter CXXIII. Numidiæ Antiſtites extitit, verum dicit.

Præsidius & Crescentius. *Incertæ ſedis.* Nuſquam ſecuriùs ſibi conſulit, quàm cùm ita loquitur.

Felix Tubiensis. *Ita legitur in Collatione. Tubienſem verò Eccleſiam non procul à Villaregenſi poſitam, atque adeo in Numidiâ collocandam, colligi poteſt ex can. 48. Cod. Africanæ Eccleſiæ.* Vidiſti ex eodem canone oppoſitum evidenter deduci. Dixi etiam Holſtenium pag. 65. & 96. Tubienſem Eccleſiam cum Tubunienſe confundere: cùm tamen eidem Collationi interfuerint ex cap. 121. *Felix Tubunienſis*, & ex cap. 133. *Felix Tubienſis*, ambo Catholici Epiſcopi.

Antonius Fussalensis. *Ita quidèm mihi videtur, quamvis nulla ipſius mentio in Collatione fiat, fortè quia nondum ordinatus fuerat.* Quo ergo jure hic Antonius poſt annum 411. ordinatus, ſedit in Synodo Milevitanâ antè Donatum, Lampadium, & Delphinum, quos eidem Collationi adfuiſſe Garnerius mox ſcribit? Junior antiquiores Epiſcopos ex can. 53. Cod. Africani præcedere non poterat.

Victor *Ignotæ perinde ſedis, atque alter mox appellatus.* Hæc de utroque Victore ſcribens, nec oleum, nec operam perdit; quemadmodum malo eidem fato in aliorum ſedibus deſignandis contigit.

Honoratus Thabennensis. *Cur autem Honoratum, qui Milevitano huicce Concilio interfuit, Tabennenſem potius putem, quàm Moſtarienſem, ſeu Matarienſem, qui recenſetur inter Epiſcopos in Collatione, licèt ipſe quoque ad Numidiam pertineat, perinde ac Thabennenſis, facit Thabennenſis ſanctitas, familiaritaſque cum Auguſtino, cujus impulſu Synodus coacta eſt, à quo velut res ſua propter fidei ſtudium procurata, amicit, reor, non ſinè invitatione prætermiſſis.* Et anteà. *Suſpicatur Ortelius Thabennam eamdem eſſe cum Thabbâ, quæ nota fuit Ptolomæo. Suſpicionem non epinor levem.* Cùm Thabenæ nec Plinius, nec Ptolomæus, nec Strabo meminerint; imò cùm ejuſdem Epiſcopalis ſedes omiſſa fuerit à Carolo à Sancto Paulo, & Holſtenio, licet ex D. Poſſidio cap. 30. de Vitâ Sancti Auguſtini *Honoratus Thabenenſis Epiſcopus* innoteſcat, Garnerius in tanto Scriptorum ſilentio, ſinè teſte, Thabenam Numidiæ adſcribit. Unus A. Hirtius Thabenam oppidum, ejuſque ſitum egregiè tradit in libro de Bello Africano: *Thabenenſes*, inquiens, *qui ſub ditione & poteſtate Jubæ eſſe conſueſſent, in extremâ ejus regione maritimâ locati, interfecto regio præſidio, legatos ad Cæſarem mittunt. Cæſar eorum conſilio probato M. Criſpum Tribunum cum cohorte, & ſagittariis, tormentiſque compluribus præſidio Thebenam mittit.* Tres id temporis in Africâ reges erant. Juba Maſiniſſæ pronepos mediterraneam Numidiæ regionem à Cirtâ uſque Zamam poſſidebat, itemque Mauritaniam Sitifenſem uſque ad Mulucham fluvium. Inde Bocchus Mauritaniam Cæſarienſem regebat; de quo hæc habet Dio lib. 49. *Fuit is Rex Mauritaniæ Cæſarienſis.* Poſtremus in Mauritaniâ Tingitanâ rerum potiebatur Bogud, ex eodem lib. 48. Jubam poſt occiſum cum copiis Curionem pro Cæſare in Africâ ducem, Pompejus eique adhærens Senatus Regem dixerat; quo tempore Bocchus, & Bogud eadem dignitate à Cæſare inſigniti ſunt, quæ ex Dione lib. 41. initio ferè belli civilis contigere. Juba tamen anteà jure regio Getuliam, ac Libyam tenebat; cùm enim Curio eſſet tribunus plebis, tentaverat ejecto Jubâ, regnum in provinciam Romanam redigere, teſte Cæſare lib. 2. de bello civili. Curio autem geſſerat tribunatum ex Dione lib. 40. Marcello, & Ruffo Conſ. biennio antequam à Jubâ occideretur. Plinius hæc ſcribit lib. 5. cap. 2. de Mauritaniâ Tingitanâ, & Cæſarienſi. *Namque diu Regum nomina obtinuere, ut Bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi, quæ nunc Cæſarienſis. Ab ea portus magnus à ſpatio appellatus, civium Romanorum oppidum; amnis Mulucha Bocchi Maſſeſulorumque finis.* Verùm olim poſt bellum Jugurthinum, ut ait Rufus, *in populi Romani poteſtatem Numidia venit.* Quæ quidèm de regione maritimâ Numidiæ, quæ fuerat ditio Adherbalis à Jugurthâ occiſi intelligenda ſunt ex Saluſtio cap. 26. de bello Jugurthino; Zamam enim, & Cirtam regias in mediterraneis illius provinciæ urbes Cæſar Jubæ abſtulit; unde ea Numidiæ pars *provinciæ novæ* nomen ſortita eſt, auctoribus Appiano, & Dione. Quarè ſi Thabenenſes erant *ſub ditione Jubæ in extremâ ejus regione maritimâ locati*; ſanè erant in orâ maritimâ Mauritaniæ Sitifenſis non procul à Muluchâ, quæ Mauritaniam Cæſarienſem Bocchi regis ſpectabat. Et quidèm aliquam Mauritaniæ partem Jubæ ſubditam fuiſſe, palam ex A. Hirtio intelligimus, qui ſcribit Regem, cùm deſtinaſſet in Byzacium cum exercitu ad Scipionem pergere, Saburam cum aliis copiis in Mauritaniam miſiſſe, ne Rex Bogud, & Sitius Cæſaris præfectus ab alterâ parte ipſius regnum invaderent. Hinc apud Florum l. 4. c. 2. legitur *Mauritaniæ Rex Juba.* Addit idem Hirtius ferè in calce operis: *Publius interim Sitius, pulſo exercitu Saburæ præfecti Jubæ, ipſoque interfecto, quum iter cum paucis per Mauritaniam ad Cæſarem faceret, fortè incidit in Fauſtum, Afraniumque &c.* Erat id temp[ore] Cæſar Uticæ in Proconſulari. Itaque illa Mauritaniæ pars, quæ olim Micipſæ, & Hiempſali illius filio parebat, & poſteà ex diviſione à legatis Romanorum factâ, Jugurthæ tradita fuit, in Jubæ Hiempſalis filii poteſtatem venerat, in cujus maritimâ extremâ regione Thabenenſes ab Hirtio ponuntur. Hæc me fortaſſe curioſiùs proſecutum dices; ſed rei obſcuritas id exegit; ſæpiùs enim illorum Africæ regum fines à Romanis mutati ſunt, ut optimè ex Strabone lib. 17. & Dione noveris. Quòd ſi Garnerius in extremo quodam ac ſibi tantùm noto Numidiæ angulo ad Mediterraneum Thabenam fuiſſe contendat, unum ſaltem teſtem appellare debet, ut tot teſtimoniorum, quæ adduxi, fidem labefactet. Ex his intelligis, ſuſpicionem

nem illam de Thabenâ cum Ptolomæi Thabbâ confundendâ, quam *non levem* opinabatur, eſſe prorsùs vaniſſimam; ſiquidèm Ptolomæus Thabbam ponit in regione ſitam inter fluvios Bagradam, & Tritonem, quorum primus propè Uticam in Proconſulari, alter propè Tacapem in Byzacio mari miſcetur; & tempore belli civilis nullum oppidum maritimum in eo tractu à Jubâ tenebatur; ſed vel Cæſarianis, vel Scipionis, & Catonis præſidiis omnes illæ urbes inſeſſæ erant, ut ex commentariis Hirtii, Appiani; & Dionis apertiſſimè conſtat.

DONATUS BURITANUS, ſeu BURCENSIS. *Ita in Collatione. Ubi verò poſita fuerit Burca illa civitas, cujus Eccleſiam Donatus rexit, incertum eſt. In Notitiâ Epiſcoporum Numidiæ fit mentio Leontii Burcenſis.* Omnia prorsùs invertit. Scribitur in cap. 133. Collationis *Donatus Epiſcopus plebis Buritanenſis.* At excellentiſſimus immutandorum nominum artifex ex Buritanenſi Burcenſem reddit, ut in Numidiâ cenſeatur, cùm Buritana Eccleſia incertæ provinciæ ſit. Rursùs ſuperiùs in notis ad *Servum dei*, dixerat hunc ſediſſe Buræ tempore Collationis, quâ in urbe poſteà anno 484. ut in Notitiâ habetur, fuit Epiſcopus, ut ille ait, *Leontius Burenſis.* At hunc ipſum Leontium modò affirmat fuiſſe ſucceſsorem poſt plures medios Donati Buritani, ſeu Burcenſis, qui eidem Collationi adſuit. Suſpicor Buritanam Eccleſiam ſpectaſse ad Proconſularem: nam act. 2. Concilii Sancti Martini inter illius provinciæ Epiſcopos ſubſcribit Synodicam *Creſciturus Buſitanus*, qui fortè Buritanus dicendus eſt; ni potiùs è contrà Donatus Buſitanus appellandus videatur. Rem in medio relinquo.

PETRUS, PRÆSIDIUS, & CRESCONIUS. *Incertæ ſedis.* Hic ſextus Creſconius tardè venit ad Garnerium, qui cum quinque aliis anteà nominatis in epigraphe Creſconiis, ſedes in Numidiâ deſtinaſset, duabus etiam urbibus Titulitanâ ex Proconſulari, & Tubienſi ex Mauritaniâ Sitifenſi in Numidarum cenſum translatis, ne quis Creſconiorum extrà Numidiam ſacris præeſset, nullam poſteà in hac provinciâ, imò nec in finitimis urbem habuit reliquam, ad quam ſextum Creſconium Epiſcopum mitteret. Doleo iſtius Antiſtitis vices, qui ſacris omnibus civitatum Africæ præfecturis à Garnerio aliis Creſconiis pro libito diſtributis, remanet *incertæ ſedis* Epiſcopus.

LAMPADIUS TISEDITENSIS. *Ita quidèm in Collatione: at Tididitanus potiùs dici debet. Nam Notitia Numidarum Epiſcoporum meminit Abundii Tididitani.* Imò Notitiæ textus ex Collatione fortaſſe corrigendus eſt; hic enim etiam inter Donatiſtas memoratur cap. 198. *Donatus Epiſcopus Tiſeditenſis;* cujus quidèm nomen capiti 134. inſerendum eſt, ubi Lampadii Tiſeditenſis adverſarius non legitur, lacunâ ibidem exiſtente. Hanc urbem egregiè deſignat Salluſtius in bello Jugurthino cap. 62. ubi tradit Metello Romani exercitûs Imperatore contrà Jugurtham Numidiæ Regem in hac ipsâ provinciâ bellum gerente, pro componendâ pace, eundem Jugurtham *Tiſidium* accitum. Itaque Lampadius Tiſiditenſis, vel Tiſiditanus dicendus eſt, non Tididitanus. Lampadii urbem Tiſidium omiſit Carolus à Sancto Paulo, Holſtenius incertæ provinciæ adſcripſit; quam tamen fuiſſe in Numidiâ conſtat ex Salluſtio. Cæterùm vix adduci poſſum, ut credam Lampadium, qui in epigraphe nominatur, adfuiſſe Collationi, ut ſtatim oſtendam.

DELPHINUS. *Incerti nominis Eccleſiam rexit; vicinam tamen Conſtantinæ, ut colligitur ex cap. 65. Collationis, ubi Petilianus Donatiſta interlocutus:* In plebe meâ, *inquit*, id eſt, civitate Conſtantinenſi, adverſarium habeo Fortunatum, in medio autem diœceſis meæ nunc inſtitutum habeo, imò ipſi habent, nomine Delphinum. *Meminit hujuſce Delphini Auguſtinus Epiſt.* 158. *&c.* Hic Epiſcoporum epigraphis agmen claudit; in quo quidèm vellem cum Garnerio convenire, ut poſtquam in literariâ palæſtrâ diutius cum eodem luctatus ſum, amico ergà eundem animo ex certamine diſcederem, & ubi delphini imminentem procellam nautis indicant, ita hic Delphinus è contrà commotam hucuſque geographicam tempeſtatem, in quâ Garnerius naufragio proximus fuit, illatâ tranquillitate ſedaret. At novi iterum difficultatum fluctus inſurgunt. Res altiùs, licet paucis repetenda eſt. Anno 411. Petilianus in Collatione ita Marcellinum judicem allocutus dicitur cap. 165. cùm plures Epiſcopi Catholici gloriarentur ſe ſuis in urbibus non habere Epiſcopum Donatiſtam: *Lucrum enim videtur his cedere, qui multos ſe adversùs noſtros habere per hanc provinciam oſtenderunt, ſi in provinciâ Numidiâ non oſtendamus, eos penitùs non habere aut habere certè, ſed raris locis.* Quæ licèt ab hæretico olim cauſidico, emphaticè dicta ſunt; illud tamen conſtat hæreſim Donatiſtarum, quæ ut ait Auguſtinus Epiſt. 134. ad Pammachium, *in mediâ conſulari Numidiâ* ortum habuerat, iſtius provinciæ urbes ita pervaſiſſe, ut plures Epiſcopum ſolummodo Donatiſtam ſinè æmulo Catholico Antiſtite id temporis haberent. Hæ præſertim Eccleſiæ à ſolis Donatiſtis Epiſcopis occupatæ in Collatione recitantur, *Lamfortenſis* cap. 143. *Idaſſenſis* cap. 182. *Legenſis*, *Lamiggigenſis*, *Rotarienſis* cap. 187. *Tibilitana* cap. 197. *Ruſticianenſis* cap. 198. *Lambiritenſis* cap. 206. & aliæ plurimæ, ut ex interlocutione frequenti Aurelii Macomadienſis Numidarum Epiſcopi non obſcurè colligitur. Rursùs tempore Collationis vacabant Catholicorum cathedræ per ſex Africanæ diœceſeos provincias *ſexaginta quatuor* cap. 215. quarum ut minimùm decem fuere in Numidiâ, cùm in Tripolitanâ provinciâ quinque ſolùm Epiſcopi numerarentur. Peractâ Collatione victi Epiſcopi Donatiſtæ atque urbibus pulſi ab Honorio Imperatore, ſolum vertere coacti ſunt, ut patet ex Cod. Theod. *L.* 54. *&* 55. *de hæreticis dat. Conſtantio & Conſtante Coſſ.* anno 414. Tunc à Catholicis Epiſcopis in omnibus Africæ urbibus, ubi priùs hæretici ſacra miniſtrabant, Orthodoxi Antiſtites conſecrati ſunt, & viduatis cathedris novi Præſules aſſignati. Itaque in Numidiâ viginti ſaltem Epiſcopi paulo poſt annum 411. inaugurati ſunt, quos omnes Delphinus jam ab anno 411. antè Collationem Epiſcopus præcedebat. Itaque ſi hic ille idem eſt, qui poſtremus in titulo Synodicæ Milevitanæ recitatur, nullus illorum viginti Antiſtitum poſt annum 411. ordinatorum ad Synodum anni 416. ſe contulit. Quæ quidèm unus Garnerius ſibi perſuaſerit. Prætereà idem Petilianus in Collatione cap. 65. de Sabino Epiſcopo Tuneenſi dixit: *antè biennium videtur eſſe conſtitutus.* Quarè anno 409. Sabinus primus apud Tuneam Epiſcopus ſedit. Ibidem autem Petilianus teſtatur Delphinum *nunc inſtitutum* Epiſcopum in diœceſi Conſtantinenſi: nempè anno 411. ut proximè notabam. Cùm verò in epigraphe inter Sabinum & Delphinum octodecim Epiſcopi nominentur, ſi hic Delphinus ille eſt, cujus mentio fit in cap. 65. Collationis, affirmare debet Garnerius, intrà biennium octodecim in unâ provinciâ

vinciâ Numidiæ Epiſcopos diem obiiſſe, ac totidem ſubrogatos, qui medii leguntur inter Sabinum & Delphinum. Quæ ſinè tabulis, ſinè teſte non credam. Verùm qui tot novas in Africam urbes tranſvexit, peſtem aliquam Numidiæ fortè importabit, quâ intrà biennium tantam Epiſcoporum ſtragem latè propaget. Nec credo Numidas de tot ſublatis tam brevi ſpatio Epiſcopis de Garnerio conqueſturos; cùm Mopta, & altera Macomadia in eâ provinciâ momento conditis, ac in illius diœceſim tranſlatis urbibus Tituli, Tubiæ, Girbæ, Dionyſianæ, Zellæ, Ruſpioæ, & aliis, quæ finitimis, vel incertæ provinciæ adſcribebantur, tam arctè Numidas ſibi devinxerit, ut in lucri loco deputare poſſint, octodecim Epiſcopos ſtatim ab hoc ſuo Polioctiſte ſublatos, cùm factâ per eundem tot oppidorum acceſſione, provinciæ fines longè lateque protulerint.

Habes, Vir eximie, meum de Garnerii notis ad utramque epigraphen Epiſtolarum Concilii Carthaginenſis, itemque Milevitani judicium; in quâ quidèm cenſurâ levi, ut ajunt, brachio eaſdem repaſtinavi. Profectò dum leges hunc ſcriptorem tot Africæ urbes confudiſſe, multas ignoraſſe, quaſdam nuper excitaſſe, plurimas in alienæ diœceſeos jura tranſcripſiſſe, Epiſcoporum, eorumque urbium nomina pro libito variaſse, binos ſubinde Catholicos Antiſtites uni eidemquè oppido præfeciſſe, defunctos dudum Præſules præſentes Synodis finxiſſe, & Donatiſtas pro Orthodoxis Patribus obtrudiſſe, dum inquam, hæc portenta leges, jure optimo pronunciabis in Garnerium, cùm opus, quod *à nemine hactenus tentatum* ſcribit, illotis, ut ajunt, pedibus aggreſsurus, in Africam tranſmitteret, illud Auguſti apophtegma regeri potuiſse, qui teſte Macrobio lib. 2. Saturnal. cap. 4. Nomenclatori ſuo ſatis obliviofo dixit: *Accipe commendatitias, quia illic neminem noſti.* Plinius ille noſter Veronenſis lib. 15. cap. 18. ſcribit, recentes ficus è Carthaginenſium hortis tridui tantùm navigatione Romam delatas, ac Patribus conſcriptis à Catone oſtenſas, Senatus conſultum de æmulâ ac Latino nomini ſemper infeſtâ urbe evertendâ, invitis ferè extorſiſſe. Hinc ipſe pariter recentes geographiæ fructus, quos, te jubente, in Africâ parumper cenſorio ſtylo verſatus decerpſi, tuis oculis ſubjicio, quo tot urbes nuper à Garnerio per Africam extructas, non dicam ſolo æquandas decernas, ſed quòd acriæ prorsùs ſunt, unico oris flatu diſpergas. Ille tamen teſtatur, *non ſinè curâ & labore* ſe aggreſſum opus, *quod hactenus tentavit nemo.* In quæ Garnerii dicta libeat hoc rudi carmine ludere.

MERCATORIS *opus, tantis quod mercibus auctum,*
Plurima Garneri cura laborquè *fuit.*
Extruit hic urbes: alias è ſede revulſas
Per Libyæ celeres currere regna jubet.
Jus habet in Manes; quando ad ſuffragia mittit,
Quos olim è vivis abſtulit atra dies.
Orpheus huic cedit: ſuper eſt Amphiona laude.
Quod ſemel bis actum, ſæpius ille facit.

Hìc tamen te monitum velim, ne feliciori aliis in ſcriptis Garnerii eruditioni quidpiam per me detractum putes; illum enim tanti facio, ut ſi ejuſdem de rebus Pelagianis commentaria hiſtoriam, quam de eadem hæreſi hoc anno Patavii typis excuſam emiſi, præveniſſent, mea ſtatim ſcripta (quod ſincerè affirmo, ac ſanctè juro) in angulum omnino projeciſsem; etenim plurima, quæ me primitùs eâ de re publicaturum arbitrabar, tam feliciter aſſecutus eſt, ut dubio procul plagii reus delatus fuiſſem, ſi poſt vulgatum Garnerii volumen, eadem repetere auſus eſſem. Fateor me in quibuſdam ab eo diſsentire; & ut cetera ſileam, nequeo approbare ejuſdem emendationem, quâ literarum Antiſtitum Pelagianorum textum corrigit. Nam diſsert. V. pag. 319. ex ſchedis à magno Sirmondo Veronæ Venetiarum urbe intrà diœceſim Patriarchæ Aquilejenſis inventis, ſibique communicatis, recitat libellum fidei Pelagianorum, quem ſcribit à Juliano Eclanenſi ad Sedem Apoſtolicam miſsum, in quo cum propè finem hæc legantur: *Illud etiam ſancte ac venerabilis Frater, & Pater Auguſtine, neceſsario reſpondendum putavimus*; & certum ſit, ut optimè probat, hæc illos non ſcripſiſse ad Sanctum Auguſtinum Hipponenſem, putavit errorem in vetuſtiſſimum codicem irrepſiſse, ac pro *Auguſtino* Zoſimum Papam reponendum; etenim Pelagianos Epiſcopos reſcribere ibidem ad ſuum Primatem, à quo hæreſim illam damnare per literas jubebantur, idem Garnerius luculenter demonſtrat. Labitur tamen vir eruditus; nam id temporis celebris erat Auguſtinus Aquilejenſis Primas Venetiarum, Hiſtriæ, Norici utriuſque, & Rhætiæ I. Audi Henricum Palladium, quo nemo diligentius, aut elegantius Aquilejenſium res in literas miſit: *Poſt Chromatium*, inquit, *eligitur Patriarcha Auguſtinus, quo tempore alter Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus eloquentiæ, & doctrinæ fluminibus hæreticorum vesaniam in Africâ obruebat.* In aulâ Patriarchali apud Utinum omnium Aquilejenſium Primatum elogia grandioribus, & pluſquam uncialibus characteribus antiquitùs deſcripta leguntur. Porrò ibidem poſt Chromatium, Auguſtino hoc epigramma inſcribitur.

AUGUSTINUS URBE ROMA A GOTHIS DEVASTATA
CONSTERNATOS AQUILEJENSIUM ANIMOS
JEJUNIIS ET SUPPLICATIONIBUS SACRIS
AD DIVINAM OPEM IMPLORANDAM EREXIT.

Scribit ibidem Palladius Auguſtinum Aquilejenſem ſedem indeptum fuiſse anno 414. eamque cum vitâ reliquiſse anno 422. dato eidem Adelpho ſucceſsore. Errorem Ugelli in utroque Primate haud ſuo loco ſtatuendo, ſcis me adnotaſse lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 12. Cùm Zoſimus anno 418. Pelagianos damnaſset, encyclicas ad Aquilejenſem, & Mediolanenſem Primates miſit, ut eaſdem ſuis in diœceſibus publicarent; quemadmodum paulo anteà damnatis Romæ ab Anaſtaſio Papa Origeniſtis, Chromatius Aquilejenſis Auguſtini deceſsor, & Venerius Mediolanenſis acceptis ab Apoſtolicâ ſede literis, itidem in ſuis diœceſibus per ſuffraganeos Epiſcopos Origeniſtas proſcribendos curaverant, teſte Hieronymo lib. 2. Apologiæ contrà Rufinum. Hinc Auguſtinus Primas Aquilejenſis Apoſtolicæ ſedis contrà Pelagianos decretum cum literis ad ſuarum provinciarum Epiſcopos miſit, quorùm nonnulli cùm Pelagianis erroribus tenerentur, memoratum fidei libellum ad Auguſtinum Primatem dederunt. Quàm verò altiùs in diœceſi Primatis Aquilejenſis apud Eccleſiaſticos præſertim, Pelagiana hæreſis radices fixiſſet, conſtat ex literis Septimii Altinatis ad S. Leonem Magnum, & hujus reſcriptis ad Primatem Aquilejenſem; de quibus fuſiùs egi in eodem lib. de Hæreſi Pelagianâ.

B Ad

Digitized by Google

Ad Garnerium redeo. Hic in ſuis notis publicandis *nonnullam ab eruditis lectoribus gratiam iniri* poſſe ſperabat; verùm tam infeliciter eâ in re calculos poſuit, ut in lucri loco eidem reponendum videatur, ſi tam denſæ errorum farragini veniam à lectoribus impetret. Hinc fatearis neceſſe eſt, viros eruditos quandoquè, ut tuo verbo utar, paratragœdiare, ac ſuis ipſorum ſcriptis nimiùm lenocinari, eadem confidenter æque ac audacter in oculos manuſque hominum mittentes, quæ tamen è re ipſorum eſſet, ſcrinio claudere, ac blattis corrodenda relinquere. Et quidèm, ut de me loquar; non quòd in eruditorum numerum venire auſim, ſed quia indoctorum, ut ait poëta, volumina paſſim ſcribentium turmæ accenſeor, exiſtimabam me ceteris diligentiùs in Pelagianâ Hiſtoriâ chronologiam tractaſſe: ſed quantùm mea me opinio ſefellerit, ſtatim intellexi; ſiquidèm vel in ipſo limine in prochroniſmum impegi. Nam in priori paginâ ſcripſi cum Baronio Sanctum Athanaſium anno 372. diem obiiſſe; imò quod cum pudore dico, laudans Proterii Alexandrini Paſchalem ad Leonem Magnum Epiſtolam, cùm ibidem ex epochâ Diocletiani, & charactere Paſchali evidenter deducatur, anno inſequenti ejuſdem obitum ſtatuendum fuiſſe. Plures meis in libris errores invenient rigidi cenſores, quorum agmen me manet: quibus, ubi me hallucinatum oſtenderint, gratias plurimas referam, quippe qui non meâ, ſed ipſorum curâ ac labore, non dicam doctior, ſed minus indoctus fiam; illud enim ſubinde Senecæ dictum repeto ex cap. 18. de vitâ beatâ: *Cum vitiis convitium facio, in primis meis facio.* Tu quidèm, Vir clariſſime, ſecurus ab hoc diſcrimine evades, qui magnum Philoſophum Socratem imitatus, nihil non dicam in literas mittis, ſed quod in te mirari tam ſæpè ſolitus ſum, tenaciſſimâ memoriâ fultus, ſuccenturiatis quibuſvè eiuſdem præſidijs dimiſſis, nè verbum quidèm unicum ſtylo alligas; ſed volumina devorans, tibi Muſiſquè inſtar Aſpendii canis, publici judicii aleam refugis, & nullo ſcribendi cacoëthe titillaris. Hinc te feliciſſimum puto, qui procul ab invidorum cenſuris, eximiis ergà literatos officiis nomen tanto nobilius poſteritati propagaſti, quanto dignius eſt, factis potius, quàm dictis nomen in æuum extendere. Plura juſtæ molis volumina Gallorum ac Batavorum typis excuſa, ac tibi certatim honoris gratiâ nuncupata, tot elogia ab eruditis quibuſvè Italis ſuis in libris tibi paſſim inſcripta ſunt, ut nullus poſterorum, quibus bonæ artes in amore erunt, ignorare unquam poſſit, vixiſſe Antonium Magliabecum de literariâ Republicâ ad invidiam uſquè benemeritum: ut illa tantùm poſtrema tuo nomini dies ſtare poſſe videatur, quæ peſſimo mortalium fato librorum ac literarum omnium altam oblivionem inducat. Ego ſanè nullum grati animi officium miſſum faciam, quo tibi quantulaſcunquè vices rependam. Etenim non modò prior doctiſſimis ac humaniſſimis literis me convenisti, verùm etiam Illuſtriſſimi Senatoris & Equitis Ferrantis Capponii generis nobilitate, rerum agendarum peritiâ, juris utriuſquè ſcientiâ, & magnâ etiam apud Principem gratiâ conſpicui, operam rogaſti, ut in Etruriam ſacræ eruditionis profeſſor vocarer. Annuit omnium gratiarum vir, quo ad beneficia pronior ne voto quidèm fingi poteſt; ſciebat enim Sereniſſimo Cardinali LEOPOLDO (quo in nomine magnum Mediceæ gloriæ incrementum, & literarum æque ac literatorum cultorem & Mæcenatem incomparabilem Orbis veneratur) nihil eſſe antiquius, quàm ut hiſtoria ſacra, quæ apud noſtrates exilium pati videbatur, patriam in Etruriâ cum honore reciperet. Hinc ampliſſimi Senatoris operâ factum eſt, ut Sereniſſimus Magnus Etruriæ DUX COSMUS Eccleſiaſticam Hiſtoriam, quæ publicis ſapientum conventibus excluſa, cum umbraticis quibuſdam hominibus in Italiâ ſub paupere tecto hoſpitabatur, regiâ manu prehenſam, in Piſanum Athenæum, hoc eſt in ſuam omnium ſcientiarum Regiam introduxerit, inſignemque eidem cathedram inauguraverit. Cùm ſapientiſſimus idemque prudentiſſimus PRINCEPS optimè intelligeret, unam Hiſtoriam magnorum Regum nomina ad poſteros cum laude tranſmittere, eandem tam nobili judicio, ac generoſâ munificentiâ demereri voluit: ut quando illum ſuprema & ſeris tantùm nepotibus nota dies cœlo inſeret; Hiſtoriæ munere in Etruſcæ gentis deſideriis, in omnium populorum, qui literas extrà barbariem norint, animis perenniter vivat. Et licèt illum ingens ergà Superos religio, rarus in ſubditos amor, eximius literarum cultus, ac ſollicita felixque gerendi imperii cura jam pridem Orbi univerſo ſpectabilem fecerint, ac grande iis, qui ſceptra moderantur, exemplum poſuerint; grato tamen Hiſtoriæ obſequio ultrà æuum per ora hominum feretur, iiſdemquè quibus virtutum ac literarum notitia, ſpatiis pervagabitur. Ceterùm cùm ſinguli felici Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſub Maximo PRINCIPE ſorti adgratulentur, ipſe hoc unicè doleo, quòd me nullâ ſacræ eruditionis ſupellectile ornatum, ejuſdem Hiſtoriæ primum in Piſanâ Academiâ profeſſorem deſignavit; vereor enim nè cum ſublimis ſit Hiſtoriæ majeſtas, interpretis vitio minor eſſe videatur. Unus tamen, Vir undequaquè eruditiſſime, ingentem animi moleſtiam minuis, dum è locupletiſſimâ bibliothecâ, quæ domi tuæ atrium, cubicula, angulos quoſque occupat, libros ſubinde ad me tranſmittis, ut tantæ eruditionis ſuppetiis firmatus, animum non deſpondeam. Te interim precor, ut me Sereniſſimo DOMINO, qui te æquè ac literas amat, commendatum facias, ut tanti PRINCIPIS patrocinio fultus, fœlici fauſtoque auſpicio demandatum munus aggrediar. Vale ac me, ut ſoles, ama.

ADVENTORIA

AMICISSIMO, AC DOCTISSIMO VIRO

F. FRANCISCO MACEDO

In Patavina Academia Ethices Interpreti

IN QUA

De Inſcriptione Libri Sancti Auguſtini
De Gratia Chriſti

Albine, Piniane, & Melania,

DISSERITUR

A F. HENRICO NORIS

VERONENSI AUGUSTINIANO

In Academia Piſana Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Profeſſore.

Poſteà S.R.E. Cardinali.



Digitized by Google

REVERENDIS. AC DOCTISSIME PATER.

ACceperam ab amico literas, quibus ſignificabat, te Venetiis Bononiam versùs ſolviſſe; neſcire autem ſe, quam in urbem improviſam hanc tuam peregrinationem deſtinaſſes. Idem etiam libellum, quem nuper Veronæ adversùs meam de quorundam veterum Lerinenſium doctrinâ ſententiam edidiſti, tranſmiſit. At ipſe volumen illud avidè legere, diligenter expendere, accuratè notare. Etenim ſperabam fore, ut ſuperatis Apennini jugis, de proximo Florentiam venires, eaque occaſione & ſincerè, & amicè aperirem, quid in libello tuo albis calculis, quid nigro theta ſignandum cenſerem. Verùm cùm Florentiam acceſſiſſes, adventum tuum tam ſtudioſè mihi celatum voluiſti, ut penè verear, ne antiquæ noſtræ amicitię hoc tuo ſilentio nuncium remiſeris; præſertim cùm nec unius libelli tui exemplar ad me deferendum curaveris. Ceterùm ne officiis, quæ pro jure veteris conſuetudinis à te expectabam, ipſe etiam deeſſe videar, quod ſperabam coram præſtare, literis exequor. Et quidèm, mi Macedo, non ſum tam bardus, aut ſtupidus, quin optimè intelligam, neminem mortalium quantalibet amicitiâ cariſſimum eſſe in amore Divis præferendum. Novi vetus adagium: *Amicus uſque ad aras.* Itaque ineptus judicer, ſi tantum mihi ab amico tribui velim, ut me plus, quàm ſuperos, amet. Utinam ſuſceptam pro doctrinâ Sanctorum Hilarii Arelatenſis, & Vincentii Lerinenſis defenſionem pro merito præſtitiſſes, & ex vetuſtis tabulis, atque antiquioris Eccleſiæ teſtibus rem feliciter confeciſses. Profectò multas tibi gratias agerem, plures etiam deberem, quippe qui duos celeberrimos Patres Auguſtini coætaneos, eidem Sancto Doctori in nullo dogmate adverſatos, ſed per omnia conſentientes oſtendiſses; nihil enim magis in votis habeo, quàm Auguſtinianam doctrinam communibus Patrum ſuffragiis comprobatam monſtrari. At cùm videam te paſſim rethoricari, omiſſis veterum monimentis, tuis imaginationibus indulgere, ac pro hiſtoriâ entia rationis, & ſecundas intentiones, ut dicitis, ſeu vana quædam tuæ mentis idola obtrudere, non poſsum non tuas vices dolere, qui bonæ cauſæ non æquè bonam advocationem commodaſti. Intrà ſex, vel octo dies nuperrimæ tuæ apologiæ confutationem ad umbelicum deducam, & palam faciam te Dalæi, Blondelli, aliorumque Proteſtantium ſententiam ſequi, munire, exaggerare: Baronii defenſionem verbo tenus abs te jactari, cùm eidem, etiam cùm patrocinium magno hjatu promittis, adverſere, & neglectis veterum ſcriptorum voluminibus, novas paſſim hiſtorias, hoc eſt, puras putas fabulas venditari. Ne tamen ad populum phaleras loqui videar, univerſi tui operis ſpecimen in unâ, & alterâ paginâ capitis ſeptimi in hac epiſtolâ exhibeo, tum ne fortè iis, qui ne leviter quidèm in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ verſati ſunt, fucum facias, tum etiam ut adventoriæ loco te in Urbe conveniat; ne qui in amore ergà te nemini cedo, amicorum tuorum, quorum centurias Romæ numeras, officiis ſuperer. Etenim nulla inter amicos officia laudabiliora verſantur, quam cùm ſuas apud amicos querelas ſinè ſequeſtro deponunt, animi arcana produnt, nihilque quod illorum rem attinet, celatum volunt. Et ſi quandoque à benevolentiâ, humanitate, ac veritate deflectant, eoſdem intrà orbitas ponunt, & ad officium revocant. Hæc integro volumine præſtabo, quod brevi extrà Italiam (Florentini enim Typographi variis libris, libelliſque imprimendis occupantur) nitidiſſimis characteribus excuſum, ad te tranſmittam, quamvis tu Florentiâ tranſiens nullam mihi libelli tui legendi copiam facere volueris, cùm tamen plurimi mea intereſset, noſcere per te errores, quos fugerem, cernere veritatem, quam conſectarer.

In capite ſeptimo prioris commentationis pro doctrinâ Lerinenſium à te ingenioſiſſimè concinnatæ, paginâ 51. veritus ne brevioris opuſculi tui lectio faſtidio proximior fieret, lepidam mihi de Albino quæſtionem facturus, ex arce cauſæ ad exilia, & ludicra quædam deſcendis, ut me univerſis irridendum exhibeas. *Sed ecce*, inquis, *ut moleſtum hoc opus lepore aliquo, & ſapore condiam, incido in locum Noris, in quo deſidero Grammaticam.* Quod autem hoc ipſum eſset ex præcipuis, quæ in tuo opere Lectoribus obſervanda duceres, in indice ſcripſiſti: *Noris imperitiæ Grammaticæ arguitur.* Næ poſtquam ibidem in proximâ paginâ ex ſacris Theologorum Academiis me ad Chronologos amandaſti, ſtatim ad Grammaticorum ſubſellia *ab Orbilio*, ut inquis, *caſtigandum* detrudis? Equidèm Lectores tanto abs te *lepore, & ſapore condita* ſcripta evolventes cum Terentio repetent:
Facetè, lepidè, lautè, nihil ſupra. O capitulum lepidiſsimum! In Eun. 3.1.3.

Ipſe autem doctiſſimi æquè ac ſanctiſſimi Nolani Antiſtitis ad Auſonium V.C. carmina tibi ingero.

Multa jocis pateant; liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem:
Ludere blanditiis urentibus, & malè dulces
Fermentare jocos ſatyræ mordacis aceto,
Sæpè poetarum, nunquam decet eſſe parentum.

Non tua ſcripta lepore condis, mi Pater, ſed meam mihi cutem, non ſecus ac elephantinam, tam multo ſale perfundis, ut cùm me *amiciſſimum* ibidem voces, procul dubio habearis *magni delator amici.*

Iniquiori autem loco me tecum congredi jubes, Juven. ſat. 2. 33.
dum ad Grammaticam provocas, quæ tuum regnum eſt, in quo tibi plaudis, ac triumphas. Etenim cùm ego nondum mammam, atque tatam loquerer, tu eloquentiæ Magiſter publicè Madriti Rhetoricam profitebaris, cui à teneris unguiculis ſtrenuam, atque indefeſsam operam navaveras, non ſecus ac ille,

Quem pater ardentis maſſæ fuligine lippus Idē ſat. 10.30.
A carbone, & forcipibus, gladioſque parante
Incude, & luteo Vulcano ad rethora miſit.

Profectò nunquam ab *amiciſſimo* viro, qualem te conteſtaris, tantum meo tergo periculi timuiſsem, ut ab eodem contrà me ſtringerentur *Orbilii* ſcuticæ,

Ferulæque triſtes, ſceptra pedagogorum. Mart. lib. 10. LXII.

Itane à meo Macedone, quem in editis voluminibus toties ſummis laudum præconiis extuli

Diſcipulorum inter jubeor plorare cathedras? Horat. ſat. 10.

Libeat Auguſtini ſententiam ſolidæ apologiæ loco tibi reponere lib. 2. con. Creſconium cap. 1. *Si enim*, inquit, *Demoſthenes clariſſimus Oratorum, cui verborum tanta fuit cura, quanta rerum auctoribus noſtris, cùm tamen ei nonnullam orationis inſolentiam objeciſſet Aeſchines, negavit ille in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, illone, an illo verbo uſus fuerit, & an huc, an illuc manum porrexerit; quanto minus nos laborare debemus de regulis derivandorum nominum, quando ſive hoc, ſive illud dicamus, intelligitur ſinè ambiguitate quod dicimus, quorum non in expolitione ſermonis, ſed in demoſtratione veritatis eſt major intentio.* Interim ne me timeas, *cui vides neceſſariam eſſe grammaticam.* Sed ne me tergiverſari putes, Grammaticorum ſcholam *ab Orbilio caſtigandus*, ut minitaris, ingredior.

Cum lib. 1. Hiſt. Pelag. cap. 15. expenderem inſcriptionem librorum Sancti Auguſtini de Gratiâ Chriſti, & de Pecc. Originali, nempè: *Sinceriſſimi fratres, dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania*, non admiſi correctionem Baronii, qui A. 409. pro *Albine* putavit *Albina* reponendum, *niſi*, addit ibidem, *præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius*. Etenim eâ ætate fœminarum nomina non ſemper fœmininâ terminatione efferebantur. Paulæ filia neutræ terminationis cognomen habuit, nempe Euſtochium. Imò mulierum nomina à Sanctis Patribus cum terminatione maſculinâ id temporis exprimi ſolita aſſirmavi. Ita *Albinam* junioris Melaniæ matrem paſſim *Albinus* in recto caſu vocatam indicavi. Auguſtinus præter inſcriptionem libri de Gratiâ Chriſti hunc titulum Epiſtolæ 227. dedit: *Albino, Piniano, & Meliano*. Ubi certum eſt, legendum eſſe *Melanio*. Hieronymus Epiſt. 79. ait; *Albinus, Pinianus, Melania ſalutant vos*. Poſſidius Calamenſis in indice librorum Sancti Doctoris Hipponenſis ſcribit libros de Gratiâ Chriſti, & peccato originali miſſos *ad Pinianum, Albinum, & Melaniam*. Sanctus Paulinus Epiſt. 44. quæ inter Auguſtinianas eſt 249. *Melanio* pro Melaniâ poſuit. Ita Patres, qui anno 400. florebant, Albinæ nobiliſſimæ fœminæ nomen ſcripſere.

Pag. 32 *Mira*, inquis, *certè ratio exponendi, nova, & incognita antiquis Priſcianis, & Donatis, & nuperis Deſpauteriis, & Nebriſſis, quam nulla tempora tulerunt, ut libera eſſet nominum inflexio, & promiſcuè maſculina, & fœminina declinarentur: atque adeò Albina pro Albino, & Melanius pro Melaniâ poneretur.*

Rectiùs dixiſſes, *Albinus pro Albinâ, & Melanius pro Melaniâ poneretur*. Sed hoc omiſſo, ad Donati, ad quod provocaſti, tribunal vador. Scribit lib. 5. de generibus: *Sunt præterea alia ſono maſculina, intellectu fœminina, ut Eunuchus comœdia, Oreſtes tragœdia, Centaurus navis. Alia ſono neutra, intellectu fœminina, ut Phronium, Glycerium, Sophronium, quæ mulieres ſunt.* Itaque Donato judice, nomen deſinens in *VS*, aliàs maſculinæ terminationis, ſi rei fœmininæ imponatur, retentâ terminatione maſculinâ, ſignificationem fœmininam induit. Ita *Eunuchus*, nomen eſt viri exſecti maſculinæ terminationis, & ſignificationis; at ſi imponatur uni ex comœdiis Terentii, non mutatâ terminatione, variatâ tamen ſignificatione, fit generis fœminini, & dicimus *lepidam Eunuchum* Terentii. Ægyptus fœmininæ ſignificationis nomen eſt; at ſi viro cuipiam id nominis imponatur, maſculini generis evadit. Horum ratio eſt, quia terminatio in *VS* eſt tantùm materia, & ſubſtractum nominis, ſola autem ſignificatio, Donato Magiſtro, ſortitur rationem formæ. Appello teſtem omni exceptione majorem Voſſium, qui lib. 3. Grammat. lib. 1. de analogiâ cap. 24. laudato prius Quintiliani teſtimonio ait: *Voluit igitur Fabius parem eſſe rationem in Murenâ & Glycerium, eoque ut virile eſt Murena* PROPTER SIGNIFICATIONEM, *etſi terminatio aliud requirere videatur: ita Glycerium eſſe muliebre, licèt ſit neutralis terminatio.* Quarè licèt hoc cognomen *Albinus* ſit terminationis maſculinæ, eo ipſo quod fœminæ imponatur, quomodo reapſe à tot Patribus impoſitum fuit, ſignificationem fœmininam ſubit, quæ optimè cum terminatione maſculinâ cohæret. Equidèm, mi dulciſſime Macedo, Heribertus Roſuveydus hiſce tuis ſcrupulis non tangebatur, cùm in præfatione ad lib. 8. de vitis Patrum num. 6. hæc notavit. *Proba Baronii divinatio: ſed non neceſſe Albinam pro Albino reſtituere.* CONSTAT *enim illo ſæculo fœminarum nomina etiam maſculinis terminationibus quandoque elata. Sic de fœminâ nunc* Melanius, *nunc* Melanium *apud veteres occurrit.* Hoc ipſum poſteà etiam confirmavit in notis ad Epiſt. 44. Sancti Paulini, ubi ait: MELANIO: *Intelligit ipſam Melaniam*, quæ nunc Melania, *nunc* Melanius, *nunc* Melanium *dicta. Ita videtur capiendus Auguſtinus Epiſtolâ* 227. Chariſſimis fratribus Albino, Piniano, & Melanio: *ita lego pro Meliano. Intelligit Albinam, & Melaniam, cùm apud Alipium Epiſcopum Tagaſtæ in Africâ verſarentur.* Video ut totus meus eſt Roſuveydus? quem ſanè ante oculos habui, cùm illa ſcriberem, & Baronii correctionem non admitterem. Tu verò inquis: *A Grammaticis Noris diſſentit ab Orbilio caſtigandus, nec Baronio timendus, quem obiter* Pag. 35 *pungere voluit, & ego vindicare.* Quid, Amice, cum Roſuveydo ages? Memento hunc illum eſſe, quem pag. 150. *auctorem eruditiſſimum, & elegantiſſimum* nuncupaſti; in indice ſcribis: *Roſuveydus auctor elegantiſſimus.* An fortè, ne mihi plagas condones, unà mecum Roſuveydum *ab Orbilio caſtigandum* dices? Cave tibi à tot ferulis, quas docti Roſuveydi ſodales in ſcholis ſtringunt. Vel *elegantiſſimi* titulum expunge, ſi in homine quoque quemadmodum in me, grammaticam deſideras. Vel ſi temeritati id proximum judicas, me quoque, qui Roſuveydi verbis locutus ſum, Orbilii ferulis exime. Hoc interim ſcias, mihi decretum eſſet malle cum Roſuveydo vapulare, quàm Grammaticas Macedonis regulas diſcere. Falleris tamen, ſi unum à me tibi Heribertum opponi putas. Habeo plures tùm veteres, tùm recentes, tùm Græcos, tùm Latinos ſcriptores, quibus pro me loquentibus, tu ne hiſcere quidèm audeas; ſed mirere tantùm, & forſitan doleas, neque enim

Hæc rixa eſt, ubi tu pulſas, ego vapulo tantùm. Juven. ſat. 3. 288.

Exemplum, inquis, *Euſtochii abre eſt, cum Euſtochium fuerit nomen proprium Virginis Paulæ filiæ, quæ* Pag. 51 *Euſtochia dici non potuit, cùm Euſtochium deberet, quemadmodum nec Glycerium apud Terentium in Andriâ Glyceria vocari potuit: erant quippe certa nomina terminata in um, quæ tum virorum, tum fœminarum propria erant: puta Dynacium, Pegnium virorum: Euſtochium, Glycerium fœminarum. Non erat igitur libera, nec promiſcua illa declinatio, ſed neceſſaria Grammatices conſtructio.*

Memento te in Grammaticorum ſcholâ verſari, à quibus vapularent diſcipuli, qui Euſtochium *nomen* proprium Virginis dicerent, erat enim cognomen filiæ Toxotii & Paulæ; illius autem nomen Julia erat. Scribit Hieronymus de D. Paulâ Epiſt. 27. *Juncta eſt Toxotio, qui Æneæ, & Juliorum altiſſimum ſanguinem trahit, unde etiam filia ejus virgo Euſtochium Julia nuncupatur.* Ex quibus corrigo Gandorpium, qui Toxotios Juniis accenſuit in Onomaſtico. Quod etiam ex Capitolino in juniori Maximino patet: *Deſponſata*, inquit, *illi erat Julia Fadilla proneptis Antonini, quam poſteà accepit Toxotius ejuſdem familiæ Senator.* Errat autem Gruterus, qui *Juniam Fadillam* legit. Sed de his aliàs; neque enim te, qui nomen Virginis pro cognomine poſuiſti, Orbilii ferulæ ſubjiciam: non ſum ergà amicum tam rigidus in Grammaticâ cenſor, qualem te ergà me profiteris. Notat Chifletius pag. 45. notarum in Epiſtolas Paulini Nolani in editis voluminibus in calce Epiſtolæ ad Pammachium *Euſtochium* legi, *cùm alioquin*, inquit, *Euſtochia ſcribatur in MSS. Puteano, & Viennenſi.* Codicem verò Puteanum vocat pag. 8. *perquam antiquum, & optimæ notæ.* Tranſeo ad Glycerium Terentii; video

déo enim te parum veterum monimenta callere, & præſertim Priſciani, quem alterum contrà me judicem, ſeu teſtem appellas. Notat Priſcianus, nomina fœminarum deſinentia in VM figuratè, non verò propriè ſic elata. Do ejuſdem verba ex lib. 6. *Inveniuntur tamen*, inquit, *apud Comicos multa hujuſcemodi Græcorum nomina quibus articulos fœminini generis neceſſariò ſignificationis gratiâ præponere ſolent ἡ Δόρκιον hæc Dorcium, ἡ Γλυκέριον hæc Glycerium; hoc autem ſolet fieri adulationis cauſâ, ſivè diminutionis ætatis.* Idem lib. 5. ſcribit nomina fœminarum deſinere in VM *figuratè, ut Glycerium mea, Dorcium, & Philotium.* Quarè ſi Glyceria per imitationem tantùm Græcorum à Latinis Glycerium dici potuit, propriè, & rectè, hoc eſt, latinè loquendo Glyceria, non Glycerium dici debuit. Quid ergo ais: *Nec Glycerium Glyceria vocari potuit?* Imò paſſim apud latinos illius nominis fœminam *Glyceram* appellatam video. Martialis lib. 11. Epigr. 41. ait:

Reſpondit Glycera dolere dentes.

Horatius lib. 1. Ode 19.

Urit me Glyceræ nitor,
Splendentis Pario marmore purior.

Ode 30.

O Venus regina Gnidi, Paphique
Sperne dilectam Cypron, & vocantis
Thure te multo Glyceræ decoram
Transfer in ædem.

Idipſum ex pluribus inſcriptionibus apparet. Unam & alteram ſubjiciam. Romæ ad D. Clementis.

FLAVIA. DOMITILLA. FILIA. FLAVIÆ DOMITILLÆ
DOMITI IMP. CÆSARIS.... ANI. NEPTIS. FECIT. GLYCERÆ. I.
ET. LIBERTIS. LIBERTABUSQ. POSTERISQ. EORUM

Altera apud Gruterum pag. MVIII. 6.

D. M.
FLAVIO. SEVERO
FILIO. KARISSIMO
QUI. VIXIT. ANN. VI M. V.
FLAVIUS. VITALIS. EVOK. ET
GLYCERA. PARENTES.
INFELICISSIMI.

Ex his intelligis nomen *Glyceræ* familiare Latinis fuiſſe. Unde & in faſtis Romanæ Eccleſiæ ad diem 13. Maii leges: *Heracleæ Sanctæ Glyceriæ Martyris.* Imò non modò apud Latinos, verùm etiam apud Græcos Glyceriam, ſeu Glyceram legimus: Laudatur à Simocatta lib. 1. & 8. de rebus Mauricii Imperatoris cultus Γλυκέρας τῆς Μάρτυρος *Glyceriæ Martyris.* Athenæus lib. 13. inter famoſas mulieres recenſet τὴν Γλυκέραν *Glyceram*, quam ab Harpalo Athenas accitam ſcribit. Lucianus de Rhetorum præcept. cum Thaide, & Malthace Γλυκέραν *Glyceram* nominat. Notabat autem laudatus Priſcianus lib. 6. Glyceriam fœminam per quandam adulationem (ipſe dicerem feſtivitatem) neutrali nominis terminatione expreſſam. Ita Athæaeus ibidem ex Machone poetâ hæc carmina recitat:

Glycerium, quam ab amatore acceperat
Corinthio, æſtivam veſtem ſtatim
Fulloni tradidit.

Lucianus etiam in dialogis meretricum Γλυκέριον *Glycerium* nominat. Et quidèm meretrices à Plauto in Græcâ terminatione efferuntur. Ita appellantur Silenium, & Gymnaſium in Ciſtellâ; Philocomaſium, & Acroteleutium in Milite; Phœnicium in Pſeudolo &c. Ita etiam ſcortorum nomina exhibet Ariſtænetus lib. 1. Epiſt. 14. & 24. lib. 2. Epiſt. 13. Vide, mi Macedo, quales libros tua illa cenſura Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ profeſſorem appellare cogat!

Sed, uti es acuto, & ſubtili ingenio, repones mulierem, quæ apud Terentium Glycerium dicitur, nunquam Glyceriam potuiſſe nuncupari, ſicuti nec quæ Glyceria nominabatur, Glycerium in recto caſu dici potuiſse. Sed parum hocce te effugium juvat. Relege memoratos dialogos Luciani; videbis uni illorum ab auctore titulum dari ΓΛΥΚΕΡΑ ΚΑΙ ΘΑΙΣ: *Glycera, & Thais*; at in dialogo ſcribitur Γλυκέριον *Glycerium.* Ita legitur in editis codicibus, & in duobus MSS. Sereniſſimi Magni Ducis in pluteo LVII. Atque ita omnino interpretantur viri doctiſſimi Jacobus Micyllus, & Joannes Benedictus, in titulo: *Glycera, & Thais*, in textu *Glycerium* vertentes. Magnus Baronius in notis ad diem 13. Maii lit. C. ait: *Glyceriæ, ſive Glycerii.* Idem in annalibus A. 175. *Glyceriam* martyrem laudat, quæ in ejuſdem tomi indice *Glycerium* dicitur. Redeo ad Glycerium Terentii. Scis Andriam Terentii eſſe Menandri comœdiam, quam illa Latio ſe donaſſe teſtatur in prologo.

Menander fecit Andriam, & Perinthiam.

At Glyceram meretricem dilectam à Menandro Athenæus lib. 13. teſtatur: *Glyceram amatam Menandro norunt omnes.* Græcè Γλυκέραν leges. Quarè Menander amaſiam fabulæ inſeruit, quemadmodum noſter Maro ſuum Alexin in ſecundâ eclogâ cantavit. Et quamvis malo Græcæ poeſis fato Menandri comœdiæ interierint, palam fit ex interpretatione Terentii, Glycerium in Græcâ fabulâ appellatam, quam Athenæus Glyceram nominavit. Quid ergo ſcribis: *Nec Glycerium apud Terentium in Andriâ Glyceria vocari potuit?* Claudat agmen vir utriuſque idiomatis peritiſſimus Gentianus Heruetus, cujus eruditas interpretationes poteris per otium legere apud Poſſevinum. Hic primus Lauſiacam hiſtoriam Palladii Epiſcopi Helenopolitani latinis auribus donavit. Porrò ſcribit cap. 86. *Illic* Evagrius *excipitur à beatâ Melaniâ.* Poſteà: *Dicit ei beata Melanium.* Idem cap. 97. *Huic aliquando Melanium junior magnæ Melaniæ neptis, de quâ dicam poſteà, miſit quingentos nummos.* Denique cap. 118. *Cùm autem, inquit, ſuam quoque neptem Melanium &c.* Quod tu *non licere uſurpari* dicis, Hervetus non tantùm ſemel, ſed iterum, ac tertiò uſurpavit, eandem fœminam Melanium, & Melaniam promiſcuè nuncupans, cùm tamen in textu Græco Palladii nunquam Melanium inveniatur, ſed fœmininâ terminatione idem mulieris nomen ſemper efferatur. At tu Herueto eruditior ſcribis: *Non erat libera, nec promiſcua illa declinatio, ſed neceſſaria Grammatices conſtructio.* Audebiſne tantis ſcriptoribus oppedere? Itane Martialem, Horatium, Lucianum, Athenæum, & interpretes Micyllum, & Benedictum, Heruetum, Roſuveydum, & ſi ſuperis placet, magnum Baronium *ab Orbilio caſtigandos* pronunciabis, & *imperitiæ grammaticæ* accuſabis? Expunge potius præcipitem tuam illam cenſuram, à quâ, ſi melius veterum ſcripta luſtraſſes, non dubito quin abſtinuiſſes, ne inſulſus alienæ grammaticæ caſtigator haberere. Si tamen roges, cur Patres, quos initio laudavi, pro Albinâ, & Melaniâ poſuerint Albinum, & Melanium? docebit te Roſuveydus in notis ad Epiſtolam 44. Sancti Paulini, cujus verba non laudo, quòd velim bibas ex fonte. Jam vides, jam ſentis, Amice, tuam illam cenſuram, quam veluti inſigne tui operis documentum in indice ſic exaraſti:

No-

Noris imperitiæ grammaticæ arguitur, tot teſtimoniorum pondere eliſiam facere. Ne tamen inhumanus cenſear, ſepulchrale eidem ſaxum impono, addito epitaphio, quo juſta illius oppreſſio uncialibus characteribus exprimatur. Ex Gruterianis acervis illud exporto.

Pag. 825. 6. SATURNINUS
SEVERI. V. F. SIBI.
ET RAMO. URSULÆ
CON. KARISSIMÆ.
ACCEPTO F. ANN. VIII.
MASCULO F. ANN. XIII.

Legent poſteri poſt Joſephum Scaligerum cap. 19. indicis Gruteriani, RAMUS URSULA. Verum ſi tu ſaxo durior in ſemel conceptâ criſi perduras, abiecto calamo, exciſorium ſcalprum, & malleolum ſtringe, ac pro RAMO incidas RAMÆ, ut vel ſilentes mortuorum manes è ſepulchrali lapide tuam in grammaticâ excellentiam loquantur, & ne uſquam gentium mulieris nomen maſculinâ terminatione elatum fuiſſe videatur.

Pag. 53 Sentio tamen iterum me in arenam abs te provocari. *Sed mittamus*, inquis, *hæc exilia, quamquam non contemnenda, ne videamur in titivilitio immorari.* Utinam quæ præ exilitate mittis, omiſiſſes, profectò ſecuriùs encyclopædiæ tuæ, cujus te non ſemel ſpecimen edidiſſe in præfatione ſubindicas, conſuluiſſes. Exilia vocas, quæ nihil rectiùs dixiſſes. Certè mihi gaudeo, utinam & tibi gratulari poſſem, finem logomachiæ tandem impoſitum. Pergis: *Examinemus perſonas, quibus opus illud ſuum Auguſtinus dedicavit, & uter noſtrum melius ſentiat, experiamur. Inſcriptio eſt: Albine, Piniane, & Melania.* Itaque à Grammaticâ ad Hiſtoriam provocas. Cave tamen, ne ubi in Grammaticâ non bonus corrector fuiſti, malus in hiſtoriâ ſcriptor habearis. Equidèm libentiùs in hiſtoriarum campo, quàm intrà Grammatices cancellos tecum certabo; nam ubi tu phaleratam orationis copiam, & Tulliano ore crepantes periodos conſectaris, ut tympano potius, quàm gladio pugnes; ego rebus addictus, ſervio factis, rerum geſtarum notitiam in antiquioris ætatis ruderibus ſepultam indago, ut ſi non ſermonis, veritatis tamen curam quàm maximam geram. Agedum, quid ſentias de perſonis, quibus librum de gratiâ Chriſti Sanctus Doctor nuncupavit, expone.

Pag. 52 *Equidem*, inquis, *initio haud probabam nomine* Albine *ſignificari filium Piniani, ne præponeretur filius parentibus.*

Si Palladii hiſtoriam legiſſes, nunquam de filio Piniani cogitaſſes; nam idem cap. 119. hæc ſcribit: *Cùm Melania ſuſcepiſſet filios duos, & utrique defuncti eſſent, venit ad tantum pro Chriſti nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito ſuo Severi Ex-præfecti filio diceret &c.* Itaque Pinianus filios amiſerat, antequam ex Italiâ diſcederet, & caſtitatis propoſitum unà cum uxore Melaniâ indueret. Scriptor vitæ Sanctæ Melaniæ apud Surium die 31. Decembris, narrat Melaniam priùs fœminam peperiſſe, poſteà filium. *Atque*, ait, *quod natum quidèm fuerat, erat maſculinum, ſimulatque autem natum, & ſancto baptiſmo fuit regeneratum, ab hoc mundo diſcedens ad eum, qui illic eſt, tranſmittitur.* Progrederis.

Ibid. *Placebat aut mutari nomen* Albine *in* Albina, *uti vult Baronius, ut ſit Albina ſocrus, aut retineri* Albinum *pro ſocero, aut avo unius duorum Piniani, & Melaniæ; & hoc arridebat magis.*

Id poſtremum, quòd ridiculum eſſet, arridebat magis. Hoc ut clariùs intelligas, & tuas haſce phantaſias me magiſtro exuas; ſcito Melaniæ ſenioris filium Albinam nobiliſſimam fœminam deſponſaſſe, ex quâ Melaniam juniorem Piniani poſteà conjugem ſuſcepit. Hæc tradit Palladius Melaniæ ſenioris amicus ex cap. 10. Lauſiacæ, & Melaniæ, ac Piniani in Italiâ hoſpes, cùm in cauſâ Sancti Joannis Chryſoſtomi legatus Romam venit, ut idem teſtatur cap. 121. Hæc loquitur laudatus ſcriptor cap. 118. *Cùm autem* Melania ſenior *ſuam quoque neptem Melanium* (ita Hervetus interpretatur, noli de nomine profligatam litem reſtaurare) *unà cum ejus marito Piniano, & catecheſi inſtituiſſet Albinam nurum ſuam, uxorem autem filii ſui, & perſuaſiſſet his omnibus vendere, quæ habebant, Româ eos eduxit.* Itaque avus junioris Melaniæ erat maritus Melaniæ ſenioris. At certum eſt conjugem Melaniæ ſenioris non fuiſſe in vivis anno 373. Audi Hieronymum Epiſt. 24. *Sancta Melania calenti adhùc mariti corpuſculo, & nedum humato, duos ſimul perdidit filios.* Poſteà: *Quin imò quâ illos mente contempſerit, in unico poſteà filio probat, cui omni, quam habebat, poſſeſſione conceſſâ, ingruente jam hyeme, Jeroſolymam navigavit.* Idem verò Hieronymus in chronico ad annum decimum Valentis Imperatoris ſcribit: *Melania nobiliſſima mulierum Romanarum & Marcellini quondam conſulis filia unico Prætori tunc Urbano filio derelicto Jeroſolymam navigavit.* Anno epochæ Chriſtianæ 373. à 28. Martii ex Ammiano Marcellino lib. 26. pag. 315. edit. Valeſii V.C. decimus Valentis annus labebatur. Tu verò, mi Macedo, maritum Melaniæ ſenioris, & alterius avum ſuperſtitem facis anno 418. quo Sanctus Auguſtinus ſcripſit librum de Gratiâ Chriſti; nam Albinum avum Melaniæ junioris imaginaris, cui Sanctus Doctor laudatum volumen nuncupavit. Palladius cap. 117. hæc ait: *Inter quas erat etiam beatiſſima Melania Romana, quæ fuit quidem filia Marcelli conſularis, uxor cujuſdam viri, qui erat in magnâ auctoritate, cujus nominis non rectè memini.* Profectò prodigio propius eſt, Palladium utriuſque Melaniæ amiciſſimum, ac nobiliſſimæ familiæ clientem oblitum fuiſſe nominis mariti Melaniæ, illud verò à te poſt duodecim & ampliùs ſæcula prodi, quod nempè Albinus diceretur. Sed nec rectè aſſeri poteſt Albinus avus Piniani; nam circà annum 400. ut oſtendam, Pinianus, & Melania caſtitatis propoſitum ſuſceperunt, magnam paternorum bonorum partem in pauperes erogantes. Quod cùm Severus Piniani frater intellexiſſet, ac locupletiſſimo patrimonio familiam Piniani pietate privatam doleret, *inſano Dæmonis inſtinctu*, inquit Auctor vitæ Sanctæ Melaniæ, *inſpiratus, aggreſſus eſt fratrem moleſtiâ afficere, agros evellens, fructus abripiens, omnibus modis inſultans, & vim afferens.* Idem nequiſſimis Piniani *ſervis perſuaſit, ut non ſolùm ſeipſos, ſed eos quoque agros, in quibus habitabant, Severi eſſe dicerent, & eos ejus nominarent.* Ex quibus patet non modò avum, verùm etiam patrem Piniani id temporis non vixiſſe, cùm Severus Piniani fratris bona per vim occupare tentaret, & Pinianos agros, & ſervos diſtraheret, antequam in Africam navigaret. An bona quædam caſtrenſia uni tibi nota obtrudes?

Quod autem exiſtimas Albinum fuiſſe ſaltem *ſocerum unius duorum*, eadem facilitate refellitur. Etenim ſocer Melaniæ vocabatur Severus. Id disertè legiſſes in libro memorato Palladii Helenopolitani Epiſcopi cap. 119. ubi ait: *Cùm Melania ſuſcepiſſet filios duos, & utrique defuncti eſſent, venit ad tantum*

pro

Digitized by Google

pro Chriſti nomine odium nuptiarum, ut hoc Piniano marito ſuo Severi Ex-præfecti filio diceret. Audin' ut Severus fuerit ſocer Melaniæ, non verò tuus ille Albinus? Sed nec dici poteſt ſocer Piniani, nam pater Melaniæ junioris Publicola dicebatur, quod diſcere poteras ex notis viri eruditiſſimi Petri Fr. Chiffletii in Paulini epiſtolas p. 1. cap. 24, & rursùs p. 2. cap. 26. & 34. Mirari lubet undenam *tantam*, ut Hieronymi verbis utar, *habeas mutandorum nominum poteſtatem*, ut Severo, & Publicolæ Albini nomen imponas? *Hoc*, inquis, *arridebat magis.* Querebar de te, quòd cap. 11. pag. 64. tuæ apologiæ me *Pyrgopolynitem* dixiſſes, ſed impoſterùm querelas compeſcam, cùm te videam tam eruditum nomenclatorem. Nondum tamen illud agnomen demerui, ſcis enim ex
in Mil. Plauto, Pyrgopolynici dictum: *ſexaginta Macedones unâ die occidiſti.* Cùm integrum tuum volumen confutavero, ac te unum Macedonem dejecero, tunc, ut libet, ut lubet, me Pyrgopolynicem nuncupato. Addis.

Baronius mutat Albine *in* Albina; *& mendum pu-*
Pag. 33 *tat, non tamen improbat* Albine *pro filio Albina, ut ſit ſenſus*, Albine *vir. Noris ait*, Albine *retinendum, eoque nomine ſignificari fœminam pro illius ætatis licentiâ ob rationem proximè adductam. Ego contrà ſentio omnino legendum* Albine *maſculini generis.* Ubi, ubi, amice, Baronii defenſio, quam in titulo capitis promiſeras? *Vindicatur ab ejus notâ Baronius.* Peream, ſi ſemel promiſſam toties in hoc tuo opere Baronio defenſionem commodaſti. Toto, ut ajunt, oſtio ab eo aberras, cùm te ejuſdem ſectatorem publicas. Hæc ad oculum demonſtro in apologiâ, quam procudo. Baronius ſcribit, mendum in vocem *Albine* irrepſiſſe, cùm Albina Melaniæ mater dicenda ſit. Ego quod perſonam attinet, Baronio conſentio, nego tamen mendum irrepſiſſe, cùm utramque nominis terminationem Albina ſubire potuerit. At tu contendis *Albine* legendum, & hunc virum putas, qui fuerit aut avunculus, aut Pater, aut ſocer, aut Patruus Piniani. Hoccine eſt Baronium à Noris notâ vindicare? De unicâ tantùm literâ cum Baronio quæſtionem habeo, nempè quòd Albina mater Melaniæ in caſu vocativo *Albine* ob illius ætatis licentiam appellata fuerit. Tu ſexum omnino mutas, & quam Baronius fœminam rectè dixit, tu maſculum facis; Imò ubi ille de filio Albinæ ſuſpicatur, tu Albinum non cognatum Piniani cum Baronio, ſed avum, aut patrem, aut avunculum ejuſdem imaginaris. I nunc, & temet Baronii advocatum vendita, cùm eidem quam maximè adverſere. Quid in mente habebas, cùm hanc egregiam tuam Baronii defenſionem literis mandabas? Procedis.

Pag. 34 *Id elicio ex verbis Auguſtini; Quippe ait:* ſinceriſſimi fratres, dilecti à Deo Albine, Piniane, & Melania, *quod nomen* fratres *ſignificat majorem partem maſculos eſse, & epitheta confirmant,* ſinceriſſimi, dilecti.

Vereor ne Theraſiam quoque Sancti Paulini uxorem in virum mutes; nam in titulo Epiſtolæ 34. Sancti Auguſtini hæc leguntur: *Dominis dilectiſſimis, & ſinceriſſimis, verè beatiſſimis atque abundantiſſimâ Dei gratiâ Fratribus Paulino, & Theraſiæ.* Et in medio epiſtolæ: *Sancti fratres, & dilecti Deo.* In calce verò. *Domini dilectiſſimi, ſinceriſſimi, verè benigni, & abundantiſſimâ Domini gratiâ præſtantiſſimi fratres.* Ubi vides titulum utrumque conjugem appellare, licèt genus nominum à digniori deſumatur. Ita unus Pinianus, quod genus attinet, illa epitheta regit, licèt unâ ſimul ſocrus, & uxor deſignentur. Addis.

Quis autem eſset ille Albinus, latet. Hic Rhodus, *Ibid.*
hic ſaltus; hoc opus, hic labor eſt, ô Macedo. Dixeras in titulo hujuſce tui capitis ſeptimi: *Qui fuerit Albinus, Pinianus, & Melania exponitur.* De Piniano, & Melaniâ hoc tantùm dicis, fuiſſe conjuges, ac præterea nihil. Albini nomen utramque paginam implet. Adeſdum: expone quis fuerit. Respondes: *latet.* Ad jus tituli te, velis nolis, voco. Obligatam fidem imple, ne magni hiatûs, ut ait Horatius, promiſſor dicare. Memento te dixiſſe: *Qui fuerit Albinus exponitur.* Si latet, te judice, non exponitur. Nihilne tibi ſuggerit, quam in præfatione jactas, Encyclopædia? Liceat ex Trinummo Plauti reponere. *IV. 2.*

Vide homo ut hominem noveris! *69.*

Ego tamen, inquis, *exiſtimo fuiſſe aut Patrem, aut Socerum, aut Patruum, aut Avunculum Piniani, ut ſit major natu, & propter ætatem primat vendicet.* Ita putaſti repetito quater *aut*, *aut*, compendio Albinum tuum illum virum expoſuiſſe; illâ enim disjunctione tanquam Ariadnæo filo uſus ex intricato Albinianæ genealogiæ labyrintho evaſiſti. Heu quantis, amice, erroribus implicaris! Non fuit Albinus Piniani Pater, nam ex Lauſiacâ hiſtoriâ, cujus verba ſuperiùs dedi ex cap. 119. pater Piniani dicebatur *Severus Ex-præfectus.* Extant reſcripta trium Auguſtorum ad Severum Præfectum Urbi in Cod. Theod. *L. un. De mendicantibus*, & *L. 2. de lucris officiorum* data Antonio, & Syagrio Conſs. nempè anno 382. Pinianus autem Severi filius anno 397. quo Melania avia uxoris Piniani Siricio Pontifice ex Hieronymo in Apologiâ 2. contrà Rufinum cum hoc ipſo ex Palæſtinâ Romam venit, junctus erat Melaniæ juniori, teſte Palladio cap. 118.

Sed nec *ſocerum* Piniani fuiſſe evidenter demonſtro. Sanctus Auguſtinus lib. 2. Retract. cap. 50. hæc ſcribit. *Poſteaquam Pelagiana hæreſis cum ſuis auctoribus ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ prius Innocentio, deinde Zoſimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum literis convicta, atque damnata eſt: ſcripſi duos libros adverſus eos, unum de gratiâ Chriſti, alterum de peccato originali.* Porrò Auguſtinus hoſce libros nuncupavit Albino, Piniano, & Melaniæ, ut capite primo ſtatim apparet. Innocentius hæreſim Pelagii damnavit anno 416. ut patet ex ejuſdem literis datis ad Patres Synodi Milevitanæ VI. Kalend. Februarias Honorio Aug. & Conſtantio V. C. Conſs. Zoſimus anno 418. eoſdem hæreticos repetitâ ſententiâ proſcripſit. Quarè duo illi libri, quos Albino, Piniano, ac Melaniæ Sanctus Doctor inſcripſit, anno eodem 418. editi ſunt. At filius Melaniæ ſenioris ſocer Piniani abhinc annos viginti è vitâ diſceſſerat. Scio Baronium ad annum 409. Chiffletium verò p. 2. not. in epiſt. Paulini cap. 34. & 35. anno 416. ejuſdem obitum recitare. Verùm evidenter utriuſque metachroniſmos refellot Scriptor vitæ Sanctæ Melaniæ narrat eandem anno ætatis decimo quarto junctam fuiſſe Piniano, & cùm duos filios peperiſſet, ſimulque amiſiſſet, de vitâ cælibi ſeriò cogitaſſe, verùm à patre prohibitam, ne pium illud propoſitum exequeretur. Poſteà ait: *Eis quidèm è vivis excedit Melaniæ pater.* Quo quidèm defuncto Melania unà cum Piniano thori ſocietate dimiſſâ, conceptum dudum caſtæ vitæ propoſitum executa eſt. Audiatur laudatus auctor. *Illi autem, cùm amotus eſset is, qui prohibebat, quando Deo viſum eſt, & tempus vocabat, ſtatim quidèm exeunte magnâ civitate, urbanam multitudinem, & tumultus valere jubentes. Erat id temporis Piniano ætas viginti quatuor annorum, Melania autem viginti.* Palladius etiam capite

pite 119. de eadem ſcribit: *Viceſimo ergo ſuæ ætatis anno mundo renunciat.* Quarè Pinianus ſuperſtite ſocero ſex tantùm annis cum uxore Melaniâ vixit. Idem verò Palladius de Melaniâ ſeniori ſcribens cap. 118. ait: *Multis itaque poſt annis, cùm de neptis ſtatu audiſſet, & eam nupſiſſe, & velle ſæculo renunciare: verita, ne fortè in aliquam abriperentur doctrinam, vel hæreſim, vel malam vitam, annos LX. annos nata navem aſcendit, & Cæſareâ navigans viginti dierum ſpatio Romam venit.* Ejuſdem in Italiam unà cum Rufino adventum, ejuſque Romam iter fuſiùs deſcribit in Epiſtolâ 10. ad Severum Sanctus Paulinus, apud quem illa in Campaniâ hoſpitata eſt. Cùm verò vivente Siricio Melania & Rufinus Romam advenerint, ut teſtatur Hieronymus tùm in apologiâ ſecundâ, tùm in Epiſtolâ 16, quæ epitaphium Marcellæ inſcribitur, palam fit anno 397. qui poſtremus Siricio fuit, Pinianum junctum fuiſſe Melaniæ juniori, neque poſſe patris ejuſdem, & ſoceri Piniani obitum protrahi vel cum Baronio ad annum 409. vel cum Chifletio in annum 416. cùm ſuperſtite ſocero ſex tantùm annos cum uxore Pinianus vixerit. Extat de obitu ſoceri ejuſdem inſignis Epiſtola 44. Sancti Paulini, quæ inter Auguſtinianas eſt 249. ad Sanctum Auguſtinum, cui Sanctus Doctor inſequentem Epiſtolam 250. repoſuit, ex quâ annus obitûs filii Melaniæ ſenioris, qui Piniani ſocer fuit, clarè mihi deducitur. Hæc ibi leguntur: *Proinde ad iſtam lætitiam, quâ vobiſcum eſt Frater Poſſidius, cùm ex ipſo audieritis, quàm triſtis eum cauſa compulerit, hoc me veriſſimè cognoſcetis &c.* Triſtis verò cauſa, quæ Poſſidium Epiſcopum ad navigandum in Italiam compulit, traditur ab eodem Auguſtino Epiſt. 202. ad Nectarium. Etenim Gentiles Calamæ in Numidâ, cujus ſacris Poſſidius præerat, facto tumultu lapidibus, dein facibus Eccleſiam Chriſtianorum evertere conati, ipſum Poſſidium Epiſcopum ad necem quæſiverant. Quod facinus ſcribit Auguſtinus perpetratum adversùs *recentiſſimas leges* contrà Paganos ab Imperatoribus Arcadio, & Honorio latas in Africâ XIV. Kal. Aprilis Manlio Theodoro Cos. nempè anno 399. ut idem teſtatur lib. 18. de Civit. Dei cap. 54. In eadem verò epiſtolâ ait tumultuatum à Gentilibus *Kalendis Junii*, dum illi Floralia feſta peragerent. Tempus verò navigationis Poſſidii ex alterâ Auguſtini ad Nectarium Epiſtolâ 254. colligitur, ubi ait: *Nam ego reſcripſeram, cùm adhuc nobiſcum eſſet, neque navigaſſet Sanctus frater, & Coepiſcopus meus Poſſidius. Has autem, quas mei causâ illi dignatus es reddere, accepi VI. Kal. Aprilis poſt menſes fermè octo, quàm ſcripſeram.* Itaque Poſſidius anno 399. ineunte Auguſto nondum in Italiam tranſmiſerat, qui tamen anno 400. antè VI. Kalend. Aprilis in Africam redierat, cùm antè illud tempus Nectarius Calamenſis eidem Sancti Auguſtini literas tradiderit. Imo ſi exactius rem velis inveſtigare, nota, precor, Paulinum in laudatâ Epiſtolâ 44. in quâ de obitu ſoceri Piniani, ac conſtantiâ matris Melaniæ cum laude loquitur, ſcribere ſe circà diem feſtum Apoſtolorum Petri, & Pauli literas Auguſtini accepiſſe à Victore Diacono, qui aliquandiu Romæ anteà moratus, non curaverat citius eaſdem ad ſe in Campaniam tranſmittere. Quid verò in illâ epiſtolâ Auguſtinus ſcripſerit, attende: *Docuiſti me*, inquit, *in ſpiritu veritatis ſalutare moderandi in occiduis mortalibus animi temperamentum, quo & illam beatam matrem, & aviam Melaniam flewiſſe carnalem obitum unici filii, taciturno quidèm fletu, non tamen ſicco à maternis lacrymis dolore viſiſti.* Ex his colligas ſocerum Piniani, filium Melaniæ ſenioris, & junioris patrem, obiiſſe antè Majum Anno 399. cùm Paulinus conſtantiam matris in morte filii ex literis Auguſtini intellexerit circà feſtum Apoſtolorum, ut teſtatur in Epiſtolâ 44. cui alteram, quæ eſt 250. repoſuit Auguſtinus, degente in Italiâ Poſſidio, qui poſt Julium ejuſdem anni ex Epiſt. 254. ex Africâ ad Comitatum navigaverat. Hæc fuſiùs dixi, non quòd tanti fuerit, tuas de Albino ſocero Piniani imaginationes refellere, ſed ut epiſtolarum Sanctorum Paulini, & Auguſtini tempus innoteſceret, cùm Baronius, & Chifletius alieno prorsùs tempore eaſdem recitent. Vide quanti faciam tuam illam planè frigidam admonitionem pag. 297. in fine operis contrà Lupum: *Norit Noris, cùm à Principe Eccleſiaſticæ hiſtoriæ recedit, à vero recedere.* Baronium & veneror, & nocturnâ, diurnâque manu illius digniſſimos cedro annales evolvo; haud tamen ita viro deditus ſum, ut eundem veritati præferendum ducam. Sed de his plura habebis in Apologiâ. Utinam tu, qui antiquos fontes, undè plurimarum rerum ad Albinum, Pinianum, ac Melaniam ſpectantium, notitiam haurire poteras, inquirere neglexiſti, deductos ſaltem indè Baronii rivos adiiſſes. Sanè didiciſſes ſocerum Piniani anno 409. obiiſſe, vel eo ipſo anno illius obitum à magno Annaliſtâ recitari, neque eundem anno 418. ſuperſtitem cogitaſſes. Itaque errati duplicis convictus es, qui Albinum putaſti Piniani Patrem, aut ſocerum. Addis *aut patruum*. Hic me veterum monimenta deficiunt. Interim ex Trinummo Plauti reſponſum accipe.

Neque novi: neque natus, necne is fuerit, id ſolidè ſcio. v. 28

Denique concludis: *aut avunculum*. Superius ſcripſeras pag. 52. poſſe *retineri Albinum pro ſocero, vel avo unius duorum Piniani, & Melaniæ: & hoc arridebat magis.* Riſum amice teneas, qui modò Albinum non avum, ſed *avunculum* Piniani exiſtumas. Videris velle univerſam Piniani cognationem, & affinitatem comprehendere, dum ſcribis, Albinum fuiſſe ejuſdem *aut Patrem, aut ſocerum, aut patruum, aut avunculum.* Quæſo te, cur Avum omiſiſti, de quo tamen modò cogitaveras? Cur tam citò avus in avunculum tranſmigravit? Pudet me bonas horas tuis hiſce phantaſiis refellendis inſumere.

Horum autem omnium rationem reddis. *Ut ſit major natu, & propter ætatem primas vendicet.* Rem non intelligis. Ideò Auguſtinus in laudatâ inſcriptione Albinum priori loco nominavit, non quòd vir ille eſſet major natu aliis duobus, ſed quia cùm illi tres literas communes pro Pelagio, quo cum erant in Palæſtinâ, ad Auguſtinum in Africam exaraſſent, Pinianus ſocrui Albinæ ob ætatis prærogativam, & quòd filii loco ab eadem amabatur, undè Sanctus Doctor Epiſt. 225. eundem Albinæ *filium* dicit, priorem in ſubſcriptione literarum locum honoris & reverentiæ gratiâ detulit. Hinc illis reſpondens Sanctus Auguſtinus, eundem in inſcriptione ordinem ſervatum voluit, quem in ſubſcriptione eorundem notaverat. Ita teſte Sancto Poſſidio in indiculo epiſtolarum Sancti Patris hanc inter cæteras inſcriptionem ponit: *Albinæ, Piniano, & Melaniæ*; ubi ſocrus antè generum nominatur. Hinc obſerves Auguſtinum, ejuſquè coætaneos Patres, Poſſidium, ac Proſperum, quoties memoratos libros appellare opus fuit, vel nomina fœminarum Albinæ, & Melaniæ omiſiſſe, vel Pinianum fœminis præpoſuiſſe. Audi noſtrum Sanctum Doctorem, *in quo* gloriaris pag. 287. *habitare*, lib. 4. contrà Jul. cap. 8. *In noviſſimis enim*

parti-

partibus primi libri mei ad Sanctum Pinianum, *cujus eſt titulus de gratiâ Dei contrà Pelagium.* Sanctus Poſſidius Epiſcopus Calamenſis in catalogo librorum Auguſtinenſium ait: *Contrà Pelagium & Cœleſtium de gratiâ Chriſti*, *& peccato originali libri duo ad Pinianum, Albinum, & Melaniam.* Vides-ne hìc Pinianum fœminæ Albinæ anteponi, non ob ætatis privilegium, ſed ob dignitatem ſexus? Vocat illam Albinum, non Albinam, ut jam ſatis ſuperquè intelligas, nullo jure tantum Grammaticorum pulverem abs te in virum amiciſſimum excitatum. Sanctus Proſper in fine operis contrà Collatorem recenſens pleroſque libros Auguſtini, inter eoſdem nominat *ad Sanctum Pinianum duos.* Fatere, in illâ inſcriptione non virum Albinum, quem fingis, ſed Albinam ſocrum ob ætatis privilegium priores partes tuliſſe, cùm aliàs ob ſexûs dignitatem vel unus, vel priori ſaltem loco Pi-

Pag. 54 nianus gener collocaretur.

Aldo, inquis, *Auguſtinum Epiſtolâ 227. ſcribere Albino*, *Piniano*, *Meliano*, *qui videntur eſſe iidem*, *quos nominavimus*, *niſi in* Meliano *mendum ſit*, *ac legendum ſit* Melaniæ. *Itaque mihi penè perſuaſum eſt Albinum eſſe retinendum*, *ut virum ſignificet.* Si Poſſidii indiculum legiſſes, hanc tuam de maſculo Albino opinionem depoſuiſſes. Ita illius epiſtolæ titulum ibidem recitat: *Albinæ*, *Piniano*, *& Melaniæ.* Eandem mulierem Albinum vocat Auguſtinus, Albinam ejuſdem collega Poſſidius nuncupat. Si audiviſſes Scriptorem vitæ Sanctæ Melaniæ, nunquam eidem Albinum virum ſocium apud Africam poſuiſſes. *Cumque*, inquit, *Melaniæ ita viſum eſſet*, *mare eam ſuſcepit*, *cùm ſimul adeſſet mater*, nempè Albina, *& Pinianus.* Anno 410. Albina ſocrus cum filiâ, & genero erant in Siciliâ, quo tempore Alaricus Calabros vaſtabat. Rufinus in præfatione ad Homilias Origenis ſuper Numeros, quam ſuo auctori reſtituit vir omni præconio major Americus Bigotius, ac Henrico Valeſio V.C. communicavit, hæc ait: *Quamvis amantiſſimus filius noſter Pinianus*, *cujus religioſum cœtum pro amore pudicitiæ profugum comitamur*, *injungat & alia.* Ibidem verò injectas Rhegio oppido faces *anguſtiſſimo freto* è Siciliæ litore ſe proſpectaſſe teſtatur. At mortuo paulò poſt Rufino, Albina, Pinianus, & Melania ſe ad Alipium Tagaſtem contulere; quorum adventu intellecto, ſcripſit ad eoſdem Auguſtinus, non poſſe ſe Hippone diſcedere, hjemis rigorem cauſatus. Cùm verò ſeptem in Africâ annos degiſſent, in Palæſtinam tranſmiſerunt, ut conſtat ex actis Sanctæ Melaniæ; indè literas pro Pelagio anno 418. ad Auguſtinum ſcripſerunt, quibus duos doctiſſimos libros ſanctiſſimus Pater repoſuit.

Laudaveram S. Paulini Epiſtolam inter Auguſtinianas 249. in quâ *Melanio* pro *Melanio* ſcribitur. Ejus verba ſunt: *Sed ceſſo plura de memoriâ tum dilecti mihi*, *quàm devoti Chriſto hominis enarrare*, *cùm & priſtinis literis non pauca ſuper eo narraſſe me repetam*, *& nihil poſſim de beatâ hujus filii matre*, *& Sanctorum patre radice ramorum Melanio melius*, *aut ſanctius prædicare*, *quàm ſanctitas tua in eam profari*, *& diſputare dignata eſt.* Hæc verba minus mihi intellecta ſcribis. *Refellit*, inquis, *illum quod putavit illud* Meliano *Melaniæ eſſe attribuendum*, *& unam hìc tantùm perſonam ſignificari.* Poſteà: *Verùm duæ hìc perſonæ nominantur*, *mater*, *& filius*: *Melania*, *& Melanius.* De beatâ, *inquit*, matre: *ecce una*; & ſanctorum patre radice ramorum: *ecce altera*, *ideſt Melanius.* Si Roſuveydi *eruditiſſimi*, *& elegantiſſimi* notas in laudatam epiſtolam legiſſes, textûs mendum, quod te fefellit, adnotaſſes. Scribit vir inſignis pag. 887. *Antecedentia*, *& conſequentia docent legendum*, *ſanctorum* PARITER *radice ramorum Melania*; *nuſquam enim alibi mentio Melanii patris. At de Melaniâ*, *& antè locutus erat*, *& continuò ſubjicit. Videndum an fortè dictum ſit Melanium*, *ut Glycerium.* Et rectè. Nam ſi matrem Melaniam, & patrem Melanium immediatè poſuiſſet, dixiſſet non *in eam*, ſed *in eos profari dignata eſt.* Adde filium Melaniæ appellatum non Melanium, ſed Publicolam, ut in notis ad eaſdem epiſtolas Paulini non uno loco tibi indicare poteſt Chifflctius. Verùm duobus hiſce celeberrimis è Societate Jeſu ſcriptoribus aures denegaſti; cur te ipſum ſaltem non audiſti? Nonne dixeras ſocerum Piniani Albinum nominatum? quo jure alterum eidem fratrem Melanium addis? An fortè dicturus es, duos fuiſſe Melaniæ filios, quorum unus Melanius, cujus morti Paulinus indoluit, alter verò Albinus Melaniæ junioris pater, & ſocer Piniani? O te! Ab anno 373. unici filii mater remanſerat vidua Melania. Scribit Palladius cap. 118. *Non eſt abſtracta à cupiditate filii*, *non eam diviſit à Charitate Chriſti unigeniti filii deſiderium.* Scribit Hieronymus Epiſt. 24. *Quin imò quâ illos mente contempſerit* (nempè mortuum maritum, ac binos filios) *in unico poſteà filio probat.* Scribit Paulinus Epiſt. 44. *Melaniam fleviſſe carnalem obitum unici filii ſui.* Tu verò contrà oculatorum teſtium dicta duos Melaniæ filios obtrudis, Albinum, & Melanium, cùm unicus illi filius Publicola fuerit. Si vidiſſes hæc Hieronymi verba in Epiſt. 41. ad Rufinum: *Erat nobiſcum & Hilas Sancti Melanii famulus*, profectò tibimet pro Melanio viro triumphum ceciniſſes. Sed textûs mendum corrigendum eſt ex optimo MS. bibliothecæ Sereniſſimi Magni Ducis in pluteo XIX. ubi *Sanctæ Melaniæ* legitur. Fortè *Sanctæ Melanii* ſcriptum fuit à Hieronymo, quæ exſcriptores haud percipientes, vel textum corruperunt, *Sancti* reddentes, vel ſinè neceſſitate emendarunt, *Melaniæ* exprimentes. Corrigendus inſuper eſt ſcholiaſtes Baronii, qui ad annum 409. ubi eruditiſſimus Cardinalis recitat Epiſtolam Paulini ad Auguſtinum, ponit in margine: *Melanius pater Melaniæ*; Etenim de Melaniâ ſcribit Palladius cap. 117. *Fuit quidèm filia Marcelli conſularis.* Scio in Chronico D. Hieronymi ad annum decimum Valentis dici Melaniam *Marcellini Conſulis filiam.* Sed Rufinus lib. 2. invect. in Hieronymum referens verba Chronici Hieronymiani ſcribit: *Marcellini conſulis neptem.* Geſſit autem Flavius Marcellinus conſulatum cum Probino collega anno 341.

Putabas, Amice, Albini tui genealogiam repetitis illis *aut*, *aut*, tanquam facibus illuſtrare, ſed non modò illam denſiſſimis tenebris involviſti, verùm etiam palam feciſti quantam lucis in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ jacturam patiaris. Quæſo te, ne moleſtè, & acerbè feras, Auguſtini verbis ab amico admoneri: *Si ergo penitus inſtructus non es cur non penitus taces*, *aut ita loqueris*, *ut inſtitui te deſideres?* Lib. 1. contrà Creſconium cap. 3. Cùm tuam provocationem in hæc planè verba concepiſſes: *Examinemus perſonas*, *quibus opus illud ſuum Auguſtinus dedicavit*, *& uter noſtrum melius ſentiat*, *experiamur*, conſulere debueras veterum ſcriptorum volumina, ut inde perſonarum, de quibus mihi litem intendebas, notitiam haurires. Laudantur tres illæ perſonæ, earumque agnati ob Auguſtino, Hieronymo, Paulino, Palladio, Rufino, Poſſidio, qui non modò eiſdem convixere, ſed etiam eaſdem de facie noverunt, illarumquè fuere hoſpites, & clientes, vel encomiaſtæ. Dicis cap. 3.

pag.

pag. 25. *Novit Noris meus familiaris, eum me eſſe, qui ſummâ curâ, & intentione auctores lego, ac iis me inferre, ac penitùs introdare, ac eorum ſenſum diligenter inveſtigare.* Sanè ſi ad tribunal vocer, non auſim tale pro te teſtimonium dicere; ſiquidèm ſuſpicor, cùm illa ſcribebas, te ne ſemel quidèm memoratos Auctores vidiſſe, nedum totum *te iiſdem intuliſſe, ac penitùs introdediſſe.* In præfatione tui operis adversùs Eccleſiaſticæ hiſtoriæ profeſſores laxatis eloquentiæ tuę habenis, graudi verborum ſtrepitu declamans, *Bajulos*, inquis, *agunt non auctores; in dorſo ſtudium; non in cerebro.* Et rursùs: *Et quidèm ii nihil afferunt ab ingenio, à dorſo multum, cum aliò comportant, quæ invenerunt.* Ita eſt, mi Macedo, doſſuarius homo ſum, & bajulum ago, & plerumquè ſub librorum onere deficio. Tù verò, qui dedignaris hiſce bajulis, ac ſi eſſent ultimâ de fæce ſuburræ, accenſeri, omnia *ab ingenio* affers, *à dorſo* nihil, *auctorem*, non *bajulum* agis: Vah quam ſoliciter! Etenim *ab ingenio* tuo eſt filius Piniani, & Melaniæ anno 418. ſuperſtes. Hunc doſſuarii ex lectione libri de Vitâ Sanctæ Melaniæ id temporis vixiſſe ne cogitarunt quidèm. *Ab ingenio* tuo eſt avus Melaniæ junioris anno eodem in Palæſtinâ degens. Doſſuarii ex Chronico Divi Hieronymi eundem anno 373. defunctum putant. *Ab ingenio* tuo eſt Piniani pater Albinus. Hunc doſſuarii ex Palladii Piniani ejuſdem hoſpitis Lauſiacâ Severum vocant. *Ab ingenio* tuo eſt Piniani ſocer Albinus anno 418. inter homines ambulans. Hunc doſſuarii ex Auguſtini, & Paulini literis antè annum 400. diem obiiſſe teſtantur. *Ab ingenia* tuo ſunt patruus, & avunculus Piniani. Hos miſeri doſſuarii in nullis veterum monimentis inveniunt. *Ab ingenio* tuo in laudatâ inſcriptione libri de gratiâ Chriſti primas ſibi vendicat Albinus. Doſſuarii ex Auguſtino, & Poſſidio, & Proſpero priorem Piniano tamquam viro locum concedunt. *Ab ingenio* tuo Albinus vir Piniani, & Melaniæ ſocius in Africâ publicatur. Doſſuarii ex libro de vitâ Melaniæ horum ſociam Albinam fœminam faciunt. *Ab ingenio* tuo ſunt duo ſenioris Melaniæ filii, Albinus, & Melanius. Doſſuarii ex Hieronymo, Paulino, & Palladio unicum eidem filium fuiſſe pronunciant. *Ab ingenio* deniquè tuo eſt quicquid cogitas, dicis, ſcribis. *A dorſo* meo eſt, quicquid ad te confutandum inveni. Poetarum eſt, mi Macedo, omnia afferre ab ingenio. Poemata, elegiæ, & argutiſſima illa epigrammata, quibus Ethicas lectiones in Patavinâ cathedrâ tam lepidè me toties audiente concludere conſueſti, *ab ingenio* tuo eleganti, acuto, erudito derivare, ne Zoilus quidèm inficias ibit. At cùm hiſtorias quoque præter omnium veterum ſcriptorum fidem *ingenio* tuo velificante in literas mittis, nonne illud Martialis repetere poſſumus?

lib. 2 7. *Hiſtorias bellas, carmina bella facis.*

Perge, Amice, *ingenio* fidere, & *Bajulis dorſi* laborem, ac graves, crebroſque ſub vaſto voluminum pondere anhelitus exprobra, ut hiſtoriæ, quas tam bellè compingis, ab ingenio, non modo verborum elegantiam, verùm etiam eventuum fidem accipiant. Scribis pag. 55. *Non eò hæc dico, quòd velim convicium facere doctiſſimo viro, mihique amiciſſimo, ſed ut aliquid dem lepori, & ſalibus, quibus interdum ſcripta moleſta, & inſipida, ſunt condienda.* Quæ verba in calce capitis ſeptimi loqueris, in quo de Albino grammaticam, & hiſtoricam mihi quæſtionem intuliſti. Non recuſo, ut cum Satyrico loquar, *Euge tuum, & bellè.* Profectò quis te, ò Macedo, non lepidiſſimi judicii hominem fateatur, qui me *doctiſſimum* vocas, ſimulque *ab Orbilio caſtigandum* dicis? Quem appellas *amiciſſimum*, toto tuo ſale perfricas, quod hoſtili rabie ſuper dirutarum urbium ſolum ſæpius ſparſum accepimus. Credas non dicam doctiſſimo, *quia*, ut Petronii verbis utar, *non ſum de glorioſis*, ſaltem *amiciſſimo*, te multum olei, & operæ, plurimum verò etiam ſalis perdidiſſe, dum eodem tua ſcripta condienda exiſtimaſti, veritus ne illa *moleſta, & inſipida* Lectoribus viderentur. Etenim ſi ſali peperciſſes, tot lepidis de Glyceriâ, & Glycerio, de Melaniâ, & Melanio ſcholiis conſperſa ſunt, tam bellis hiſtoriolis de Albino *aut patre, aut avo, aut avunculo, aut ſocero, aut patruo* condita, ut minime dubitem, quin eruditi non modò hilari animo, verùm etiam ore ridenti eadem lecturi ſint. Certè egomet, qui tamen illis impetor, non potui, cùm illa legerem, à riſu temperare.

Perſius Sat. 1. 49

Quoniam tuæ elegantiſſimæ, ſimulque vehementiſſimæ præſationis mentio incidit, juvat unam, & alteram illius periodum hìc recitare. Hæc fulmina contrà Eccleſiaſticæ hiſtoriæ cultores, ſeu ut vocas, *bajulos valentiſſimos*, ore tonas: *In rutis, cæſiſque verſantur: dummodo antiquarios ſe oſtendant, ſibi ſatisfaciunt; literarios, & ruderarios præſtant. Latomorum inſtar cædunt lapidicinas priſcorum monumentorum, & efferunt lapides, & acervos ſtruunt.* Scias velim, Bajulos illos valentiſſimos ſtrenuos etiam lapidarios quandoquè agere. Saxa eâdem, quâ volumina, manu voluunt, ac revolvunt; ſiquidèm inſcripti lapides certiſſimi illis ſunt teſtes antiquitatis. Attende, quid à lapidariis afferri poſſit, ut Albinæ, de qua tantum pulverem ab ingenio tuo excitatum video, & Pater, & Frater, & Familia etiam intelligantur. In libello de Vitâ S. Melaniæ apud Surium die 31. Decembris, Lippomanum verò die 31. Januarii hæc de eadem recitantur, cùm Byzantium appuliſſet: *Invenit autem ſuum quoque patruum Voluſianum gravi morbo oppreſſum.* Extat in bibliothecâ Sereniſſimi Magni Ducis idem libellus Græcè ſcriptus inter opuſcula Sancti Gregorii Nazianzeni in pluteo VII. Num. 6. ubi laudata verba ita leguntur: *Εὗρεν δὲ ϗ τὸν θεῖον αὐτῆς Βολουσιανὸν χαλεπῇ νόσῳ κρατούμενον.* At falſum eſt Voluſianum fuiſſe patruum Sanctæ Melaniæ; etenim pater Melaniæ nullum fratrem habuit, cùm *unicus filius* Melaniæ ſeniori fuerit, quemadmodum Hieronymus Paulinus, ac Palladius, quorum verba ſuperiùs laudavi, diſertiſſimè conteſtantur. Quarè cùm Voluſianus non fuerit frater patris Melaniæ junioris, nec illius patruus ſcribi poteſt. Ex interpretum vitio error vulgaris derivavit. Photius Codice LII. Voluſiani mentionem facit, idemque ibidem nuncupatur *θεῖος τῆς ἁγίας Μελάνης.* At nomen illud *θεῖος* apud Græcos promiſcuè ſignificat fratrem patris, & matris, nempè patruum, vel avunculum, quemadmodum apud Italos vox *Zio*, & apud Hiſpanos *Tio*, quæ verba à Græcis mutuata eſſe mihi certum eſt, idque fortè etiam oſtendet Octavius Ferrarius V. C. & magnum bonarum artium in Italiâ columen, & præſidium, in opere de origine linguæ Italicæ, quod proximè typis daturus eſt. Interpretes quos inter Schottus genealogiæ Melaniæ ignari, vocem *Θεῖον patruum* latinè reddiderunt, cùm *avunculum* ſcribere debuiſſent, & quidèm Baronius ad anno 420. rectè Voluſianum Sanctæ Melaniæ *avunculum* dixit. Itaque Voluſianus fuit frater Albinæ, & *avunculus Sanctæ Melaniæ.* Ex his Pater, Frater, ac familia Albinæ nullis hucuſque ſcriptoribus indagata, intelligitur. Etenim illa fuit filia Rufii Cejonii Albini, ac ſoror Rufii Cejonii Voluſiani, ut poſteà oſtendam. Albinos

è Ce-

è Cejoniâ gente fuiſſe patet ex Epiſtolâ Cejonii ad Aelium Baſſianum apud Capitolinum in Albino cap. 4. Ibi verò Clodius Albinus Cejonii filius, qui unà cum Septimio Severo Cæſar fuit, laudatur à Capitolino uti *origiuem à Romanis familiis* trahens; *Poſthumiorum ſcilicet, & Albinorum Ceſoniorum. Quæ familia,* inquit, *hodie quoque, Conſtantine maxime, nobiliſſima eſt, & per te aucta, & augenda, quæ per Gordianos, & Gallienum plurimum crevit.* Qui verò ex hac familiâ Conſtantino imperante ſummos honores conſecutus fuerit, ex hac inſcriptione mutilâ colligitur apud Gruterum pag. CCC. LXVVII. 5.

RELIGIOSISSIMOQUE. C. CEJONIO RUFIO. VOLUSIANO.
V C CORR ITALIÆ PER ANNOS OCTO. PROCONSULI.
AFRICÆ. COMITI D. N. CONSTANTINI INVICTI.
ET PERPETUI. SEMPER. AUGUSTI. PRÆFECTO. URBI.
JUDICI SACRARUM. COGNITIONUM. CONSULI.

At Cejonia familia antè Albinum Severi collegam Romanum Orbem moderata eſt; etenim L. Cejonius in Aeliam, & Antoninam familiam tranſcriptus, cum Antonino Philoſopho Auguſtus fuit, ac appellatus *L. Cejonius Ælius Commodus Verus Antoninus* ex Capitolino in vitâ ejuſdem initio. Illius verò pater Cejonius Commodus ab Hadriano Cæſar d ſignatus, paulo poſt improvisâ morte deceſſerat. Porrò Cejonios Albinos cognomen Voluſiani habuiſſe conſtat ex hac inſcriptione apud meum Panvinium Anno V.C.MXX.CVII.

S. P. Q. R.
CEJONIUM RUFUM. ALBINUM. V.C. PHILOSOPHUM RUFI.
VOLUSIANI. JUN ORO CONS. FILIUM. SENAT CONSULTO
SUOQ. EJUS. LIBERIS. POST. CÆSARIANA. TEMPORA. I.
POST ANNOS CCCLXXX. ET. I. AUCTORITATE. DECREVIT.
FL. MAGNUS JANUARIUS V. C. VII. STATUARUM

Cùm inter majores ſuos referrent Voluſum ducem Rutulorum, indè Albinos Voluſiani cognomen aſſumpſiſſe ſcribit Rutilius Numatianus l. 1. itinerarii V. *167.*

Jamque aliis Romam redeuntibus, hæret eunti
Rufius, Albini gloria viva patris;
Qui Voluſi antiquo derivat ſtemmate nomen,
Et reges Rutulos, teſte Marone, refert.

Hunc Rufium Voluſianum Cejonii Albini filium, fratrem noſtræ Albinæ & Sanctæ Melaniæ avunculum illum fuiſſe, qui poſteà contrà Pelagianos, cùm iterum Urbi præfectus eſſet, edictum publicavit, ſcribunt eruditiſs. viri Cardin. Baronius ad annum 412. & Jacobus Sirmondus io notis ad epiſtolam *16.* lib. 9. Sidonii, quibus ſubſcribit Rutilii Scholiaſtes Cæſar Barthius num. *169.* Itaque Cejonia Albina mater fuit Melaniæ, & ſocrus Piniani, ſoror verò Cejonii Venerii Rufi Albini Voluſiani, qui pluries urbis præfecturam geſſit, & unà cùm matre in Africâ degens ad Auguſtinum Ethnicus ſcripſit, ut patet ex Epiſt. a. to. 2. operum S. Auguſtini. Huic Voluſiano Rutilius ejuſdem in præfecturâ Urbanâ deceſſor ſuum itinerarium nuncupavit; undè illius nomina concinnantur.

Quòd verò hæc ſcribo in Etruriâ, quò me Sereniſſimus Magnus Dux COSMUS III. eximius bonarum artium cultor, ac protector munificentiſſimus, vocavit, libeat obſervare Albinos Voluſianos ex Etruriâ originem duxiſſe, indeque Romam ſe contuliſse. Id teſtatur Capitolinus in Vero Auguſto cap. a. Albinum autem Voluſianum Albinæ noſtræ fratrem in agro Volaterrano villam habuiſse idem Rutilius affirmat; etenim ſcribit ſe, cùm Volaterrana Vada navigio prætervcheretur, improvisâ tempeſtate adortum, in terram exſcendiſſe, ac Albini Voluſiani villam petiiſſe. Hæc ille ait. V. *463.*

Illic me rapidus conſiſtere Corus adegit,
Qualis Sylvarum frangere luſtra ſolet.
Vix tuti domibus ſævos toleravimus imbres,
Albini patuit proxima villa mei.
Namquè meus, quem Roma meo ſubjunxit honori,
Per quem jura meæ continuata toga.

Hunc verò honorem fuiſſe præfecturam urbis paulò ſuperiùs, nempè verſu 415. affirmat. Id autem in itinere intellexit, antequàm Piſanum litus attingeret.

Hic præfecturam ſacræ cognoſcimus urbis
Delatam meritis dulcis amice tuis.
Optarem verum complecti carmine nomen,
Sed quoſdam refugit regula dura pedes.
Cognomen verſu Veneris cariſſime Rufi,
Illo te dudum pagina noſtra canit.
Feſta dies, pridemquè meos dignata penates,
Poſte coronato vota ſecunda colat.

Geſſit autem Rufius Voluſianus Urbis præfecturam anno epochæ Chriſtianæ 417. etenim ſcribit Rutilius Romam alloquens V. 135.

Quamvis ſedecies denis, & mille peractis,
Annus præterea jam tibi nonus eat.

Annus autem Urbis 1169. à palilibus nempè 21. Aprilis coincidit cum anno Dionyſiano 417. quo anno Rutilius Româ profectus, Voluſianum Præfectum urbis deſignatum accepit. Diutius autem poſt Conſtantini imperium Cejonii Ethnicorum ſuperſtitionem ſecuti ſunt. Conſtat ex hac inſcriptione apud Gruterum pag. XXVIII. 5.

CEJONIUS. RUFIUS. VOLUSIANUS. V. C. ET INLUSTRIS.
EX VICARIO. ASIÆ ET CEIONI RUFI. VOLUSIANI. V.C.
ET INLUSTRIS EX PRÆFECTO. URBIS. ET CECINE.
LOLLIANE. CLARISSIME. ET INLUSTRIS. FEMINE.
DEE. ISIDIS. SACERDOTIS FILIUS. ITERATO. EX VIGINTI.
ANNIS EX PERCEPTIS TAUROBOLIIS VI. ARAM.
CONSTITUIT. ET CONSECRAVIT. VI. KAL. JUN
D. N. VALENTINIANO. AUG ET NEOTERICO. CONSS.

Ita illi anno 390. à Chriſtianâ religione averſi erant. Voluſianum eadem ſuperſtitione occupatum patet ex Epiſtolâ ejuſdem, itemque Auguſtini, & Marcellini initio ſtatim tomi ſecundi operum Sancti Doctoris. Melania avunculum ad rectum dogma paulo antè ejuſdem obitum Byzantii adduxit. Albinam etiam ſororem in eodem errore fuiſſe poſset quis colligere ex Palladio in Lauſiacâ cap. 118. ubi tum Apronianum Gentilem, tum Albinam à Melaniâ ſeniori *catecheſi* inſtructos affirmat. Plura de Albinâ leges in actis ejuſdem filiæ Melaniæ.

Interim vide quàm benevolo erga te animo ſim. Etenim ubi confidenter me in certamen provocans exclamaſti: *Examinemus perſonas, quibus opus ſuum Auguſtinus dedicavit, & uter noſtrum melius ſentiat, experiamur:* ego temet ex adverſario judicem conſtituo, ac depoſco. Tu de Albino pronunciaſti: *Quis autem eſſet ille Albinus, latet.* Ego non virum, ſed fœminam fuiſſe oſtendi, ejuſque patrem Albinum, Fratrem Rufium Voluſianum, familiam Cejoniam, ſocrum Melaniam, maritum Publicolam, filiam Melaniam juniorem, avorum patriam Etruriam, villas ad Vada Volaterrana, quod oppido nomen etiamnum manet Populonium inter ac Liburnum, amicos denique & encomiaſtas Auguſtinum, Hieronymum, Palladium, Rufinum, hæc, inquam, omnia de Albinâ monſtravi, ut jam ſatis ſuperquè, *uter noſtrum melius ſentiat*, experiaris. Voca me *bajulum antiquarium, ruderarium, Latomum*, ut libet, ut lubet, modò fateare, me de perſonis, quibus Auguſtinus laudatos libros inſcripſit, ex ipſis oculatorum teſtium ſcriptis, ex vetuſtiſſimis Sanctorum Patrum monumentis, ex antiquorum lapidum inſcriptionibus longè certiora protuliſe, quàm tu *ab ingenio* ſinè ullo prorsùs libro-

D rum

Digitized by Google

rum, quod me di ere pudet, præſidio de eiſdem adduxeris. Quòd ſi pronuncies te *ab ingenio auctorem* eſſe ingenioſiſſimum, me verò *à dorſo valentiſſimum bajulũ*, ſtabo tuæ ſententiæ, nec altum judicem appellabo.

Hæc juſtæ apologiæ, quam modò adversùs recentiſſimum tuum librum adorno, ſpecimen ſint. Cùm verò intelligam me iſthìc à quibuſdam reprehendi, quòd dixerim, Sanctos Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, & Vincentium Lerinenſem Monachum Caſſiani partibus adversùs doctrinam S. Auguſtini de prædeſtinatione adhæſiſſe, quaſi aut ſolus, aut primus id aſſeruerim, & tu quoque hæc in cap. 16. p. 119. ſcribas: *Cedo mihi, quæſo Pater Noris, ſcriptorem aliquem bonum, malum, qui Hilarium Arelatenſem Semipelagianiſmi appellet: ego nullum hactenus potui invenire*; decrevi quoſdam nobiles ſcriptores appellare. Agmen ducat S. Proſper in Epiſtolâ ad Auguſtinum, in quâ cùm Caſſiani ſectatorum (quos Scholaſtici recentiores dixere Semipelagianos) opiniones, & objecta S. Doctori narraſset, hæc ſcribit: *Credimus, & ſperamus non ſolùm tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos, quos meritis, atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos.* Nam UNUM EORUM *præcipuæ auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum, Sanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua admiratorem, ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de* HOC, *quod* IN QUERELAM TRAHIT, *jam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre*; Hinc Auguſtinus in lib. de Dono perſever. cap. 21. non dubitat ſuppreſſo nomine Hilarium iis accenſere qui negabant *initium fidei eſſe donum Dei.* Quàm verò violenter verba illa detorqueas, brevi intelliges. Petis *ſcriptorem aliquem bonum, malum?* Audi Uſſerium in lib. de antiquitate Eccles. Britan. cap 11. p. 346. *Denique*, inquit, *Hilarium Arelatenſem illum ſuum inter eos, qui in doctrinâ de prædeſtinatione ab Auguſtino diſſentiunt, annumerat Proſper.* Fortè repones, Uſſerium eſſe Calviniſtam? At ipſemet ſcriptorem aliquem *malum* poſcebas. Vocatur tamen Uſſerius à P. Ricciolio lib. 1. Chronol. Reformatæ cap. 20. *vir Eccleſiaſticæ antiquitatis ſcientiſſimus.* Hoc parum cauſam juvat adversùs te, qui *bonum, malum* flagitaſti. Attende ſcriptores bonos, meliores, optimos quibus vix audeas adverſari. P. Teophilus Raynaudus in apologiâ pro Valeriano Cemelienſi cap. 4. ita ſcribit. *Hilarius Epiſcopus Arelatenſis unus fuit eorum, qui adversùs D. Auguſtinum querelas moverunt. Audi Proſperum in calce epiſtolæ ad Auguſtinum.* Et laudatis verbis proximè à me recitatis, *expendo*, inquit, *particulas illas* unum eorum, *utique adversùs Auguſtinum agentium, de quibus ſermo*: & in aliis omnibus, *nam quoad negotium, de quo Proſper tota epiſtola, atque adeo quoad errorem ſemipelagianum, non erat Auguſtinianæ doctrinæ admirator, imò eam* in querelam trahebat. *Et Proſper liquidè teſtatur ſe eum habuiſſe ſuſpectum, cùm dubitet, quo fine eſſet cum Auguſtino per literas acturus.* Accedat quartus poſt Proſperum teſtis P. Gabriel de Henao in volumine pro ſcientiâ mediâ ſect. 28. num. 184. ubi ait: *Liquet etiam de diſcrimine ab Hilario, qui unà cum S. Proſpero miſit literas ad S. Auguſtinum. Nam is Hilarius non obſcurabatur caligine opinionis adverſæ S. Auguſtino, neque hujus doctrinam in querelam trahebat circà negotium gratiæ, ſed ille alter Hilarius Antiſtes Arelatenſis.* Sunt hi duo inſignes è Societate Jeſu ſcriptores, ſed tertium ex eadem doctiſſimâ familiâ teſtem habeo magnum ſacræ ac profanæ eruditionis promotorem, Jacobum Sirmondum in notis ad Epiſtolam Cœleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, ubi ſcribit *Epiſtolam illam, quæ tota eſt pro defenſione S. Auguſtini, congruere Hilario Arelatenſi non poſſe, qui Auguſtini doctrinam, ut Proſper in Epiſtola ſuâ teſtatur, cùm in cæteris ſuſpiceret, hac in parte* NON PROBABAT. Apud Labbeum & Coſſartium tom. 2. Concil. pag. 1818. In hoc tanti viri teſtimonio & glorior, & triumpho. Viſne alios teſtes, qui *aliquem malum, bonum* rogabas? Adeſt par teſtium, & uno ore loquuntur. Sunt Sammarthani viri erudiſſimi tom. 1. Galliæ Chriſtianæ pag. 36. *Conſtat autem*, inquiunt, *Hilarium, qui ſcripſit ad S. Auguſtinum & cujus occaſione miſit libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono perſeverantia, eſſe diſtinctum ab Hilario Arelatenſi Epiſcopo: primùm quia Hilarius in epiſtolâ ad Auguſtinum ſignificat ſe fuiſſe laicum. Proſper verò eodem tempore, & die ſcribens ad Auguſtinum, dicit Hilarium Arelatenſem tunc fuiſſe Epiſcopum, & ipſius doctrinæ contrarium, his verbis*: Credimus ipſos, quos meritis, & honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, *ſemipelagianiſmi*, (inſerunt hoc verbum Sammarthani, non ego) defæcatiſſimum lumen gratiæ recepturos; Nam unum eorum præcipuæ auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum Sanctum Hilarium Arelatenſem, &c. verba Proſperi recitant. Petis alium teſtem, qui ſeptimus cæterorum agmen claudat? Adeſt ex eadem Galliâ Gilbertus Maguinus vir doctiſſimus, ac Regi Chriſtianiſſimo à conſiliis, qui paucis abhinc diebus diem obiit. Hæc ſcribit par. 2. confut. Fabulæ Prædeſt. cap. 11. pag. 650. *Teſte Proſpero epiſtolâ ad Auguſtinum Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, & alii plurimi non minus auctoritate, quàm pietate celeberrimi viri, S. Auguſtini de gratuitâ Dei prædeſtinatione doctrinam non minus quam hæreſim averſati ſunt.* Et pag. 475. ex eodem Proſpero teſtatur Hilarium *Pelagianæ pravitatis reliquiis infectum.* Cùm dixeris: *ego nullum hactenus potui invenire*, qui ſcripſerit S. Hilarium Arelatenſem adverſatum fuiſſe doctrinæ S. Auguſtini, abſit ut te mentitum putem; novi animi tui ingenuitatem, candorem, ſimplicitatem. Itaque neminem laudatorum ſcriptorum legiſti. Tantùm, mi Macedo, plerunque nocet omnia *ab ingenio* afferre. Diſce tandem, quid juvet, *Bajulos agere, non auctores; in dorſo ſtudium eſſe, non in cerebro.* Nam his planè verbis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ profeſſoribus in præfatione inſultaſti. Tua illa compellatio confidentiſſima: *Cedo mihi P. Noris, ſcriptorem aliquem bonum, malum*, tuo *ab ingenio* eſt. At amici tui Noris gravis, ac quadrata reſponſio *à dorſo*. De Vincentio Lerinenſi nil addendum puto; ſcribis enim me alios habere dicti mei aſſertores: nuper acceſſit eximius Doctor Lovanienſis Chriſtianus Lupus par. 4. not. in Synodos pag. 757. Hæc, mi dulciſſime Macedo, æqui boniquè conſulas precor, nevè tibi ante victoriam triumphum per Italiam Romam uſquè cantes. Et quando annos natus ſeptuaginta ſeptem, tot vigiliis, quas in edendis quadraginta & amplius voluminibus ſubiiſti, ſenili corpore macerato, vaſtiſſimo Eccleſiaſticæ eruditionis pelago te committere expaveſcis, veritus ne in medio curſu te vita deficiat, ſine me, quem imberbem juvenem olim Romæ vidiſti, & amicum tui nominis ſuprà cæteros ſtudioſiſſimum noſti, ſine inquam, me vela pandere, ac de portu ſecurus proſperam mihi navigationem Horatiano carmine adprecare.

Navis quæ tibi creditum — Lib. 1. Ode 3
Debes Hiſtoricum per freta ducere,
Reddas Noriſium *precor*,
Et ſerves animæ dimidium meæ.

Vale, amiciſſime, & ingenioſiſſime Pater, meque iſthic amicis commendatum facias, tuos verò patronos mihi benevolos, vel ſaltem minus iratos reddas.

LAUS DEO.

Digitized by Google

RESPONSIONES
P. FRANCISCI MACEDI
Profeſſoris Patavini, Veneti Civis, &c.

ADVERSUS

PROPOSITIONES PARALLELAS

FR. JOANNIS à GUIDICCIOLO

COLLECTÆ,

AB

ANNIBALE RICCIO
Veneto, Sacræ Theologiæ Baccalaureo.

Sanctus Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammachium.

Nolo in ſuſpicione hæreſeos quemquam eſſe patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judicetur.



Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISS. PRÆSULI D.

CAMILLO PIAZZÆ

EPISCOPO DRAGONIENSI,

Sanctæ Romanæ Univerſalis Inquiſitionis Aſſeſſori.

QUòd te, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Præſul, novus homo ſcripto venerarer, ac ſummæ Catholicæ Religionis rei admotum, importunis vocibus interpellarem, nupera neſcio cujus moleſti hominis accuſatio in cauſa fuit. Heſternus Cenſor propoſitiones parallelas publicavit, conatus demonſtrare quaſdam Henrici Noris aſſertiones cum Michaelis Baii erroribus convenire; quam ille opellam Eminentiſſimis Patribus, qui Catholicæ fidei ſarta tecta ſervandæ præſident, nuncupavit. Caterùm quàm falſò Orthodoxo Scriptori de Baiano nomine invidia conſletur, illos ſolum ignorare arbi-

tror, qui eiuſdem volumen ignorant : ſiquidèm ſatis luculentèr in eodem oſtendit, quàm multis paraſangis ſtatuta abs ſe theoremata, à Baii erroribus diſtent. Verùm adverſarii importunitas neceſſariæ defenſionis mihi onus imponit : ut amico Scriptori brevem quidèm, ac tutiſſimam advocationem commodem, quam ſanè veluti compendio agam, ne longiori apologia Te, quem totius Orthodoxi Orbis cauſæ tùm difficultate impexæ, tùm multitudine innumeræ, diu, noctuque diſtinent, occupatum, ut inquit Comicus, occupem. Itaque mihi decretum eſt unius P. Franciſci Macedi, cujus vel honorarii tituli ſatìs ſpatioſam paginam implent, teſtimonio adversùs novum Paralleliſtam depugnare. Haud arbitror tanti viri fidem delatori ſuſpectam fore : eſt enim ejuſdem non modò Amicus, ſed etiam Frater, & , ut ſuſpicor, emiſſarius. Videſis, Illuſtriſſime Domine, quanta huic cauſæ, quam defendo, fiducia ſit, ut vel unius Macedi ſuffragiis Baianiſmi notæ eximatur. Te per tuam famam, quæ ubique cum laude perſonat, etiam, atque etiam obteſtor, ut defenſionem, quam ex P. Macedi ſcriptis Noriſio præſto, Eminentiſſimorum Patrum veſtigiis ſiſtas, eoſque per Macedum, ſi ſuperis placet, probabili cauſæ propities.

PARALLELLUM

Propoſitionum damnatarum Michaeli s Baii, & quarundam ſimilium Henrici Noris.

CENSURA.

Satis inauſpicatò opus aggreditur, ac ſe prorsùm in parallelis deducendis novum propalat, dùm vel in ipſo titulo mendam admittit: Paralellum ſcribit, cùm parallelum ſcribere debuiſſet. Hinc facile intelligitur, quàm erroneè parallela concinnet, qui vèl paralleli nomen cùm errore pronunciat.

ACCUSATOR.

Prima Baii damnata, quæ eſt in ordine 12.

Pelagii ſententia eſt: opus bonum extrà gratiam adoptionis factum, non eſt Regni Cœleſtis meritorium.

Prima Noris ejuſdem ſenſûs in Vindiciis pag. 23. lin. 18. col. 1.

Nunquàm Julianus, aliique Pelagiani admiſere opera meritoria, ſivè donantia jus ad gloriam ſinè gratiâ juſtificante.

RESPONSIO P. MACEDI.

Hæc ſcribit vir Doctiſſimus tomo 2. Collat. 10. differ. 3. ſect. 2. pag. 583. col. 1. *Pelagiani inducebant genus quoddam actuum honeſtorum naturalium, qui ſteriles quidèm eſſent vitæ æternæ; ſed præditi tamen honeſtate naturali.* Rectè: Nam ut haberent fructus vitæ æternæ fatebantur cùm Catholicis neceſſariam eſſe gratiam adoptionis. Cœleſtius apud S. Auguſtinum in lib. de Pecc. orig. cap. 5. ait: *quia Dominus ſtatuit Regnum Cœlorum non niſi Baptizatis poſse conferri, quod, quia naturæ vires non habent, conferre neceſſe eſt per gratiæ largitatem.* Vulgare erat Pelagianorum effatum: *non habet unda, quod diluat, habet, quod adoptet.* Sanctus Auguſtinus lib. 1. Op. imp. cap. 133. hæc contrà Julianum ſcribit: *dic, quæſo, quibus meritis parvulorum debeat Regnum Cœlorum. Dicturus es fortè, debere hoc enim gratiæ ſuæ, quâ opitulante, renati ſunt: propter hanc enim acceptam jam venire in ejus Regnum merentur.* Ex his patet, Pelagianos ad meritum Regni cœleſtis neceſſariam putaſſe gratiam adoptionis; undè pueros hanc gratiam in Baptiſmo minimè conſequutos, cùm Catholicis excludebant à Regno cœlorum, teſte Sancto Auguſtino Serm. 14. de verb. Apoſtoli. Omnia hæc obſervat Suarez tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 14. quo loci errorem etiam Baii explicans, ait: *Putavit enim Bajus homini non fuiſſe neceſſariam gratiam, niſi ratione culpæ; nam ſecluſo peccato, credidit naturæ humanæ ex vi ſuæ primæ creationis eſſe debitam vitam æternam, ità ut acceptari ad illam non ſit gratia, ſeù gratuita adoptio, ſed naturale bonum, & quia Pelagiani non adeò errarunt, ut negarent eſse neceſsariam parvulis adoptionem, quamvis negarent habere peccatum; ideò dixit cùm Pelagianis ſentire, qui hanc adoptionem gratiæ dicunt eſse ad meritum neceſsariam. Damnatur enim hæc altera ejuſdem Baii Propoſitio 18. Dicit ſentire cùm Pelagio, qui dicunt eſse neceſsariam ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum. His conſimilia tradit propoſ. 16. & 19.* Itaquè propoſitio illa 12. Baii damnatur, quòd Pelagianæ hæreſeos accuſarit dogma Catholicum, in quo, teſte Suario, Pelagiani non errarunt. Ex his patet, Paralleliſtam nec Baii, nec Pelagianorum ſententias intellexiſſe.

ACCUSATOR.

Secunda Baii damnata in parallelo, eſt in ordine 25.

Omnia opera infidelium ſunt peccata.

Secunda propoſitio Noris in Vind. pag. 44. lin. 19. col. 1.

Infideles peccant non obſervando legem, & opera, quæ ipſi faciunt, ſemper ſunt peccata.

RESPONSIO P. MACEDI.

Antequàm eruditi Theologi textum exhibeo, palàm denuncio, accuſatorem verba P. Noris malitiosè detruncaſſe, quò eumdem Baianâ fuligine denigraret. Hæc ibidem leguntur: *Undè opera, quæ ipſi faciunt, ſemper ſunt peccata, niſi ubi aliquando Deus quoſdam bonos actus, ipſis neſcientibus, in eorumdem voluntatibus operatur.* Audin Deum in infidelibus quandoque bonos actus operari, ac proindè non omnia infidelium opera eſſe peccata, utì per errorem Bajus autumavit? Sententiam P. Noris, utì Auguſtinianam, & ſolidè, & fusè olim defenderat P. Macedus. Hæc ſcribit in Cortinâ theſi 39. *Omnis actus, qui fit ſinè ullo fidei lumine, & ſinè ullo impulſu gratiæ, peccatum eſt.* Præthereà tom. 2. Collat. 10. differ. 3. ſect. 2. pag. 586. col. 1. *Ex his*, inquit, *primum, quod propoſui, probatum manet: ſcilicet Auguſtinum ſentire omnia opera citrà fidem, & gratiam eſſe vitioſa: Nam non negat Auguſtinus Infideles aliquandò benè operari, ſed negat operari benè, cùm citrà omnem fidem, & gratiam operantur.* Jam germana Macedi, ac Noris ſententia eſt, ut non ovum ovo ſimilius ſit. At viden, quemadmodum idem Macedus à ſe Baianum pulverem excutit ibidem ſect. 3. pag. 590. col. 2. *Reſpondetur, ait, Tertiò, & meliùs, me quidèm auctore, eas propoſitiones prolatas à Bajo in rigore, & univerſaliter falſas omninò, & damnandas eſse, & prorsùs alienas à mente Auguſtini. Nàm illa prima propoſitio: Omnia opera infidelium ſunt peccata: ità univerſim accepta, reprobanda eſt, cùm multa opera fiant ab infidelibus indeliberata, & ſinè advertentiâ; non pauca ex ignorantiâ invincibili; quædam poſſint eſse ex lumine fidei, quæ certè peccata non ſunt: igitur falſum eſt, quòd omnia opera infidelium ſunt peccata. Apparet autem, Auguſtinum de operibus tantum infidelium deliberatis, & antè omnem fidem, & gratiam, fuiſse locutum, cùm dicat ea ex defectu debiti finis prava fore.* Hæc ille: quibus ſatis clarè demonſtravit, quàm procul ſua ſententia, quæ Norisii etiam eſt, à Bajano errore remota eſſet.

A C-

ACCUSATOR.

Tertia Baii, quæ eſt damnata in parallelo in ordine 27.

Liberum arbitrium ſinè gratiæ Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.

Tertia propoſitio Noris in Vind. pag. 20. lin. 40. col. 1.

Sanctus Doctor Auguſtinus aſſeruit, nullas in Infidelibus ex ſ lius arbitrii viribus virtutes reperiri, & ſi quæ in iiſdem virtutes fuerint, eaſdem nequaquam ipſorum voluntati, ſed Divinæ gratiæ adſcribendas eſſe.

RESPONSIO P. MACEDI.

Concinit cùm Noriſio Macedus in Cortinâ qu. 2. art. 1. pag. 221. his planè verbis: *Negat igitur Auguſtinus eſſe huiuſmodi actus naturales bonos ſinè gratiâ: negat eſſe in nudâ facultate naturæ: negat eos in Infidelibus omni fide, & gratiâ carentibus, reperiri.* Et ſtatim in eadem paginâ addit: *Mentem Auguſtini per concluſiones expono. Prima ſit. Omnes actus ſinè ullâ omnino fide, & citrà omne auxilium gratiæ eſſe pravos, & vitioſos, Auctor eſt Auguſtinus.* Poſteà art. 3. pag. 239. inter objectiones, quas contrà abs ſe ſtatuta recitat, ponit cum aliis hanc damnatam Baii: *Liberum arbitrium ſinè gratiâ, & Dei adjutorio non niſi ad peccandum valet.* Adducit pag. 247. plures reſponſiones: unam brevitatis gratiâ hùc appellabo. *Reſpondetur Secundò, illas propoſitiones ſecundùm ſe, & in rigore eſſe falſas, & contrà mentem Auguſtini, uti Baius eas proferebat: nàm, ut etiam notat Vaſquez, in eo errore erat Baius, ut nullum bonum opus admitteret ſinè fide perfectâ, & gratiâ Sanctificante. & patet ex propoſitione 16. & 50. qui error alienus eſt à ſententiâ Auguſtini, qui tantùm requirit fidem, & gratiam inchoatam, & antè iuſtificationem bona opera admittit. Quâ de re videndus Vaſquez diſp. 218. cap 3.* Præterea idem P. Macedus cùm tom. 2. collat. 10. differ. 2. ſect. 3. pag. 578. laudaſſet pro eadem ſententiâ Epiſcopum de Abellis, ac tres Auguſtinianos, Ariminenſem, Caſalium, & Poncium, deinde Vaſquez, hæc ſcribit: *Accedit illuſtris, & recens Auctor Auguſtinianus P. Henricus Noris, qui in ſuo erudito Libro de Hiſtoriâ Pelagianâ nunc in lucem edito, eo tractatu, quem inſcribit:* VINDICIÆ AUGUSTINIANÆ: *eamdem Auguſtini Doctrinam tradit, munit, confirmat magnâ, & invictâ Sanctorum Patrum auctoritate.* Ità vir inſignis Baianam objectionem dudùm ex Vaſquio retudit, & magni Auguſtini ſententiam procul à Baianis tenebris in optimo lumine collocavit, ac denique ſuum in eadem defendendâ Commilitonem Noriſium illuſtri præconio commendavit.

ACCUSATOR.

Quarta Baii damnata in Parallelo, eſt in ordine 65.

Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi arbitrii bonus, ſivè non malus, & gratiæ Dei injuriam facit, qui ita ſentit, & docet.

Quarta Noris in Vind. pag. 21. lin. 15. col. 2.

Cenſeo hæc opera bona non fuiſſe facta ab infidelibus ſuis ipſorum viribus derelictis, ſed præmunitis ſpecialibus Divinæ gratiæ auxiliis.

RESPONSIO P. MACEDI.

Cùm vir doctiſſimus, & acutiſſimus tùm in Cortinâ, tùm in altero tomo Collationum locis proximè indicatis, P. Noris ſententiam, utì omninò Auguſtinianam, confirmaſſet, inter Baii propoſitiones, quas in Cortinâ pag. 239. & in collat. pag. 588. ſibi opponit, tertiam ſtatuit: non niſi Pelagiano errore &c. quam accuſator Noriſio exprobrat: Illam verò hac reſponſione confutat pag. 246. Cortinæ, & pag. 590. collationum. *Nunc certiò ſuus eſt locus: quòd in Michaele Bajo damnabat propoſitiones Auguſtini; Huic igitur reſpondendum primo illas propoſitiones damnatas fuiſſe copulativè in rigore, & ſenſu ab Auctoribus intento, qui non ſolùm ſuam ſententiam ſtatuebant, ſed etiam contrariam ſugillabant: ut patet in Secunda, & Tertiâ propoſitione, unde quemadmodum hodiè vetatur, ne quis carpat, aut damnet ſententiam defendentem B. Virginem conceptam in peccato originali, quin tamen utra damnetur opinio; & tantum vetatur ſcandalum damnandi opiniones contrarias; Ita etiam hæ propoſitiones non aliter damnantur, niſi prout continent improbationem contrariarum; id enim Bajus agebat, ut Theologos ex diverſo opinantes condemnaret: quâ ratione ſolvit Vaſquez in 1. 2. diſput. 190. à num. 47. & confirmat teſtimonio Summorum Theologorum Bellarmini, & Toleti.* Hoc clypeo Macedi contrà intorta pila Noris latus munitur. Idem Macedus Collat. 10. differ. 3. §. *Judicium* pag. 595. & 596. teſtimonia Pontificum, Synodorum, Patrum, ac plurium denique Scholaſticorum addenſat, ut probet nullum actum bonum ſine Dei gratiâ ab Infidelibus elici poſſe; voluit autem P. Norim tam nobile, ac validum agmen claudere; *Accedit, inquiens pag. 597. novus, & clarus ſcriptor Noris in ſuo Libro de Hiſtoriâ Pelagianâ nunc in lucem edito, ubi eam probat multorum Patrum auctoritate in Vindiciis Auguſtinianis cap. 4. §. 5. Tantâ mole auctoritatis, tanto numero Scriptorum nititur hæc ſententia. Propterea non poſſum non magnopere mirari nonnullos Adverſariorum audere illam in invidiam vocare.* Addit ſtatim: *quod obiiciunt de Bajo, ut nobis terrorem incutiant, inane eſt. Jam illam formidinem ſuprà removimus, & in Cortinâ, & in Mente Innocentii, & in lib. de clav. Petri. Eamque objectionem occupaverat, & diluerat Vaſquez, Turrianus, Ripalda, & tota Schola Vaſquii Complutenſis. Quare huiuſmodi Auctores in locis ſuprà adductis: Diſſlabis inanem NUBECULAM.* Viden, ut erudito, non enim ventoſo dicam, Macedi tui ore, non ſecùs ac Boreâ ſpirante, diſſletur inanis nubecula, quâ Bajanas umbras P. Noris ſententiæ importare conabaris? At quòd notatiunculas ſuffarcinas, ut oſtendas, auctore Noriſio, antiquam Eccleſiam in interpretatione Paulinæ ſententiæ cum præſenti committi, ac ſub lite dimitti, te magiſtro uſus, parallelo inducto, unius te Macedi verbis caſtigabo. Scribit iſta tomo 2. Collation. different. 3. ſectione 4. pagina 597.

ACCUSATOR.

Hìc notandum Henricum Norim in Vind. à pag. 56. ad 58. contendere dictum illud Pauli Rom. 14.

P. MACEDUS.

Non itaque aſſerimus cùm Bajo nulla opera infidelium eſſe bona, ſed ſi quæ ſunt bona, ea ex aliquâ fide,

& gra-

Google

Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt; omninò intelligendum eſſe de fide divinâ habituali. Quo ſenſu affirmat Auguſtinum, & antiquam Eccleſiam illa verba Pauli accepiſſe: quod ſi verum eſt, propoſitio Baii de operibus infidelium, quod omnia ſint peccata non poteſt condemnari, quia ſequitur ex illo dicto *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ut ait Noris, objiciens contrà ſe, ſequitur, inquit, omnia opera infidelium eſſe peccata: Et quidèm ſequela concludit contrà Norim. Tu fateris eo loco pag. 57. illam expoſitionem dicti Pauli *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, eſſe Auguſtini, & Patrum antiquæ Eccleſiæ, ac proindè eſſe veram: non poteſt igitur damnari ſequela, quod eſt dogma Baii ſecutum ex doctrinâ Patrum, & tamen eſt damnata à Summis Pontificibus Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. in ſuis Bullis. Ergo vel PP. illi Eccleſiæ antiquæ erraverunt, vel Pontifices malè condemnarunt doctrinam Baii dicentis omnia opera infidelium eſſe peccata. Quod ſanè argumentum concludit contrà Norim, tenentem illam eſſe ſententiam Baii, & expoſitionem Auguſtini, & Patrum, & ſic inducit Noris manifeſtam contradictionem antiquæ Eccleſiæ, & noſtræ ſub illis Pontificibus Romanis. Errat manifeſtè Noris dicendo illam expoſitionem de fide, eſſe intelligendam de fide divinâ habituali. Patet evidenter contrà ipſum, quia illi PP. non ſunt locuti de fide habituali, ſed de conſcientiâ dictante, vel de fide illuminante, quæ dicitur irradiatio fidei, &c.

& gratiâ eſſe. Quo ſenſu eſt Auguſtini concluſio ità intelligentis Paulum Rom. 14. Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Sed quoniam hæc expoſitio loci Pauli impugnatur ab omnibus contrariæ doctrinæ Auctoribus; immò & erroris à nonnullis audacioribus appellatur, quales ſunt recentiores quidam PP. Galli, quorum duo errorem appellant, præterquàm quòd Ego in Corinnâ olim aliquos pro eâ Patres, ac inter eos magnum Gregorium, & Bernardum produxi, remitto Lectorem ad eruditiſſimum Patrem Henricum Noris, qui in eâ, quam ſuperiùs laudavi, Pelagianâ Hiſtoriâ, in Vindiciis Auguſtinianis cap. 4. §. 5. evidenter oſtendit, eam eſſe Eccleſiæ, Pontificum, & Patrum locum illum Pauli de fide prout eſt virtus Theologica intelligentium. Producit Pontificale Romanum, Leonem I. Bonifacium II. Synodum Byzacenam quindecim Patrum, inter quos fulgebat Fulgentius, qui extrà Concilium idem tradidit lib. 2. de Pec. remiſs. S. Proſperum Epiſt. ad Ruffinum, S. Iſidorum libro de ſummo bono cap. 2. S. Bernardum ſerm. 30. & 31. in Cant. Julianum Pomerium lib. 3. de Vit. contempl. cap. 1. Facundum Hermianenſem lib. 1. de trib. cap. ad Imperatorem Juſtinianum in fine. Quorum teſtimonia in eis egomet meis oculis vidi, aſſuetus non fidere alienis, & animadverti Anſelmum, quem Vaſquez contra Auguſtinum producit 1. tom. in 1. 2. diſ. 59. cap. 2. num. 8. etſi locum Pauli de conſcientiâ intelligat, non improbare ſenſum Auguſtini, imò ſuam illam expoſitionem ad eum accommodare, &c.

Qui Macedi cum Noriſio conſonantiam tam manifeſtam non videt, næ is quidèm inſigniter cæcus eſt: Nam Macedus, non modò Noris ſententiam probavit, verùm laudata ab eodem teſtimonia exſcripſit, ac ſuum in volumen tranſtulit. Cæterùm de accuſatoris fide hìc liceat poſtulare, qui fingit textum Apoſtoli intelligendum eſſe juxtà Noriſium de fide divinâ habituali, cùm Pater Noris in Vindiciis cap. 3. §. 4. ubi ea de re fuſiùs agit, pag. 22. in calce col. 1. hæc disertè pronunciet. *Ex quibus patet ad referenda opera bona in Deum non requiri fidem in Chriſtum, ſed ſatis eſſe fidem in Deum; imò ſolam Fidem etiam acquiſitam ſufficere colligitur ex lib. de Patientiâ cap. 26. & 27.* Imò eo loci, nunquam fidei habitualis mentionem fecit; undè Accuſator impoſturæ convincitur. Concludo cum Macedo Collat. 10. cit. pag. 580. col. 1. *Perſtandum nihilominùs in propoſito, & ſuſtinendum, Auguſtinum tria illa quæ ſtatuimus, docuiſſe, & in eo ſenſu locutum, quem per concluſiones eius locis multis aſſirmavimus, neque aut ipſam contrà aliter, aut contrà ipſum Pontifices ſenſiſſe, ejuſque ſententiam tuam, & ſanam eſſe, longèque à Baii ſenſibus alienam!* O Sancta veritas! ò bone ſenex!

ACCUSATOR.

Quinta Baii damnata in Parallelo eſt in ordin. 39.

Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.

Sexta Baii damnata in Parallelo eſt in ordine Bullæ 41.

Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine, non reperitur in Scripturis; ſed ſolum nomen libertatis à peccato.

Septima Baii damnata in Parallelo eſt in ordine Bullæ 66.

Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

Octava Baii damnata in Parallelo eſt in ordine Bullæ 67.

Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſariò facit.

Notæ ejuſdem.

Hæ quatuor propoſitiones comprehenduntur à Noris in Vindic. Auguſt. pag. 38. 39. continent eamdem doctrinam Baii de libertate; id eſt poſſe ſtare libertatem ad merendum, & demerendum cum neceſſitate, quia ſola violentia, ſive coactio repugnat libertati, quæ item fuit tertia propoſitio damnata in Janſenio. Exſcribamus hìc verba Noris: quod eſt deterius, attribuit illud Auguſtino cum Calvino, Janſenio, & ſequacibus, afferens pag. 38. objectionem Vaſquii, Gonetì, Morainii, & aliorum, quæ hujuſmodi eſt. Nullus puniri debet ob id, pro quo nec vituperari, aut reprehendi poteſt; igitur nec puniri. Reſpondet, dicendo: duo eſſe genera peccati: unum, quod eſt omninò liberum, & ſimpliciter peccatum: alterum, quod eſt peccatum, & pœna peccati, juxtà doctrinam Auguſtini, & reſpondet, primum genus peccati committi cum libertate indifferentiæ, ſecundum minimè, & teſtimonia adducta à contrariis pro libertate cum indifferentiâ reſtringit ad primum genus peccati, in quo eſt peccatum actuale Adami; in cæteris autem, in quibus eſt originale, & alia actualia, quæ ſunt pœna peccati, ponit neceſſitatem, & cum ea ſtare affirmat peccatum; & in hunc ſenſum affert verba Auguſtini quando ponit libertatem cum indifferentiâ ad peccandum, uno tantum citato loco, qui eſt lib. 1. Operis imperfecti cap. 48. & altero lib. 5. ejuſdem operis cap. 52. ſpecialiter autem pag. 39. lin. 38. col. 1. celebre teſtimonium Auguſtini pro libertate indifferentiæ ad peccandum poſitum in lib. de duabus animabus cap. 11. Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod Juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere, *cùm Auguſtino*

ſtino eodem loco operis imperfecti reſtringit ad ſolum peccatum Adami iiſdem verbis Auguſtini, qui ſic ait eo loco lib. 1. Oper. imper. cap. 48. Ipſe eſt Adam, quem noſtra illa definitio, quæ tibi placuit, intuebatur, cum dicerem: Peccatum eſt voluntas retinendi. Qui etiam eodem loco non vult comprehendere ſub ea definitione libertatis cum indifferentiâ peccatum, quod eſt pœna peccati, &c.

RESPONSIO P. MACEDI.

Hæc ait in Cortinâ quæſtio. 1. art. 2. pag. 39. *Id cùm aliàs, tum perſpicuè lib. contrà Julianum imperfecto 1. fol. 40. Auguſtinus exponit; Adam quando peccavit, nihil in ſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad peccandum, ac per hoc id egit, quod Juſtitia vetat, & undè liberum fuerat abſtinere. Et quidem hanc partem definitionis in Adæ tantum peccatum quadrare docet, quod maximè liberum fuerit; non verò in peccata naturæ lapſæ, quæ cum non totâ libertate fiunt, iis non eſt liberum abſtinere.* Rectiùs art. 4. pag. 68. ferram per eamdem lineam ducit. *Sed nihil, inquit, ad idem probandum fortius, & evidentius, quam illa ipſa definitio peccati antea propoſita, & ab Auguſtino ſemel de peccato Adæ explicata peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi quod Juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. Cùm enim eâ definiri à ſe primum Adæ peccatum Auguſtinus ſemel, uti proximè diximus, declaraſſet, non negavit cum aliis item peccatis lapſæ naturæ convenire, quæ quidem propriè peccata ſunt, id eſt quæ ſimili illi Adæ parentis libertate fiunt: ac proindè pœnæ Peccatorum non ſunt; cujuſmodi ſunt ea, quæ ab homine juſto peccata committuntur.* Et ſtatim. *Perſpicuè Auguſtinus lib. 1. contrà Julianum Operis imperfecti proximam definitionem novâ, & excogitatâ ratione oppugnantem: Scias, inquit, aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque. Intelligis, quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas eſt agendi, quod Juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere: Peccatum namque iſto modo definitum eſt, non pœna peccati, non utrumque. Horum ſane trium generum ſi requirantur exempla, primi generis in Adam ſinè ullo modo quæſtionis occurrit: multa quippè ſunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere, &c.* Hæc ex Auguſtino, & cum Auguſtino Macedus. Profectò accuſator inſigniter imponit, dum ait P. Noriſium famoſam illam definitionem eum Auguſtino in eo loco Operis imperfecti reſtringere ad ſolum peccatum Adami. Nuſquàm hoc Auguſtinus, nuſquàm hoc ejuſdem Sectator Noris autumavit. Nàm oppoſitum in eo ipſo loco Sanctus Doctor diſertè pronunciat. Multa quippè, inquiens, ſunt ea, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere. Igitur ea definitio aliis peccatis actualibus poſterorum Adami convenit; quod evidentiſſimè ruſùs docet Sanctus Auguſtinus lib. 5. ejuſdem operis cap. 60. Hoc unum Noris dixit ex Auguſtino, laudatam definitionem non competere peccato, quod eſt pœna peccati. Audiatur Auguſtinus lib. eodem 5. cap. 47. Definitio itaque illa peccati cum ſit, quod Juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere, ad illud peccatum pertinet, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati. Hoc errarunt Calvinus, ac Janſenius, quòd dixere, memoratam definitionem, ſoli Adami peccato poſſe adaptari, ut ex locis ab accuſatore adductis ad oculum patet. Julianus ad auferendum peccatum originale paſſim, & ubique uſus eſt illâ peccati definitione, cui conſtanter Sanctus Auguſtinus repoſuit, eamdem non quadrare in peccatum, quod eſt pœna peccati, cujuſmodi etiam erat peccatum originale, à quo nulli poſterorum liberum eſt abſtinere, cùm non per liberam volitionem perſonæ, ſed per vitiatæ ex libero Adæ peccato naturæ neceſſitatem poſteris inſit. Porrò Noris eo loci de ſolo peccato originali diſputat. Fateor tamen, ipſum laudare illa verba Sancti Doctoris, quibus D. Pauli ſententiam: *Non enim quod volo, facio bonum, &c. Rom. 7.* contrà Julianum urgens, neceſſitatem peccandi exagerat: verùm cùm hæc peccata ſint pœnæ peccati ex Auguſtino, & pertineant ad tertium genus peccatorum, à quibus non eſt liberum abſtinere; ſunt tantum materialiter peccata, imò mala potiùs, quàm peccata, uti palàm appellantur ab Auguſtino in textu, quem ex Noriſio cenſor oppoſuit. Diſertè S. Doctor illud Pauli dictum lib. 5. Oper. imper. cap. 59. explicat de motibus concupiſcentiæ indeliberatis, præſertim cum Auguſtinus aſſerat, Apoſtolum de ſe ipſo ea pronunciaſſe. Quod autem idem Auguſtinus ibidem cap. 50. tradit de actibus deliberatis etiam intelligi poſſe, non eſt alia in eiſdem neceſſitas adſtruenda, quàm moralis, quæ idem eſt, ac maxima difficultas, uti rectè probat P. Macedus pag. 96. ſuæ Cortinæ. Hæc notavi, non ut P. Noris dicta defenderem, cùm ille tantum de peccato originali loquatur, à quo non eſt liberum poſteris abſtinere, ſed ut Sancti Auguſtini ſententiam, quam accuſator ſugillat, in bono, hoc eſt Catholico lumine collocarem.

ACCUSATOR.

Nec obiiciat Noris locos illos Libri imperfecti contrà Julianum: Nam illi Libri ſunt ambigui, nec indubitati inter opera Auguſtini, & nuper inventi, & in multis propoſitionibus corrupti; quarum una eſt illa, quam Noris adducit; continet enim contradictionem manifeſtam cùm aliis, ubi perpetuò, & clarè Sanctus Auguſtinus docet ad merendum, & demerendum omninò reperiri libertatem indifferentiæ, &c.

RESPONSIO P. MACEDI.

Libros operis imperfecti, uti germanum Auguſtiniani ingenii fœtum Macedus laudat ſæpiùs in Cortinâ pag. 47. 61. 63. 64. 67. 69. 93. 94. 107. Imò textum Auguſtini ex lib. 1. cap. 48. ex quo Noris ſuam ſententiam deduxit, in eodem omninò argumento Macedus adduxerat, ut ex eiſdem verbis proximè laudatis oſtendi. Idem Macedus ex Auguſtino negat indifferentiam libertatis requiri ad merendum, & demerendum. Lege theſim 80. Cortinæ, & tres ſequentes, in quibus indifferentiam à libertate diſtinguit. *Libertas, inquit, ab indifferentia diſtinguitur; quòd indifferentia eſt punctum indiviſibile æquilibrii in neutram partem inclinantis; libertas verò ſuſcipit magis, ac minùs, & patitur inclinati-*

nationes; & impulſus in utramque partem, quod non patitur indifferentia illa indiviſibilis. Id fuſiùs explicat in Libro de mente Innocentii adversùs propoſitiones Janſenii. To videſis, ac diſce nullam in Auguſtini dictis, quod libertatem ad merendum, & demerendum requiſitam attinet, antilogiam reperiri. Cæterùm ſex Libros Operis imperfecti eſſe Auguſtini, validiſſimè ex Conciliis à Sancto Martino, dein Sancto Agathone, Romæ coactis, & ſextâ etiam Synodo, ac Patribus antiquioribus Noriſius demonſtravit in appendice ad diſſertationem de Synodo V. Hæc recitat Sancta Synodus VI. act. 4. ex Epiſtolâ Agathonis Papæ: *veritatis prudentiſſimus prædicator Beatus Auguſtinus in 5. volumine diſputationis adversùs Julianum Pelagianiſtam....... Item in eodem: veritas autem dicit, quamdiù eſt voluntas ulla, à natura non poteſt ſeparari.* Hæc leguntur in calce cap. 53. lib. 5. operis imperfecti, ex cujus ſuperiori capite 52. Noriſius Auguſtini teſtimonium adduxit, de cujus fide accuſator dubitat. Ex his Sancti Auguſtini libris duo Romana Concilia, ac poſtremò ſexta univerſalis Synodus de Monothelitis triumpharunt; & audebit novus delator eoſdem apùd Romanæ Eccleſiæ Patres, utì Apocriphos, accuſare? Pape: quàm eruditi homines Noriſio litem intentant!

A C C U S A T O R.

Nona Baii damnata in Parallelo eſt in ordine 55.

Deus non potuiſſet talem ab initio, creare hominem, qualis nunc naſcitur. Hæc propoſitio de concupiſcentiâ communiter intelligitur, quaſi reprobetur à Pontificibus, quia Bajus putabat, concupiſcentiam eſſe per ſe malam, & vitioſam, non autem eſse proprietatem naturæ, quamquam per peccatum vitiatam. In hoc autem ſenſu Noris negare debet, poſse hominem creari cum concupiſcentiâ; immò à fortiori, quia ille ſentit eam eſse naturâ ſuâ, & ſecundum eſſentiam malam. Ita in vindic. pag. 15. lin. 16. col. 1. *ut*, inquit, *evidens fiat, ſecundùm propriam eſsentiam eſse malam, non verò ſecundum imperfectionem annexam.* Et poſteà: Tenet igitur Noris ſententiam negativam, quam Papa prohibuit, in quocunque ſenſu ſumatur: non poteſt enim eſse vera, niſi affirmativa ſit falſa; mens autem Pontificis fuit ſtatuere affirmativam: ſcilicet Deus potuiſset talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur, cum concupiſcentiâ naturali, quæ eſt proprietas naturæ, utì communiter tradunt Theologi. Hactenus Parallelista.

R E S P O N S I O P. M A C E D I.

In hac communitate Theologorum, neque enim à vulgo ſcriptorum eſt, Macedum non invenies; tranſiit olim ad illos, ad quos poſteà Noris acceſſit, nempè eos, qui negant, concupiſcentiam eſse proprietatem naturæ, cùm velint eſse malum, ac vitium. Hæ ſunt voces Macedi lib. 40. de clav. cap. 10. parte 2. pag. 370. col. 1. *Undè concupiſcentia ne indifferens quidèm eſse poteſt, cùm inclinet ex ſe ad peccatum, & peccati fomes ſit, & effrenatâ licentiâ fertur. Igitur malum eſt, quamquam non ſit peccatum.* Confirmatur: *quia ſi iſta libido eſſet proprietas Naturæ, & flueret ex ejus principiis, attribueretur Deo conditori, ſed non decet Deum condere naturam cum illo modo, qui inducit ad peccandum, & oritur ex naturâ infectâ peccato; igitur non eſt innata: & hinc argumentum ſumo contrà Suarez, negantem poſse à Deo eſse habitum vitioſum vel per ſe, vel per accidens infuſum in voluntate, eo quod inclinet naturâ ſuâ ad malum morale. Item: quomodò concedit poſse Deum condere naturam cum libidine effrenatâ, quæ fomes eſt peccati, & ad peccandum inducit ſaltem per accidens, quod ille de habitu vitioſo negat?* Idem verò Macedus ibidem pag. 371. obiicit ſibi Bullam B. Pii V. in quâ ſeries propoſitionum Baii continetur, quarum LV. eſt: *Deus non potuiſset talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur*: quod argumentum pluribus diluit. *Reſpondet primo non omnes propoſitiones Baii damnatas eſse, cum ipſa Bulla dicat: Nonnullas poße aliquo pacto ſuſtineri: quarum certè una hæc eſt; & quidèm ſi ſolitariè ſumatur, & ſeorſim conſideretur, certa omninò, & tuta eſt. Reſpondet ſecundo. Dato damnari illam, utì vult Suarez, in eâ ſerie contentam, nihil inde ſequi contrà noſtram ſententiam; Nam ea ſolum damnatur, ut inquit Bulla, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertore intento, ideſt non ſolitaria, ſed conjuncta, connexaque cum aliis, & ut cum illis conſentiens; atque hoc modo continet perverſam doctrinam: Nam ex propoſitione 21. & 26. ejuſdem Baii, in eadem Bulla relatis, conſtat, illum ſenſiſse integritatem, & juſtitiam originalem non fuiſſe donum Dei, ſed conditionem naturæ, ex quo etiam reſultat hæreſis alia quinquageſima, quæ ex conſequenti negat, poſse creari hominem ſinè integritate, & juſtitiâ originali, qualis nunc naſcitur, qui ſanè perverſiſſimus eſt ſenſus, & minimè ferendus, à quo longiſſimè abeſt propoſitio illa ſolitariè ſumpta, & à quovis alio Theologo pronunciata.* Hactenùs Macedo.

Ex his patet, totam illam Bajanam conſpirationem, cujus Noris inſimulatur, vel ipſius P. Macedi teſtimonio falſam, inanem, ac nullam eſse. Profectò nec gutta guttæ ſimilior eſt, quàm utriuſque Scriptoris ſententiæ, ut certè Noris furti reus cenſendus foret, cùm Macedi theoremata planè tranſcripſerit, niſi uterque ex communi, eoque limpidiſſimo Auguſtini fonte eas doctrinas derivaſſet, quas poſteà in ſua ipſorum volumina diſperſere. Sunt in eadem Auguſtinianâ Navi Macedus, ac Noris; contrà utrumque Bajana tempeſtas excitatur, idem utrumque naufragium merget, vel benigniori ſydere afflante, unà ſimul incolumes evadent, ac Auguſtini aræ votivas tabulas appendent. Noris eas ſententias ex S. Auguſtini Libris evidentiſſimè deductas, à Macedo his verbis tom. 2. Collat. 10. pag. 596. col. 1. animatus, propugnavit: *Quod obiiciunt de Bajo, ut nobis terrorem incutiant, inane eſt. Jam illam formidinem ſuprà removimus, & in mente Innocentii, & in Libro de Clavib. Petri. Eamque obiectionem occupaverat, & diluerat Vaſquez, Turrianus, Ripalda & tota Schola Vaſquii Complutenſis. Quare huiuſmodi auctores in locis ſuprà adductis: Diſſlabis inanem Nubeculam.*

Quòd verò accuſator quaſdam propoſitiones P. Noris conglomerat, quas ſimiles Bajanis, nullo tamen Baii textu appoſito, pronunciat, operæ pretium duxi eaſdem P. Macedi dictis ſimillimas demonſtrare.

A C-

ACCUSATOR.

Prima. Homo ex peccato originali incurrit in privationem potentiæ proximæ expeditæ ad perſeverandum in ſemel acceptâ gratiâ ſanctificante. *In Vind.* pag.65. lin.20. col.2.

P. MACEDUS.

Quæcunque igitur gratia leviter pulſat, eiusque voluntatem intrà illos terminos actuum inefficacium, quos velleitates dicimus, ea eſt gratia ſufficiens Auguſtiniana, in quam deflexit illud adjutorium ſinè quo non ſtatûs integri Adami, & Angelorum, quod per ſe in eo, & proximè tunc ſufficiens erat ad operandum, dabatque integram poteſtatem, & expeditam propter ſanas, & integras liberi arbitrii vires: at verò in noſtro infirmo, & miſero tantum remotè juvat, nec eſt integrè, immediatèque ſufficiens, &c. In Scrinio Divi Auguſtini cap.8. pag.81.

ACCUSATOR.

Secunda. Capitale Maſſilienſium dogma fuit, communem omnibus eſſe gratiam. Lib.2. Hiſt. Pelag. pag.125. lin.33. col.2.

P. MACEDUS.

Ejuſdem eſt cum veteribus Maſſilienſibus ſententiæ novorum Semipelagianorum Princeps Arminius, qui cum teneat univerſalem cum iis gratiam, Auguſtinum ſibi contrarium fatetur. Ibidem cap.12. pag.197.

ACCUSATOR.

Tertia. Adam habuit auxilium proximè ſufficiens ad obſervationem cujuſcunque præcepti. Et inſtà. Inſero in ſtatu naturæ lapſæ non omnibus dari, nec præſto eſſe illud adjutorium. In Vindic. pag.42. col.1.

P. MACEDUS.

Quòd autem hæc ſit mens Auguſtini docentis auxilium, quod ex ſe omninò, & proximè, & integrè erat in ſtatu innocenti ſufficiens, nunc in ſtatu ruinæ minùs ſufficiens ſit, atque adeò remotè tantum, & uti diximus, imperfectè ſufficiens, tradit expreſsè magnus hic Auctor Suarez, Ibidem cap.8. pag.83.

ACCUSATOR.

Quarta. Rejicienda eſt ſententia illorum, qui dicunt gratiam ſufficientem ſemper adeſſe, nec unquam legem obligare, niſi adſit gratia adjuvans. In Vind. pag.43. lin.31. col.1.

P. MACEDUS.

Reſpondetur ex doctrinâ Auguſtini, & Tridentini ſæpiùs traditâ, ſatis eſſe illud auxilium remotum ad vitanda peccata, non immediatè, ſed mediatè. Nam conſtat ex utriuſque ſententiâ per id auxilium fieri voluntates inchoatas, quæ ſunt initia quædam boni, quæ cùm ſint facilia, per illud obtinentur, & iis habitis, majus illud auxilium impetrari, quo præcepta ſerventur. Ibidem.

ACCUSATOR.

Quinta. Infideles cùm in Chriſtum non credant, Dei gratiam ad implendam legem naturalem non petunt, unde nec eamdem obſervant. In Vind. pag. 44. lin.31. col.1.

P. MACEDUS.

Verùm cùm Auguſtinus Auctor ſit, omnia opera, quæ deliberatè ab infidelibus ſinè ullâ fide, & gratiâ ſunt, eſſe peccata, uti nos cum multis in Cortinâ noſtrâ propriâ quæſtione monſtravimus; neceſſe eſt aliter eidem argumento reſpondere: nam & ſententia Auguſtini ſupponit ſinè ullâ fide, & gratiâ, id eſt ſine ullo auxilio ſufficienti peccari; quandoquidem opera ita operantium deliberata peccata ſunt. Ibidem cap.14. pag.238.

ACCUSATOR.

Sexta. Dùm petis, vel antequàm petas, ſtas ſub lege præcipiente, & nondùm habes gratiam adjuvantem: tunc enim non potes facere, quod lex jubet. *In Vind. pag.43. lin.20. col.1.*

P. MACEDUS.

Ecce enim ajunt, nempè Auguſtinus, ac Tridentini PP. facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis. Ex quo patet, poſſe nos eo auxilio aliquid, id eſt exile, & facile; aliquid non poſſe, id eſt illud magnum, & difficile, ad quod ſumus ulteriùs adjuvandi à Deo, ut poſſimus. Ibidem cap.8. pag.82.

ACCUSATOR.

Septima. Illud ex Auguſtino certum eſt, neque fidem poſſe movere hominem ad petendum auxilium Divinum, ad hoc ut poſſit implere præceptum, niſi Deus infundat gratiam actualem ad orandum. *In Vind. pag.43. in calce col.2.*

P. MACEDUS.

Non ſolùm datur gratia excitans propter difficultatem, & excellentiam operis ſupernaturalis, quæ indiget excitatione potentiæ, ſed ex aliâ ratione connaturali, quæ poſtulat, ut habitualis virtus (v. gr. fides) *excitetur per motionem actualem, ut videmus fieri in hominibus juſtis, & ſanctis, qui cùm habeant gratiam ſanctificantem, & habitus infuſos, tamen ſinè excitatione actuali voluntatis non poſſunt eos exercere.* Ibidem cap.5. pag.4.

ACCUSATOR.

Octava. Urgente quolibet præcepto non adeſt gratia neceſſariò ſufficiens, niſi intermediâ oratione actuali. In Vindic. pag. 42. 43.

Eſt mera impoſtura; nunquàm illa ſententia apud Norim legitur. Nunquid enim Paulus orabat, dum tam illuſtre divinæ gratiæ lumen accepit? P. Noris pag. 43. in calce: col. 2. diſertè tradit, poſito præcepto, quandòque auxilium proximè ſufficiens præſtò eſſe; aliquandò oratione intermediâ impetrari: & utrumque Sancti Auguſtini teſtimonio confirmat.

ACCUSATOR.

Nona. Infideles ſinè fide manent tantùm ſub lege præcipiente. In Uindic. pag. 44. lin. 20. col. 1.

P. MACEDUS.

Quod ad hos, nempè infideles, attinet, videntur gratiâ ſufficienti prorsùs carere: his argumentis. Primum eſt. Fides eſt oſtium gratiæ: ſed infideles carent omni notitiâ fidei: ergò carent omni auxilio gratiæ. Ibidem cap. 11. pag. 157. *Auxilia, quæ his hominibus Infidelibus dantur, ſi qua ſunt, ea ſunt remotiſſima, & à fidelium ſufficientibus tantum diſtant, ut vix appellari auxilia poſſint. Igitur non erit ab re negare, illa auxilia eſſe.* Pag. 160. P. Noris concedit dari Infidelibus auxilia remota, ut ex propoſitione 12. ſtatim patebit.

ACCUSATOR.

Decima. Poſitâ tentatione: Adamus neutiquàm, niſi inaniter, petiiſſet vires eidem reſiſtendi. Ibidem pag. 42. lin. 18. col. 2.

P. MACEDUS.

Conſequenter dicere debent, nec ſufficientia, nec efficacia auxilia petenda eſſe à Deo, cùm ſufficientia ſemper adſint, & efficacia ſint in poteſtate operantis, cùm ab illius conſenſu deſumantur. Lib. 3. de clavibus Petri cap. 3. pag. 171. col. 1. At efficaciam adjutorii ſinè quo non Adami in poteſtate ejuſdem fuiſſe, ſecluſo quolibet ulteriori auxilio, probat egregiè Macedus integro volumine, quod ſcrinium nuncupavit. Audiatur pag. 49. *Erat enim illud Adami adjutorium Poſſibilitatis, excitans proximè, & conſtituens in actu primo poeentias, aptè illuſtrans intellectum, & ciens voluueatem, ut Nihil ei ex parte adiutorii deeſſet ad agendum, ſi vellet agere prò ſuo arbitrio.*

ACCUSATOR.

Undecima. Ex Sancto Doctore probavimus non duriùs loqui, qui aſſerat in hypoteſi, quòd ſola lex jubeat, nec gratia proximè ſufficiens adſit, eamdem legem obligare, & tranſgreſſorem reum eſſe peccati. Ibidem pag. 44. lin. 29. col. 2.

P. MACEDUS.

Verum quidèm eſt utrumque: non omnibus gratiam præſtò eſſe, nec ſinè illâ rectè agi poſſe, cùm utrumque ſit Auguſtini: Non tamen indè ſequitur: peccari in eo, quod vitari nequit. Poteſt enim cum neceſſitate in ſpecie ſtare libertas in individuo, & ſublatâ libertate contrarietatis, manere libertas contradictionis. Undè non repugnat, hominem infidelem ſinè gratiâ eſſe determinatum ad unam tantùm partem contrarietatis, ideſt ad malum in ſpecie, & tamen eſſe liberum ad actus malos ſingulares, atquè adeò libertate peccare. In Cortinâ quæſt. 1. art. 7. pag. 99.

ACCUSATOR.

Duodecima. Infideles habent auxilia quædam remota, undè non patiuntur antecedentem neceſſitatem peccandi, & ideò non excuſantur. Ibidem pag. 44. lin. 38. col. 1.

P. MACEDUS.

Auxilia, quæ his hominibus infidelibus dantur, ſi qua ſunt, ea ſunt remotiſſima, & à fidelium ſufficientibus tantùm diſtant, ut vix appellari auxilia poſſint. In ſcrinio cap. 11. pag. 160. Viden, ut rigidiùs, quam Noris, loquatur.

ACCUSATOR.

Tertiadecima. Sententia Auguſtini de prædeſtinatione ad gloriam ſinè ullis prævisis meritis, eſt doctrina de fide. In Vindic. pag. 45. 94. 108.

Hæc propoſitio nuſquàm legitur in locis citatis. In Vind. pag. 94. lin. 39. col. 2. ſcribit: Hormiſdam ſententiam Sancti Auguſtini de gratuitâ prædeſtinatione probaſſe. At ex his non infert eſſe doctrinam de fide: nam Pontifices ità approbant etiam ſententiam Immaculatæ Conceptionis, quin eamdem, utì de fide, credi velint. Pag. 108. lin. 53. col. 2. ſcribit Petrum diaconum, ac Eccleſiam Lugdunenſem ſententiam laudatam, utì dogma Catholicum ſtatuiſſe. Hoc conſtat ex libro Petri Diaconi de Incarnatione, & gratiâ cap. ultim. & ex opuſculo de tribus Epiſtolis cap. 35. Legatur Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 11.

A C C U S A T O R.

Quartadecima. Concupiſcentia ſecundùm propriam ſuam eſſentiam eſt mala, non autem ſecundùm imperfectionem annexam. In Vindic. pag. 15. lin. 16. col. 1.

P. M A C E D U S.

Undè concupiſcentia ne indifferens quidèm eſse poteſt, cùm inclinet ex ſe ad peccatum, & peccati fomes ſit, & effrenatâ licentiâ feratur. Igitur malum eſt, quamquàm non ſit peccatum. Itaque vitium naturæ eſt, contractum ex peccato, non proprietas innata. Lib. 4. de Clavibus cap. 10. pag. 370. Ità habitus vitioſus eſt eſſentialiter malus, non per accidens ob imperfectionem annexam, quia imperfectio ipſa pertinet ad eſſentiam, ſeu formale conſtitutiuum illius.

Ex collatis hucuſquè utriuſque ſcriptoris ſententiis, optimè, Illuſtr. Domine, intelligis, Noris aſſertiones, non quidèm Bajanis erroribus ſimiles, ſed doctiſſimi Macedi theſibus eſſe ſimillimas. Macedus eo in ſtadio Noriſio Auguſtinianam lampadem prætulit, quo procul à Bajanis præcipitiis, regiam ad veritatem viam inoffenſo pede calcaret. Itaquè luſit operam trutinator, dùm Baii, ac Noris ſententias geminâ veluti lance exequare conatus eſt; nam apparvere mendaces filii hominum in ſtateris. Unus Macedus libripendit imperitiam, neque enim dolum dixero, propalavit, ac Noriſium invidiæ, quam eidem ex Bajano nomine librator conſciverat, exemit. Ità eruditus, ac optimus ſenex nullo aut pretio, aut prece conductus, imò nequidem cogitans tàm amicum, tàm ſtrenuum, tam deniquèm invictum Noris advocatum egit. Quod tamen non ex deſtinato Noriſio profuit, nullum eidem fortè beneficium contuliſſe videri poſſit: Nam, ut inquit Seneca lib. 6. de Benef. cap. 8. *Beneficium aliquis neſciens accipit, nemo à neſciente.* Verùm quòd toties in illum tàm liberali manu laudes effudit, ac Sancti Auguſtini ſententiâ à Bajano errore vindicavit, plurimum eidem gratiarum Noriſius referet: certè debet.

Digitized by Google

CONFUTATIO
PALINODIÆ
SUB NOMINE
P. HENRICI NORIS
PUBLICATÆ,
AUCTORE
ANNIBALE RICCIO
Veneto, Sacræ Theologiæ Baccalaureo.



Google

Digitized by Google

ANNIBAL RICCIUS PHILALETHIS.

COgor iterùm, Lector optime, è ſipario in ſcenam prodire, & alteram vel invito genio, fabulam ludere: ſiquidèm intelligo, P. Norſſii Adverſarios deridiculas rurſus ſtrophas nectere, dum novas ſcriptiunculas illius nomine doloſâ arte incruſtatas evulgantes, cum invidiam, tum periculum in dies eidem moliri non ceſſant. Equidèm ineunte hoc ipſo, qui nuper exiit, anno 1676. Noriſium, veluti omnium hæreſeon recoctorem, per ſummam calumniam traduxerant. Dein apud publicos magiſtratus novam accuſationem urgebant, quòd idem Sacræ, eique ſingulari nobiliſſimæ Provinciæ dignitati injurius fuiſſet, quippè qui illam à ſchiſmate derivatam contenderit. Poſteà quibuſdam propoſitionibus parallelis inductis, eumdem apud Emminentiſſ. PP. qui Catholicæ fidei ſartæ tectæ ſervandæ præſident, detulerunt, quòd Michaelis Baii errores ſuis in libris recuderet. Sed neutiquam hìc ſtetit Adverſariorum conatus; nam Germanitates, ut eorum verbo utar, totâ fallendi arte contextas publicarunt, ut illum Janſenio ſimiliter loquutum oſtenderent. Verùm ſacris, ac prophanis Tribunalibus multiplici accuſatione fatigatis, quaſi Purpuratorum Patrum, quam nudius tertius imploraverant, ſuſpectam fidem haberent, Chriſtum Dominum Judicem appellarunt, hunc planè titulum accuſationis libello præfigentes. *D. N. Jeſu Chriſto Crucifixo*; quam delationem ficto Humberti Carthuſienſis nomine ſubſignatam, quaquiverſum ſparſere. Quis autem hominum audaciam non miretur, qui cùm per ſe loqui aut nolint, aut nequeant, quò omnem in accuſando pudorem exuant, aliena ſibi nomina imponunt, ipſa religioſi ſilentii clauſtra irrumpunt, atque Aſcetam rigidiori vitæ inſtituto taciturnitati addictum, tot mendaciorum loquaciſſimum fingunt; nec verentur ad tremendum Chriſti Tribunal mentito nomine, ac tot dolis, & præſtigiis inſtructos accedere. Etenim in eo ſcripto rara periodus mendacio immunis eſt, quemadmodum Noriſius ſatis prolixâ apologiâ, quam Romam miſit, luculentiſſimè demonſtravit, ut ex ejuſdem ad amicum litteris intellexi. Decimus ferè menſis agitur, cum edita à Noriſio volumina ad ſupremum Romanæ Inquiſitionis Tribunal delata ſunt, & adhuc lentâ manu cenſura premitur. At illi diuturnioris moræ impatientes, Jeſu Chriſti Judicium ſollicitant, his planè vocibus ad calcem nuncupatoriæ epiſtolæ formidandum Mortalibus Judicem Deum compellantes: *Surge Domine, judica cauſam tuam*; A quo ſanè eos audire deceat: *Filii hominum nolite ante tempus judicare.* Etenim quæ hos homines intemperies tranſverſos agunt, ut adeò moleſtè ferant Romanam cenſuram in perendinum trahi, ut eo accuratior, quo maturior feratur? Enim verò ſubridens hæc mihi met, non ſemel inſuſurravi. Videſis, ne quiſpiam Adverſariorum Divini etiam Judicii tarditatem incuſans, Noriſium obtorto collo ad inferos trahat, ac Minoi, vel Rhadamantho reum ſiſtat, illud Poetæ vociferans:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo.

Cùm de repente Noriſium imperitiſſimi vulgi judicio circumventum video, ac ſtatim nullâ quæſtione habitâ, imò vel nullâ interrogatione inſtante, ſuos illum ſponte errores fateri, ultroneam palinodiam canere, dicta indicta velle, ac veniam coram plebe humillimis precibus poſtulare. Vix oculis meis credidi, cùm cenſuram, ac palinodiam Italico Idiomate ſub Noriſii nomine per dolum publicatam inſpexi; ut non jam ſæculares Magiſtratus, non ſacer Purpuratorum PP. conſeſſus, non denique Chriſtus ipſe, quorum omnium Tribunalia appellaverant, ſed piſtores, lanifici, tontores, ipſæque mulierculæ legendi tantùm gnaræ, cùm Noriſium ſuos errores publicè expugnantem audiunt, totam adverſariis cauſam ſtatim adjudicent. Quòd ſi Principum leges in publicarum tabularum corruptores tam ſeverè animadvertunt, haud equidem minori ſupplicio is puniendus eſt, qui ſuppoſititio ſcripto virum ingenuum, ac ſeveriores muſas colentem, tot mendaciorum portenta, quæ ne quidem ſomniavit, effutiiſſe commentus eſt. Verùm quamvis tantæ impoſturæ architectus legem Corneliam illudere, & latere mortales Judices poſſit, ultorem latere non poteſt Deum. Hac malignâ nocendi arte, hiſce dolorum cuniculis, hiſce ſuppoſititiis ſcriptiunculis peſſima olim capita Hieronymo doctiſſimo, eidemque SS. Orthodoxi orbis Doctori inſidias inſtruxere, nempè ſcriptum quoddam ſub ejuſdem nomine evulgantes, in quo multiplicium errorum palinodiam canere fingebatur. Quid ni igitur Noriſius iiſdem planè inſidiis impetitus, cùm eodem reponat, Lib. 2. in Rufinum, *Ego taceo, & litteræ non meæ loquuntur contrà me.... Qui hoc auſus eſt facere, quid aliud non audeat?* Unus, idemque Proteus, mutatis ſubindè formis, longiorem hanc fabulam ludit; cujus ſanè inſultus generoſo potiùs ſilentio deſpiciendi forent, quàm ſolidâ reſponſione confutandi: at ne ex eorum impoſturis quidpiam detrimenti veritas patiatur, cogimur tam futilibus Strophis retexendis, unam, & alteram horam impendendo perdere, quod tamen antequam præſto, res mihi paulò altiùs repetenda eſt.

Nuperus Cenſor propoſitiones quaſdam parallelas concinnarat, conatus demonſtrare, Noriſium in iiſdem cum Bajo concinuiſſe. Verùm manifeſtam earumdem theſium diſſonantiam ex P. Macedi ſcriptis oſtendi; hic enim non uno loco eaſdem propoſitiones ſe cum Noriſio, & quidèm longè à Bajano ſenſu remotas, defendere affirmaverat. Mirum dictu, quanto cum plauſu à doctis quibuſque mea illa non minùs vera, quam ingenioſa defenſio excepta eſt: Siquidèm docti, ac boni illius ſenis verba adeò Noris dictis conformia exhibui, ut non interprete, ſed lectore tantùm opus eſſe videatur. At neſcio, quis homo importunus, & mendax ſcriptum quoddam, furtivis typis excuſum, ſub nomine P. Noris in vulgus emiſit; hoc illi titulo præfixo: *Cenſura del P. Enrico Noris ſopra le riſpoſte raccolte dal P. Annibale Riccio:* in quâ quidèm opellâ fingitur Noriſius palam denunciare nuſquam laudatarum theſium Macedum ſecum ſenſiſſe. Non poſſum

autem

autem non in Stomacho ridere, cùm belliſſimum Cenſuræ librum ingredior; nam uno, & altero verbo ſe veritati litare teſtatur, qui pura puta mendacia loquitur, ac plebeculæ, ad quam ſcribit, fucum facit. Porrò hæc Noriſium loqui mentitur.

Il mondo letterario avrà forſe veduta (an creduto?) ch' il P. Maeſtro Macedo ſii ſtato conſapevole di quanto nella Scrittura delle riſpoſte parallele ſta divolgato: così che ciò in eſſa s' adduce, ſii coſtante opinione di quel grand'Uomo.

Parciùs hoc: non magnus homo, qui plurima ſcribit.
Optima qui potuit ſcribere, magnus homo.

E pure come ſono dottrine diſtantiſſime dalle ſue, così da lui ne anche furono fatte degne d' un' occhiata.

Ita quidèm omnes, quibus integer oculorum uſus eſt, in laudatis theſibus Macedum Noriſio ſimiliter loquutum viderunt. Num cuipiam, cùm primum illam conſonantiam aſpexit, oculi doluerint, neſcio. Cùm P. Macedus traditam abs ſe doctrinam, plurium teſtium numero firmaturus, Noriſium quoque cum laudis præfatione tam nobili ſcriptorum centuriæ inſeruerit, quâ fronte de ſuis ſententiis Noriſius ſcribet: *Sono dottrine diſtantiſſime dalle ſue?* Videſis, quàm ſupinæ hallucinationis Macedus inſimuletur, qui Norim diverſa planè ſentientem, teſtem appellaverit. Clamat Macedus tom. 2. Collat. pag. 596. col. 2. v. 9. *Accedis novus, & clarus ſcriptor Noris in ſuo Libro de Hiſtoriâ Pelagianâ:* Audin, ut Macedus ſuo illum lateri adjungit? Cur ergo Noriſius Macedum à ſe remotiſſimum fingat?

Perche egli dice il contrario nelle propoſizioni, che sfacciatamente gli s'impongono, e ſervano trè per prova: una è: omnia opera infidelium ſunt peccata: *come io ſcrivo, & affermo eſſere di Santo Agoſtino vera, e legitima; e pure eſſo nella ſua Cortina, e nella mente d' Innocenzo ſoſtiene, che:* Non omnia opera infidelium ſunt peccata, ſed ea tantum, &c. *quale anche nella Logichetta ſi vede contradittoria alla mia.*

Hæc Noriſium ſcribere? vah putidam impoſturam! Ad talionem libri. Hæc ille tradit in Vindiciis Auguſtinianis cap. 4. §. 5. pag. 58. lin. 51. col. 1. *Reſpondeo tertiò infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos à Deo præmoventur, qui profectò peccata eſſe non poſſunt. Tradit hoc diſertè S. Doctor cap. 24. de Gratiâ Chriſti, ubi recitato illo Scripturæ Sacræ de Aſſueri mutatione teſtimonio, &c.* Bajus verò nullos actus bonos ex Dei gratiâ ab Infidelibus fieri volebat. Næ ille affirmat, omnia opera Infidelium aſſe peccata, qui palam pronunciat, Infideles aliquos actus bonos elicere, qui peccata eſſe non poſſunt? Adeat calumniator ſuam, quam appellat, Logiculam, ac videat, nùm hæ duæ propoſitiones: infideles aliquos actus bonos eliciunt, quæ Noris eſt, & altera Baii: infideles nullos actus bonos eliciunt, ſint contradictoriæ. Quòd ſi neget, non ad Petri Hiſpani ſumulas, ſed Anticyras mittendus eſt. Verùm adeò manifeſta eſt illatæ Noriſio calumniæ falſitas, ut Lectorum tum patientiâ abuterer, tum atiam oculis diffiderem, ſi eamdem pluribus confutarem. Sed iterum quæ ſua eidem ſomnia affingat, audiamus.

L' altra: omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt: *quale ſoſtengo eſſere propoſizione di S. Agoſtino, e l' intendo vera per la Fede Chriſtiana abituale, e lui intendendi qualche barlume di Fede eccitante, e tranſeunte.*

Conchas faciliùs à ſcopulo, quàm Noriſium eâ in ſententiâ à Macedo divelles. Cùm vir eruditus pag. 597. col. 1. dixiſſet, *expoſitionem S. Auguſtini in illa Apoſtoli Rom.* 14. Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *erroris à nonnullis audacioribus appellari, Remitto, inquit, Lectorem ad eruditiſſimum P. Henricum Naris, qui in eâ, quam laudavi, Pelagiana Hiſtoria, in Vind. Auguſt. cap. 4. § 5. evidenter oſtendit, eam eſſe Eccleſiæ, Pontificum, & Patrum locum illum Pauli de fide, prout eſt virtus Theologica, intelligentium.* Itaque non modò Noris ſententiam probat, verùm etiam teſtatur, ipſum evidentèr oſtendiſſe eam Eccleſiæ, ac Patribus probari. Hùc te volo. Vel vir inſignis putavit, laudatam interpretationem à Noriſio intelligi de fide per modum actûs, vel per modum habitûs. Si primum dicas; Jam vides Macedum Noriſio conſentientem; ſin alterum malis: Videſis, qualem accurato Theologo hallucinationem imponas, qui erroneam Noris explicationem evidentèr Eccleſiæ, ac Patribus probatam affirmarit. Enim verò ubinam in Noriſii Scriptis vox *habitualis* inſonuit? Imò tantùm abeſt, ut textum Apoſtoli de Fide Chriſtianâ habituali intellexerit, ut diſertè cap. 3. §. 4. pag. 22. lin. 63. col. p. pronunciaverit: *Solam Fidem acquiſitam ſufficere.* Eſt-ne Fides acquiſita idem, ac fides habitualis infuſa? Imò hoc eſt mendacia venditare, ac Lectoribus fucum faceret. Pergit Impoſtor.

La terza, che colla neceſſità poſſa accoppiarſi la libertà con l'ecluſione dell' indifferenza: pretendendo io in queſto ſeguitar S. Agoſtino, fondandomi ne Libri imperfetti contro Giuliano; e Macedo nega tale neceſſità, nè s'è mai perſuaſa eſſere quei Libri del S. Padre; anzi come io mantengo, e ſeguo l' interpretazione di Gianſenio, e Baio, così Macedo riprovandole, tutto s'impegna ad eſimere il Santo del ſentire con la Dottrina loro, e delle loro impoſture.

Rectè olim Romani parens eloquij exclamavit: ô, magna vis veritatis, quæ contrà hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contràque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſam defendit! Haud ità potuit Impoſtor miſeram hanc ſcriptiunculam veritatis fuco veſtire, & ornare, quin ſpontè erumperent indicia manifeſta, quibus malam artem, ac figmenti artificem manum proderet, ac falſitatem eò impudentiùs retegeret, quò imprudentius occuluit. Ità nè Noris omnem & frontem, & timorem poſuit, ut in mediâ Italiâ ore planè infrunito diceret: *Mantengo, e ſegno le interpretazioni di Gianſenio, e di Baio?* Et ſtatim adderet, eaſdem eſſe *loro impoſture*? Eſt nè vir illa piſtillo obtuſior, qui interpretationes, quas palam denunciat eſſe impoſturas, ſciens, ac volens, & ſequatur, & defendat; idque publicò etiam ſcripto teſtetur, hoc eſt, læſæ Fidei ſuo ſe ore reum publicet, ac Vaticana in ſuum caput fulmina accendat? Patent præſtigiæ, detecta fraus, dolus omnis jam palam eſt. Num verò Noris in dogmate de libertate non quidèm à neceſſitate, ſed tantùm à coactione, damnatam Janſenii opinionem ſequatur, ex hac utriuſque Scriptoris anthitheſi declaratur.

JANSENIVS.	NORIS.
Infideles carent gratiâ ſufficienti ad ſalutem tùm proximâ, tùm remotâ, & omnibus principiis ejus.	*Quamvis infideles careant auxilio proximè ſufficienti, habent tamen quædam auxilia remota; unde non pat iun*

Eſt.

Eſt titulus capite 11. libro 3. de grat. Chriſti ſalvat.

Rurſus qua fronte Noris teſtari auſit, Libros operis imperfecti contrà Iulianum à P. Macedo S. Auguſtino abrogari, ac in apocryphorum quiſquilias detrudi, qui ſciat, eoſdem à S. Martino, & Agathone Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, & ab Œcumenicâ Synodo VI S. Doctori deputari? Cur Macedum religioſiſſimum virum Catholicæ Eccleſiæ Judicio, imò ſibi ipſi adverſari affirmet? Etenim toties iſte præſertim in Cortinâ, eoſdem Libros appellat, eorumque teſtimonio ſuas Sententias communit. At belliſſimam fabulam proſequamur. Hæc de P. Macedo alieno ore Noris affirmat.

Che tanto è, che i ſuoi ſentimenti s'accordino cò i miei nel modo, che le dette riſpoſte conchiudono: quanto che lui ſi obliga, che ogni volta gli venga dimoſtrata nè ſuoi libri una delle mie propoſizioni da lui cenſurate, è provata dottrina ſua, nè farà publ. co cartello di retrattazione, deteſt. z ione, & abiurazione in ogni forma ſolenniſſima.

Quis Pythius Apollo Macedonici pectoris arcana Noriſio revelavit? qui nocturni lemures ſeveriora hominis conſilia eidem in aures inſuſurarunt? qui bonus, maluſve genius abſentis Macedi animum indicavit? Num illa fortè ex Tullianis Libris de divinatione intellexit? Hoc ſcio, P. Macedum recitatas propoſitiones P. Noris teſtimonio confirmaſſe. Patent Libri, neque olim dicta indicta eſse queunt, nullis jam officiis ſubliniri Lectoribus oculi poſsunt. Quod ſcripſit, ſcripſit. Vno verbo rem conficio; vel eadem Noris dixit, quæ Macedus, vel diverſa. Si eadem, cur hoc neget? ſi diverſa, cur illum Macedus laudat? cur lectores ad illum remittit?

Altera jam ſcena aperitur: ac Noriſius novam fabulam alienis ſoccis ornatus ludit.

In verità che queſta riſoluta deliberazione mi è ſtata di ſtimolo acutiſſimo, per imitare l'ingenuità di ſi grand' Vomo, e dar principio à ſodisfar' il Mondo, che aſpetta qualche mia giuſta retrattazione. Onde ben eſaminate le propoſizioni del mio Libro, e viſte quelle ſono degne di cenſura, comincierò à ritrattarmi dall'impoſtura di Semipelagianiſmo al glorioſiſſimo, e dottiſſimo S. Vincenzo Lirinefe.

Hæc eſt ridicula palinodia, quam antè biennium quaſi Noriſii manu exaratam, publicaverant, & quidèm iiſdem omninò verbis contextam, ut cùm nihil novi contrà eumdem garrire poſſint, rancidas modò Strophas repetant, ac recoctam crambem reponant. Semipelagianorum ſententia fuit, gratiam omnibus offerri, non tamen univerſis, ac ſingulis applicari, ſed iis ut plurimum dari, qui priùs eamdem peterent, quærerent, ac pulſarent, ne Deus ſinè ullâ induſtriâ, ſinè ſtudio, ſinè labore, inertibus, atque otioſis ſua dona conferre videretur. Vincentius cap. 37. Commonitorii errare dicit *aſſerentes quòd magna, & ſpecialis, ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia, adeò ut ſinè ullo labore, ſinè ullo ſtudio, ſinè ullâ induſtriâ, etiamſi nec petant, nec quærant, nec pulſent &c.* ubi ſpecialem Dei gratiam vult eſſe effectum laboris, ſtudii, ac induſtriæ, quibus petimus, quærimus, ac pulſamus, cùm tamen ipſamet gratia ſpecialis, & perſonalis ſit cauſa petendi, quærendi, ac pulſandi. At Sancti Auguſtini diſcipuli aſſerebant, dari hominibus gratiam ſpecialem, ac perſonalem, & ſi nec peterent, nec quærerent, nec pulſarent, cùm adhoc etiam à Deo infundatur, ut petamus, ut quæramus, ut pulſemus. Quis au-

tur antecedentem neceſſitatem peccandi. In Vind. cap. 3. § 6. pag. 44. lin. 37. Col. 1.

tem neſciat, petere, quærere, ac pulſare fuiſse illas veluti anſulas, vel occaſiones, quas Maſſilienſes præmittebant, ad hoc, ut ſpecialis, ac perſonalis gratiæ donum rationabile judicaretur? Sed inquit: non addere Vincentium *propriis viribus.* Inſulsè. Putaſnè Maſſilienſes unum illud, & alterum verbulum ſemper addidiſse? Viden, ut Vincentius ſpeciali, ac perſonali gratiæ induſtriam, laborem, ac ſtudium invicem opponat, ut illa horum effectus, non autem cauſa intelligatur? Nullus reapſe petit, quærit, aut pulſat, niſi ſpeciali, ac perſonali gratiâ ad eoſdem ſalutares actus præmoveatur: igitur ſpecialis gratia datur, etiamſi quis illam non petat, aut quærat, cùm ideò detur, ut quærat, ac petat. Si Vincentius Auguſtini ſententiæ adhærebat, cur illud verbum omiſit, quo ſolo à Maſſilienſium opinione diſcrepare videretur? Scribebat Vincentius in Provinciâ, in quâ id temporis docti quique Auguſtino adverſabantur, præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos Amatores, teſte Proſpero in Epiſtolâ ad S. Doctorem. Utitur iiſdem verbis, laboris, ſtudii, atque induſtriæ; Item, quærendi, petendi, ac pulſandi, quæ Maſſilienſes illis in diſputationibus invexerant, ac ſuæ Scholæ propria fecerant: Quidni igitur Vincentius eadem repetens, unus illorum fuiſse jure, ac merito dicatur? His addatur arguta quidèm, ſed falſa Epiſtolæ Cæleſtini interpretatio, & non obſcurè quâ io ſententiâ fuerit, apparebit. Pergit argutari.

Anche per altro capo evidente appariſce libero da tal ſoſpetto il medemo Lirineſe; perche per opinion' anche mia ei non puote apprendere quell' errore ſotto l' Abbate Fauſto, avendo io avuta quella ſentenza nel lib. 2. cap. 11. ove diſſi: Cum Abbate Fauſto, ſub Abbate Fauſto, cum concellitis Lirinenſibus.

Didicit eam opinionem, uti ſcitè vir multæ eruditionis Garnerius notavit, ex Libris Caſſiani, ex quibus illam cæteri hauſerunt. Cùm verò Noriſius ſcripſit, *ſub Abbate Fauſto Vincentium Maſſilienſium ſententiæ acceſſiſſe*, id juxtà vulgarem opinionem dixit; omnes enim putant Commonitorium apud Lirinam ſcriptum fuiſſe, quod tamen Noris ibidem negat. Hinc pag. 126. v. 38. col. 2. hæc ait: *Vincentii ſub eodem Fauſto Monachi, ut volunt, artem non detexit.* Audin ut volunt? Potuit ne clariùs oſtendere, ſe juxtà aliorum placitum loqui, quod tamen inferiùs confutat? Ut Noriſium antilogiæ inſimulent, ea verba ſupprimunt, quæ omnem contradictionem ab ejuſdem ſcriptis eliminant. Sed en alteram ejuſdem antihiſtoriam.

Eſſendo io ſteſſo affermo quell' epiſtola di Celeſtino eſſere ſtata approvata, & accettata dal predetto Vincenzo Lirineſe nelle Vindic. cap. 8. pag. 106. lin. 1. col. 2. *nel qual luogo ſcrivendo di queſte lettere di Celeſtino, diſſi:* Idem Vincentius Lirinenſis eaſdem producit in Commonitorio adverſùs prophanas vocum novitates, eaſque plurimmù commendat. *Adunque ciò, ch' io altra volta diſſi, cioè che il Lirineſe abbi eſtorto il ſenſo di quelle lettere à favore del ſuo errore, e contro Proſpero, ora dichiaro per ritrattato, rammentandomi di quelle parole, che ſeguitano:* Quâ fronte Vincentius eas ſibi favere literas jactaſset, quibus ipſiuſmet opiniones condemnabantur? *Conoſco queſte parole per mie, colle quali rivoco ciò, che prima di quelle lettere giudicato, e trattato avevo.*

Ipſè

Papè ; qualem Noriſio Chimæram obiiciunt? Vince tus litteras Cæleſtini admiſit, uti etiam cæteri Maſſilienſes admiſere. Igitur neut quam eaſdem in Auguſtinianæ ſententiæ defenſores retorſit: Non vidit Noriſius hujus conſecutionis neceſſitatem. Scribitue de Maſſilienſibus cap. 3. appendicis ad literas Cæleſtini: *Eaque tantummodò ſequi, & probare profitentur, quæ Sacratiſſima Beati Apoſtoli Petri Sedes contrà inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuarum ſanxit, & docuit.* Illi ergo, utpotè viei Catholici, literas Cæleſtini receperunt; verùm pro ſuâ ipſorum ſententiâ eaſdem loqui conteſtabantur. Hanc chordam mox iterum pulſabo. Cæterùm in poſteriori textu cùm Noriſius ſcripſit: *Quâ fronte Vincentius eas ſibi favere litteras jactaſſet, quibus ipſius met opiniones condemnabantur?* Negat opinionem Vincentii, ac ſociorum damnatam fuiſſe à Cæleſtino; quippè qui haud illius appendicis auctor ſit, ſed hæc Cæleſtini litteris aſſuta fuerit. Dum verò ait, *ipſiuſmet*, nempè Vincentii, *opiniones condemnabantur*; ea, quæ antea ſcripſerat, expungit? Imò diſertè, ac luculenter errorem Vincentii deſignat, aſseeens in illâ appendice, ipſius opiniones condemnari. Et quidèm cur Noriſius palinodiam caneret, cùm videat viros doctrinâ, & eruditione illuſtees, ſuæ ipſius ſententiæ albos calculos adjicere, & eamdem ſuis libris inſerere? Hæc ſcribit Pater Paſchaſius Queſnellus Presbyter Oratorii Pariſienſis diſſert. 3. p. 2. operum S. Leonis pag. 397. *Si pro parte, vel appendice literarum Cæleſtini Papæ habita tunc eſſent ejuſmodi capitula, itane pudorem omnem abjeciſſet Vincentius Lirinenſis, ut pro ſe ſuiſque ſcriptum eſse à Cæleſtino in illis literis, tàm grandi tubâ perſonaret, ut fecit in ſuo Commonitorio? qui enim auſus eſt novitatis notam Auguſtini adverſariis à Cæleſtino inuſtam, in Sancti Doctoris diſcipulos rejicere; veritus eſſet, ne tam apertis definitionibus capitulorum, quibus ſuorum Maſſilienſium, & Lirinenſium errores ſæpiùs proſcribebantur, revinceretur, ac impudentis argueretur mendacii?* Hæc vir eruditiſſimus in literas miſerat, antequam Noriſii librum evolveret: nam ibidem pag. 417. *His*, inquit, *ita ſcriptis, jamjamque prælo ſubiiciendis, incidi in Vindicias Auguſtinianas doctiſſimi viri Henriei de Noris, ex quarum cap 8. plurima ſcit, ſinè cæteraque ſcripta huc transferenda eſſent; ſed quoniam inſtant operæ, ſufficiat locum indicaſſe, quem adiiſſe lectorem nequaquam pænitebit.* Abeat igitur Impoſtor cum fictâ ſuâ palinodiâ, eamque in ſuo grege crepet; quandoquidèm tanta illum mentiei portenta delectat. Sed iterùm commentatur.

Non poſsa non rivocare con piena retrattazione quelle quattro graviſſime ingiurie da me con più paſſione, che verità inferite à S. Vincenzo Lirineſe, quali, ſe foſſero vere, moſtrarebbero eſsere ingiuſta la di lui Canonizzatione. La prima: che fu berſaglia del ſuo commonitorio la fama di S. Agoſtino, contro il quale egli lo ſcriſse.

Nugas, ac geeras germanas loquitur; quatuor crimina fingit, quæ nulla ſunt. Hoc tibi familiare, idque turpiſſimum ceimen eſt, tua ſomnia, ac impoſtueas alteri affricare. Quò preſſiùs, ac breviùs adverſarii dictum refellam, libeat hunc ſyllogiſmum inducere. Antiqua tantùm dogmata defendenda, ac tradenda ſunt, nova verò fugienda; atqui Auguſtini ſententia de efficaci Dei prędeſtinatione ad fidem, & perſeveeantiam finalem, eſt novum dogma, hoc igitue cuique fugiendum eſt. Ita planè Maſſilienſes ratiocinabantur, quibus minor illa propoſitio certa erat; undè Proſper ſcribit ad Auguſtinum: *Multi ergo ſervorum Chriſti, qui in Maſſilienſi urbe conſiſtunt, in Sanctitatis tuæ ſcriptis, quæ adversùs Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui, quicquid in eis de vocatione electorum ſecundùm Dei propoſitum diſputaſti.* Et versùs finem: *Illud etiam qualiter diluatur, quæſumus, patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres, quòd retractatis Priorum de hac re opinionibus, penè omninò par invenitur & una ſententia, quâ propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt.* Idem ſcripſit id etiam temporis Hilarius ad eumdem S. Doctorem: *Hoc etiam*, inquiens, *de aliorum libris, quorum eſt in Eccleſia auctoritas, faciunt, quod perſpicit ſanctitas tua non parùm poſse juvare contradictores, niſi majora, aut certè paria proferantur à nobis. Non enim ignorat prudentiſſima pietas tua, quantò plures ſint in Eccleſiâ, qui auctoritate nominum in ſententiâ teneantur, aut à ſententiâ transferantur.* Quibus S. Pater cap. 14. de Prædeſt. SS. reſcripſit: *Si hujus ergo ſententiæ defenſionem ex Divinorum eloquiorum nos præcedentibus Tractatoribus promeremus; profectò hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquieſcerent, hoc enim ſignificaſtis literis veſtris. Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui, priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur?* Idem tamen cap. 19. de Dono perſeverantiæ, inductis Cypriani, Nazianzeni, ac Ambroſii teſtimoniis, ſuam ſententiam confirmat. Itaque Maſſilienſes certò ſibi peeſuaſerant, novam eſse Auguſtini ſententiam, nec quidpiam ſecùs opponere ſciebant Proſper, Hilarius, ac pauci id temporis Sancti Auguſtini diſcipuli. Hinc factum eſt, ut Vincentius majorem adducti Syllogiſmi propoſitionem probandum aſsumpſerit, quod non minorâ eruditione, quàm elegantiâ præſtitit in Commonitorio, in quo Sancti Auguſtini ſententiam neutiquam oppugnavit, quæ quòd vera erat, antiquiſſima etiam habenda eſt, quamvis compertum non ſit, ſanctum illum virum eo tantùm conſilio ſcripſiſse, ut ſuo illo volumine Auguſtinianæ ſententiæ novitatem obliquè pulſaret. Hinc prudenter Noriſius ſcripſit eo loci pag. 127. ver. 19. col. a. *Cum Auguſtini fortaſsè doctrinam de prædeſtinatione veluti per cuniculos eo opuſculo ſubruere tentaret.* Nec tamen S. Doctoris famam impetivit; aliàs Auguſtinus, dum adversùs S. Cypriani opinionem tot doctiſſimis voluminibus conflixit, SS. Martyris famæ injurius fuiſse diceretur.

La ſeconda: Che habbi ingiuriati con titolo d'Eretici i Diſcepoli del mio Santo medeſimo, e cenſurata d'ettica la Dottrina ineſpugnabile dello ſteſso.

Scribit Proſper in laudatâ Epiſt. *putaſſe Maſſilienſes ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem.* Hinc hæreſeos notam illam opinionem defendentibus impingebant. Hoc pluribus idem Peoſpee teſtatur in Epiſtolâ ad Ruffinum. Nonne in controverſiâ de gratiâ Scholæ ſibi invicem adverſæ, ſibi mutuò Calviniſmum, aut Semipelagianiſmum obiiciunt? Vincentius acerbioeem ſanè notam, fervente tamen diſſenſione, adverſariis inuſſit. Quis verò neſciat, quâ Cenſuræ acerbitate Hieronymus in Ep. ad Theophilum, & Cyrillus in literis ad Atticum, magnum Chryſoſtomum perſtrinxerint? Neutrius tamen ſanctitati ea amariora dicta nocuere, neutrum ex albo Sanctorum expungit. Brevem hanc Sanctiſſimis viris apologiam donat Baronius ad Anno 412. propè finem: *Homines*

mines

mines enim illi erant, & humanis paſſionibus obnoxii.

La terza: Che aderendo à i Semipelagiani, à favor loro convertiſſe la decretale di Celeſtino, con depravarla.

Cùm Cæleſtinus eâ in epiſtolâ dixiſſet; *deſinat, ſi ità res ſunt, inceſſere novitas vetuſtatem*: nihil interim circà agitatam id temporis controverſiam definiens; Vincentius argutè ſuis illam epiſtolam favorabilem pronunciavit, quippè qui antiquorum Patrum ſententiam adversùs novam, ut putabant, Auguſtini opinionem defendebant. Detur id ejuſdem ergà Apoſtolicam Sedem reverentiæ, cui quantum etiam cæteri Maſſilienſes deferrent, ex capit. 3. appendicis ejuſdem literis additæ, proximè obſervabam. Cùm Alexander VII. in litigiis de attritione literas Apoſtolicas publicaſſet, Chriſtianam in diſputando modeſtiam injungens, nihilve eâ de re interim definiens, utraque diſputantium factio eum oppoſitæ præjudicio, laudatas literas ſibi favere jactabat: quod ex libellis acutiſſimi viri Franciſci Farvacques Auguſtiniani Doctoris Lovanienſis, & P. Maximiliani Le Dent Jeſuitæ intelligitur. Porrò Vincentium memoratas Cæleſtini literas contrà Proſperum retorſiſſe tradunt viri inſignes, qui etiam inter homines ambulant, Lupus, Fraſſenius, ac Queſnellus, uti poſteà monſtrabitur, nec fictitii illius criminis, cujus palinodia Noriſio imperatur, ſcrupulus illorum quempiam inceſſit.

La quarta: Che abbino avuto origine dal di lui Santiſſimo, e modeſtiſſimo ingegno i portentoſi paradoſſi intitollati, Objectiones Vincentianæ, *ordite contro la riputazione della dottrina di S. Agoſtino.*

Audiantur Lovanienſes tom. 7. Operum S. Doctoris in appendice, ubi hæc objectionibus Vincentianis præmittunt. *Sunt, qui arbitrentur Vincentium hunc Lirinenſem illum fuiſse, cujus extat opuſculum adversùs prophanas hæreſeon novitates: certè hoc tempore in Galliis floruit.* Antè centum ferè annos eruditis hominibus ea ſententia ſtetit, cui non modò Lovanienſes nullam notam inuſſere, verùm etiam eamdem, additâ temporis circumſtantiâ, confirmarunt. Illæ objectiones à Scholaſticis illationes ad impoſſibile appellantur, in quas ex prioris aſſertionis conſecutione quis eò adigitur, ut earumdem abſurditate deterritus, à ſemel conceptâ opinione reſiliat. Et quidèm datâ duplici ſententiâ Sancti Auguſtini de efficaci prædeſtinatione ad gloriam, ac reprobatione ex prævifo peccato originali, nonnè plurimi recentiorum Vincentianas objectiones contrà utramque memoratam ſententiam reſtaurant, quin tamen ullam ſe injuriam Auguſtino inferre arbitrentur? Vincentii factum nulli reprehenſioni obnoxium fuit; Siquidèm ea ſcripſit, vix mortuo ante quadriennium S. Doctore, cum paſſim una, & altera ejuſdem ſententia in Provinciâ à viris Sanctitate, ac doctrinâ illuſtribus impugnarentur, nec ullius Pontificis, aut Synodi decretis confirmatæ fuiſſent, uti poſteà factum eſt. Et quidèm quæ errorum portenta Prædeterminantes, ac Scientiæ mediæ defenſores non ſibi invicem obiiciunt? Id verò eorumdem pietati, ac Sanctimoniæ, modò abſint ſales, ac ſcommata, neutiquam nocet. Utraque tamen Schola procul ſe ab objectis erroribus profitetur; quos etiam à S. Auguſtini ſententiâ Proſper non minùs ſolidè, quàm ſapienter removit.

Quis autem à riſu temperet, dum videt iſtos homines fingere tot crimina à Noriſio Vincentio impacta fuiſſe, illumque ſerâ tandem pænitentiâ ductum, eadem unâ liturâ delere. Tantam alienæ conſcientiæ ſcrupuloſiores iſti curam gerunt, cùm tamen haud Religioni ducant ſuppoſititia ſcripta vulgare, publicè mentiri, ac aliorum dicta, uti mox declarabo, doloſâ arte corrumpere. Ità dùm hac fictâ palinodiâ Noriſii crimina eluere mentiuntur, imposturis, dolis, ac fallaciis turpem operam navant, & aliena, quæ fingunt, crimina corrigentes, veris, iiſque turpiſſimis ſe noxis obſtringunt, quarum utinam privatam ſaltem in ſacrâ exomologeſi palinodiam recitent, qui publicam aliis imponunt. Sed quid inſuper novi ferat Africa, videamus.

Ne'l mio fondamento di liberar il medeſimo Vincenzo dalla nota d'Ereſia Semipelagiana, perche in quel tempo non foſſe condannata, puole ſuſſiſtere, avendo io detto lib. 2. Hiſt. Pelag. pag. 121. ver. 9. col. 2. Cæleſtinus Sancti Auguſtini jam inter ſuperos ſe Pontifice relati, primus Romanorum Præſulum doctrinam conſecravit: *che vale tanto, come dichiararla Catolica, e di canonica autorità; e nel medemo Libro* pag. 237. Cæleſtinus Apoſtolica auctoritate adversùs Semipelagianos Auguſtini doctrinam defendit.

Quis hunc verborum prodigum non fateatur, qui ne rogatus quidèm, tanta Noriſii vice, ſibi, ſuiſque ſimillimis occinit. Noriſius cùm ſcriberet, Cæleſtinum Sancti Auguſtini doctrinam commendaſſe, conſecrandi verbo uſus eſt, ut eâ voce Apoſtolici oris majeſtatem exprimeret; quâ ratione antiquitùs ea cuncta, quæ ad Imperatores ſpectabant, ſacra dicebantur; undè ſacræ largitiones, ſacræ cognitiones, ſacrum conſiſtorium, & ipſa epiſtola per antonomaſiam ſacra appellabatur. Neutiquam verò dixit, conſecraſſe, hoc eſt inter dogmata Catholicæ Fidei retuliſſe; undè & in altero teſtimonio adducto ſcripſit: *doctrinam defendit.* Certè declaravit Sancti Auguſtini doctrinam nulli contrà fidem errori obnoxiam eſſe. Verùm Maſſilienſes, teſte Proſpero in calce Libri contrà Collatorem, tale Pontificium encomium prioribus S. Doctoris Libris, non iis, quos ultimâ ætate elucubraverat, delatum fuiſſe contendebant. Vincentius verò antiqua dogmata à Patribus accepta, à Cæleſtino laudata affirmavit; undè eâ ſolùm ratione Auguſtini doctrinam laudatam contendit, quatenùs cæterorum Patrum ſententiis conformis apparebat; in illam verò opinionem, quam dè efficaci prædeſtinatione ad fidem, & perſeverantiam novam invexerat, Cæleſtini elogium non cadere. Falſæ quidèm interpretationes; ſed quæ Maſſilienſes Catholicos fuiſſe demonſtrant; quippè qui non auſi Romanæ ſedis dictis obſiſtere, eadem quæſitis utcumque interpretamentis explicare conabantur.

Onde S. Proſpero, che prima chiamava Catolici i Semipelagiani, dopo d'aver impetrate le lettere di Celeſtino, mutò lo ſtile, chiamandoli Lupi, Calunniatori, Ipocriti, colubri, ſerpenti, &c. Non è dunque vero, che la dottrina di S. Agoſtino non ſia ſtata approvata da Celeſtino, e la contraria Semipelagiana condannata.

Proſperum appellaſti, ad Proſperum ibis. Sedeat ille utriuſque noſtrum honorarius Arbiter, ac ſententiam in causâ ferat: Hæc ille ſcribit in epilogo operis contrà Caſſianum de Maſſilienſibus, quos vulgò Semipelagianos vocamus: *Quorum tamen dum adhuc non ſunt à fraternâ ſocietate diviſi, toleranda magis eſt intentio, quam deſperanda correctio.* Addit hoc Scholion Baronius Anno 433. *Hæc Proſper cùm perorat, intelligis Caſſianum inter Catholicos profeſſo-*

Digitized by Google

profeſſores annumeratum. Conſentit Suarez proleg. 5. de grat. cap. 5. num. 6. *Nondum enim erat*, inquit, *illa ſententia hæreſis, vel erroris damnata ab Eccleſiâ, ac Proſper in fine Libri contrà Collatorem apertè docet Caſſianumque inter Catholicos numerat.* Hinc Vaſquez 1. p. diſp. 89. cap. 4. num. 24. vocat Semipelagianos *viros alioqui Catholicos, & religioſos.* Sed ad Proſperum redeo. Idem cap. 33. ſcribit: *Quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet?* Porrò cum illa Proſper in literas miſit, diem obierat Cæleſtinus, cum ibidem Sixtus ejuſdem ſucceſſor à Proſpero commendetur. Quòd ſi illos Lupos occultos, calumniatores, & hypocritas dixit, ejuſmodi verba Zelus Auguſtinianæ doctrinæ inter diſputandum extorſit; quò enim majori erga aliquem benevolentiâ propenſi ſumus, eò ſeveriùs excipimus qui contrà eumdem loquuntur. Fateor, Auguſtinum dixiſſe Maſſilienſes non recedere ab illâ damnatâ Pelagii ſententiâ: *Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari:* lib. de Prædeſtin. SS. cap. 2. At illi reponebant, Pelagium admiſiſſe merita perfecta, & de condigno, ſe tantùm occaſiones quaſdam, & anſulas, queis ex nobis erumpentibus, utebatur Deus, ne anſatis, & omninò otioſis ſua dona conferre videretur. Scitè P. Macedus in ſcrinio cap. 12. pag. 193. *Nec ſatis*, inquit, *erit effugio dicere, illos poſuiſſe meritum, & initium meriti in naturâ; Nam in primis id Semipelagiani dicere ſe negabant. Quamvis verò S. Doctor id reſponſi egregiè confutarit, nil tamen eâ in cauſâ Cæleſtinus definivit, aliàs Proſper nunquam Maſſilienſes appellaſſet catholicos.* Scribit Vaſquez 1. p. diſp. 91. cap. 9. num. 57. *Neque incredibile alicui videatur Patres Græcos tantæ Auctoritatis, & doctrinæ in hac fuiſſe ſententiâ: ſiquidem Maſſilienſes, & per Galliam tot etiam inſignes viri in eâdem opinione fuerunt. Res enim admodum ſubtilis, & difficilis erat ad explicandum donec Auguſtinus ingenii ſui felicitate, ut multa alia, eam nobis explicuit.* Imò ipſe Auguſtinus cap. 3. de Prædeſt. SS. ingenuè fatetur, ſe adhuc Presbyterum in errore Maſſilienſium fuiſſe. Vaſquez laudatus capur 10. his planè verbis inchoat: *Cum Caſſiano, & Maſſilienſibus non pauci Scholaſtici conveniunt.* Et nominat ſtatim Scotum, Gabrielem, Cajetanum, Durandum, Scotum, Driedonem, Ruardum, & alios. Sed talionem paſſus eſt; Nam Suarez lib. 4. de gratia cap. 14. recitatâ Vaſquii opinione de cogitatione congruâ naturali num. 8. concludit: *non videtur per illum dicendi modum convenienter fieri ſatis difficultati propoſitæ, nec ſufficienter vitari Semipelagianorum doctrina.* Quæ conſultò hic recitavi, non ſolùm, ut appareat viros doctiſſimos in Maſſilienſium errorem vel impegiſſe, vel magni nominis Theologos id ſaltem de iiſdem judicaſſe, ut planè excuſandi videantur Caſſianus, Fauſtus, Vincentius, aliique Galliarum doctores, qui initio motæ difficillimæ controverſiæ cæſpitarunt, cùm poſt tot ſæcula viri celeberrimi in eodem luto hærere viſi fuerint; verùm etiam, ut pateat, quàm immeritò Noriſius carpatur, quòd ſcripſit Sadoletum incautè, & inſcienter in Maſſilienſium errorem impegiſſe. At impoſtor grandiores tibias inflans, ac Noriſianam palinodiam vehementiori boatu crepans, addit.

Per fine la mia opinione contradice manifeſtamente al Martirologio Romano, dove alli 24. di Maggio fà queſt' elogio di S. Vincenzo Lirineſe: doctrina, & ſanctitate conſpicuus: ch' eſſendo vero, non poteva eſſer Semipelagiano, al meno fù chiaro, e coſpicuo il medeſimo Santo, anzi denigrarlo, & oſcurarlo.

Belliſſimè. Divi Cypriani Martyris ſanctitate, & doctrinâ clariſſimi elogium recitat Martyrologium Romanum. Nullámne igitur Cypriani doctrina lucis defectum paſſa eſt, cùm rebaptizandos hæreticos tanto conatu contendit? Breve quidèm, ſed ſolidum à Melchiore Cano reſponſum accipe, quod prolixæ apologiæ loco ſit. *Cæteroqui, nemo, quamvis eruditus, & ſanctus, non interdum hallucinatur, non alicubi cæcutit, non aliquando labitur. Sanctus verò is fuit, qui credidit ab hæreticis baptizatos eſſe rebaptizandos; Sanctus fuit, qui in Chriſti corpore, & ſenſum pœnæ, & dolorum fuiſſe negavit: Sanctus fuit, qui in Chiliaſtarum dogma deſcendit: Sanctus fuit, qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti, alterum matrimonium conceſſit: Sanctus fuit, qui animas piorum uſquè ad diem Judicii veram felicitatem ademit: Sanctus fuit, qui animam hominis ex traduce eſſe putavit, &c.* Hæc vir doctiſſimus lib. 7. de locis Theol. cap. 3. Nonnè Maſſiliæ Sancti Caſſiani feſtum ſolemni pompâ die 13. Julii celebratur? Nonnè S. Fauſti Epiſcopi apud Rejos, extructo templo, memoria conſecrata eſt; qui dum tamen fuere Semipelagianæ Scholæ Magiſtri? Profectò doctrina commonitorii S. Vincentii nomen illuſtrat; Catholicæ fidei traditionem, & acceptam à Patribus doctrinam, antiqua tantùm dogmata recipienda eſſe demonſtrat, profanas verò vocum novitates fugiendas, quæ omnia veritati conſona ſunt. At quod in uno, & altero verſu neſcio quem lucis defectum ſubierit, in re adhuc obſcurâ, ac nondum per Apoſtolicam ſedem in Catholico lumine collocatâ, cùm tamen in cæteris nitidiſſimos veræ doctrinæ radios quaquaverſum diffundat, humanæ conditioni condonandum eſt. Agedum, eſtne aliud quidpiam, quod Noriſius indictum velit?

Confeſſo ingenuamente la verità, ch' allora ſtampai, non havendo altro Autore da ſeguitare, che il Voſſio. Di poi che ſon ſtato impugnato dal Macedo, ricercai altri Autori Catolici, e ritrovai il P. Lupo, & il P. Fraſſen Franceſcano. Mà il primo per favorirmi approvò la mia opinione, & il ſecondo ſolamente dice: videtur adhæſiſſe. *C'è un'altro di più, Baſilio Ponzio, mà non fà forza, perche non nomina Vincenzo Lirineſe, e ſolamente dice:* Caſſianus, Vincentius, Fauſtus; *Onde quel Vincenzo non era Lirineſe, mà quell' altro Autore delle obiezzioni chiamate Vincenziane. E ancora che tutti queſti affermaſſero la mia ſentenza;* Iſti qui ſunt inter tanto?

Dignum patellâ operculum! Cùm ſuppoſitam hanc palinodiam ex puris putis mendaciis hucuſque contexuerit, triplici mendacio eidem colophonem impoſuit. P. Lupi volumina Anno 1673. ante Paſchalia feſta typis excuſa prodiere, eaque ſecum in Italiam tulit Illuſtriſſ. D. Airoldus Pontificius Inter Nuntius, qui ex Belgio circà Paſcha diſceſſit. At Hiſtoria Pelagiana menſe Majo ejuſdem anni adhuc Patavinis Typis premebatur. Qui igitur fieri potuit, ut eruditiſſimus P. Lupus ea de Vincentio tomo 4. pag. 757. inſeruerit, ut Noriſio ſuffragaretur, cujus librum nondum viderat? Claudius Fraſſen inſignis Scotiſta in Academiâ Scoti tract. 2. diſput. 3. ſect. 1. §. 2. hæc ſcribit: *Vincentius Lirinenſis videtur etiam adhæſiſſe, & faviſſe Semipelagianis, cenſeturque ab aliquibus ſcriptor objectionum Vincentianarum, quibus S. Proſper reſpondit. Quod etſi cætera tacerent, hoc ſufficienter evincit, quòd eodem modo Cæleſtini Papæ epiſtolam, quâ ſe Catholici tuebantur, adver-*

ſùs

ius Catholicos uſurpare non dubitaverit. Et paulò inferiùs: urgendo tantoperè illud (ſi) non obſcurè indicat ſe criminationem Proſperi, & Hilarii pro falsâ habere. Audin, quid dicat? Teſtatur, Vincentium Cæleſtini Epiſtolam in Sancti Auguſtini diſcipulos retortiſse, ac delationem Proſperi non obſcurè falſitatis inſimulaſse. Cur ergo offucias facis imperitis, ac miſerrimæ plebi, ad quam ſcribis, fabulas vendis?

Sed non minùs putidum mendacium eſt, quod de corrupto Poncii teſtimonio commentatur. Nam hic inſignis Theologus t. p. Relect. de gratiâ cap.4. inſcripto, de errore Semipelagianorum, pag.40. v.13. ſcribit: *Præcipui inter eos fuere Caſſianus Chriſoſtomi diſcipulus, & à quo ſuos errores de gratiâ didiciſſe exiſtimant nonnulli, ſed falsò, ut oſtendam poſteà, & Vincentius Lirinenſis, & Fauſtus Regienſis.* En ipſiſſima Baſilii Poncii verba; qui Viocentium Lirinenſem Maſſilienſibus accenſet, ac Lyrinenſem cùm, effert. Callidè quidèm, ſed ſuiſmet impoſturis ſatis accommodè pſeudo palinodiam Italicè ſcriptam publicarunt. Quis enim è plebe appellata à Noriſio teſtimonia repetat? Hinc fingunt eadem à Noriſio corrupta, cùm hujus planè criminis illi rei convincantur. At quid promptam horum ad mentiendum audaciam miremur? Nam longè illis facilius fuit unum verbum textui Poncii ſubtrahere, quam tot verba Noriſio per dolum appingere. Inauditum herclè facinus moliti ſunt; nuſquàm enim accepimus, quempiam adducta à ſemet in ſui defenſionem teſtimonia, & quidèm ſuæ cauſæ validiſſimè ſuffragantia, abjeciſse. Id tamen ſtoliditatis Noriſio affricant, qui locupletiſſima, ac certiſſima Fraſſenii, ac Poncii teſtimonia, dudum à ſe in judicio adversùs accuſatorum calumnias appellata, non ſolùm repudiarit, ſed etiam, ne ſibi patrocinari viderentur, ſtultè corruperit. Verùm duo inſuper teſtes audiendi ſunt. Joannes Garnerius Jeſuita in ootis ad Marium Mercatorem diſsert.1. de Auctoribus hæreſeos Pelagianæ cap.6. pag.150. col.2. confutans doctiſſimi Vignierii opioionem, ſcilicet Fauſtum Abbatem Lirinenſem tùm primùm errores Semipelagianos ſorbuiſse, cùm Julianus Pelagianorum anteſignanus Anno 440. Italiâ pulſus, in Lirinum ſe recepit, hæc ſcribit: *Deindè ſi qua Pelagiani erroris fuligo Lirinenſibus adhæſit, ut adhæſit ſanè, ea certè non ex Juliani, ſed ex Caſſiani ſocietate, & multis quidèm antè annis, ut ex Commonitorio Vincentii intelligitur, afflata eſt.* Ita vir eruditus in Commonitorio, quod anno 434. à Vincentio ſcriptum fuit, Semipelagianiſmi notas advertit. Huic ſuppar acceſſit P. Paſchaſius Queſnellus p.2. operum Sancti Leonis Magni diſsert.3. num.5. pag.410. *Vincentius*, inquit, *Lirinenſis clariſſima etiam Cæleſtini Papæ pro Auguſtino verba ex Epiſtolâ ad Gallos, non dubitavit Santi Doctoris defenſoribus objicere, tanquam contrà eum emiſſa à Pontifice, qui dùm ſcripſit*: ut deſinat inceſsere novitas vetuſtatem: *Auguſtinum, tanquam novitatis inventorem arguerit, &c.* Hujus ſcriptoris Teſtimonium Noriſius Antonio Magliabeco, viro omni eruditionis geuere inſigni, ac toto literario orbe celeberrimo, ſe acceptum ferre teſtatus eſt in epiſtolâ ad P. Jacobum Florellum Venetum, ſpectatæ probitatis, ac doctrinæ Theologum, meumque inter paucos amicum. At inqnit Impoſtor: *Iſti qui ſunt inter tantos?* Scito, non eſse fungos, aut truncos, ſed ſcriptores doctos, & eruditos, quorum poſtremò laudati, egregiè in Pelagianorum rebus verſati ſunt, quibus etiam magnus homo honoris gratiâ aſſurgat. Scito, eſse teſtes ingenuos, ac procul ab omni partium ſtudio remotos. Scito, horum quatuor adhuc ſuperſtites eſſe, eiſque tùm ingenium, tùm ſtylum ſupereſse ad ea, quæ meo Noriſio ſimilia ſcripſere, defendenda. Haud opus eſt mitti in prætcritum diligentiam curioſam; cùm intrà proximè elapſum triennium quinque inſignes Scriptores in eamdem de Vincentio Lirinenſi ſententiam conſpirarint. I nunc, & Noriſium, tot licèt locupletiſſimorum teſtium præſidio ſuffultum, pannico tamen timore percuſsum, palinodiam canere tibimet fingito, eamque extrà ſapientium chorum, apud ignaram, rudemque plebeculam Italicâ linguâ, prælargo anhelante pulmone, ad ravim canta, ac recanta; immò per me etiam crepa.

Sic cuculus cuculat, fritinit rauca cicada.

Ex his ſatìs, ſuperquè, Lector optime, intelligis, quantas hic mendaciſſimus fictæ palinodiæ artifex inſidias fecerit; in quo pudorem, ac conſcientiam, imò etiam mentem deſideres; dum retractationem fabularem uſque ad deriſum, & ineptiam Noriſio impoſuit. Equidèm neſcio, quo malo fato hic ſcriptor in ejuſmodi genus hominum inciderit, quos tanta contrà illum invidia morder, ut cum eamdem per biennium innumeris ſcriptiunculis haud quaquàm exhalare potuerint, ipſummet cenſorias ſibi manus inſerentem inducunt, ut idem, quem tot hucuſque quà occultis, quà apertis conatibus deiicere pertentarunt, ſuâ ipſius dexterâ cadere videatur. Jam profana Tribunalia adierant; jam Sacros Judices repetitis accuſationibus fatigaverant; jam formidandum mortalibus Chriſti Judicium appellaverant; ſed cùm nuſquam ſibi cauſa adjudicaretur, proximam, & compeodiariam, ad eamdem obtioendam, viam inire deſtinarunt; hanc ipſam, quam confutavi, palinodiam ſub Henrici Noris nomine vafrè, ac malitiosè publicantes. Quotus quiſque enim eſt, qui non ſtatìm reum eſse illum judicet, qui ultroneâ criminis confeſſione, vel ſilente judice, in ſemet ſententiam pronunciat? Imò eo conſilio ſuppoſititiam illam retractationem Italico idiomate concinnarunt, ut plebejus quiſque intelligeret, Noriſium totâ planè causâ cecidiſse, ac dein contrà eumdem plebiſcitum conderetur, in quo ipſi poſteà plebejum, quem unicè aucupantur, triomphum canerent. Porrò ad aniles haſce nugas miſeri homines deſcenderunt, cùm ægrè, ac moleſtè ferrent Noriſii Libros per maous, oraque hominum volitare, eorumque jam latiùs iovaleſcentem famam in remotiores literarii Orbis plagas extendi, nec ullâ adhuc cenſurâ publicâ coerceri. Enimverò cùm Noris volumina apud ſacrum Romanæ Inquiſitionis Tribunal accuſaverint, cur Romanæ cenſuræ exitum taciti interim, ac quieti non opperiuntur? cur tot ſubinde accuſationibus terræ, Cælique Tribunalia pulſant? cur tantam chartæ, ac pecuniæ in edendis tot libellis, tot pagellis, quæ thuris, ac piperis ſiot cuculli, jacturam faciunt, & ſtridulos Reverendi illius, quem honoris, ac humanitatis gratiâ non indigito, typos obtundunt? Equidèm pol credo Noriſium eâ mente compoſitum eſse, ut plurimum S. R. E. pietati ſe debere intelligat, quæ iouumeris Orthodoxi Orbis curis diſtricta, editi ab ipſo voluminis correctionem in minimam earumdem partem aſciverit. Profectò ſummæ eidem gloriæ vertetur, Romanæ Eccleſiæ magiſterio didi-

didiciſse, ac errores, in quos incautus fortè decidit, Pontificio oraculo præmonente, cognoviſse. Decet virum, qui doctrinâ æquè ac vitæ Inſtituto Auguſtinianus & eſse, & haberi velit, eximium Doctorum Summi ergà Apoſtolicam Sedem obſequium imitari. Nàm cùm Auguſtinus quatuor contrà Pelagianos Libros Bonifacio Pontifici nuncuparet; *hæc*, inquit, *quæ iſtis, ut dixi, duabus epiſtolis illorum iſtâ diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimum dirigere Sanctitatem, non tàm diſcenda, quàm examinanda, & ubi forſan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui.* Itaque Noriſius & moderatè, & prudenter ſe gerit, dum ad Romani judicii exitum, nequicquàm bambante adverſario, vocem ſuſpendit, ac poſt ſiparium ſilet; quamvis illum Momus annoſus, pannoſus, clamoſus, in alieno ſocco mirum in ſcenâ ludere, ac inſulſam ineptiſſimæ palinodiæ fabellam coram plebe recitare comminiſcatur.

R E S P O N S A
P. FRANCISCI MACEDI

Minoritæ Luſitani, Magiſtri Conimbricenſis, Lectoris ſui Ordinis Jubilati, Profeſſoris Publici Patavini, Exlectoris Regii Madriti, Pontificii Romæ in almâ Sapientiâ, & in Collegio de Propagandâ Fide, Exqualificatoris Sancti Officii Romani, Concionatoris, & Conſiliarii Regis Chriſtianiſſimi, & Sereniſſimi Luſitaniæ Regis Hiſtoriographi Latini, Veneti Civis, & XLVII. Librorum editorum, majorum, minorum, & aliorum plurimorum libellorum MSS. Auctoris, &c.

A D V E R S U S

GERRAS GERMANAS
GERMANITATUM

Cornelii JANSENII, & Henrici NORIS,

C O L L E C T A

A B

ANNIBALE RICCIO

Veneto, Sacræ Theologiæ Baccalaureo.



Digitized by Google

PRÆFATIO.

*P*ostquàm unâ & alterâ advocatione Henrici Noris cauſſam cùm fideliter, tùm conſtanter propugnavi, decreveram eandem eruditorum judicio dimittere, ne cum larvatis hominibus, qui ſub mentito nomine longiorem eidem litem intentant, depugnans, non mediocrem temporis, quod gravioribus ſtudiis longe laudabiliùs impendendum foret, jacturam ſubirem; præſertim cùm vitiligatores dicaciſſimi nullum unquam calumniandi finem faciant, ut vel ex ipſo tumulo, cui jam proximi jacent, accuſationem reſtauraturi videantur. Enimverò cùm Noriſii volumina ſacris, qui Romæ ſedent, judicibus criminati eſſent, ſperabam fore, ut interim taciti, ac quieti abs ſe poſtulati judicii exitum opperirentur. At illi, ſivè quòd diuturniores Romanæ cenſuræ moras faſtidirent; ſivè quòd dubia hominum judicia, quamvis toties appellata peroſi eſſent, cauſſam ex integro ad formidandum Chriſti tribunal detulerunt, hoc plane titulo accuſationis libello præfixo: D. N. JESU CHRISTO CRUCIFIXO.

Et vile telum eſt: ima quod tellus creat:
Cœlo petam.

Quis meherclè hominum audaciam non miretur, quos nec piget, nec pudet terribile ac tremendum Dei judicium adire, cujus vel ſola cogitatio ſanctiſſimis quibuſque viris tantùm terroris incuſſit, ut palam teſtati ſint, malle ſe in remotiſſimis ſpeluncarum receſſibus latebras quærere, imò vel ad remota inferorum clauſtra detrudi, quàm formidandi judicis aſpectum ſuſtinere. Unus idemque Proteus varios ſubinde cucullos induens, multas criminantium perſonas cùm regione diſtantes, tùm inſtituto diſcordes, adumbrat, ut accuſatorum numero inſultet, ac majorem invidiam Noriſio creet, quem tot ubique gentium ſcriptores oppugnant. Enimverò ex Sarmatiâ Risbrochium, ex Germaniâ Hauſſenium, ex Italiâ neſcio quem Gaudicciolam in ſcenam produxerunt. Putabam fabulam peractam, ac cum riſu jam plaudere incipiebam, cùm de repente è Sipario prodit Humbertus Carthuſienſis, ac quartam ſcenam loquaciſſimus implet. Crederes Caſtoris illum ac Pollucis, vel Plautinam Menæchmorum fabulam recitare; nam Germanitates Janſenii, ac Noriſii quàm ſimillimas ludit. Cujas verò ſit iſte Humbertus neſcio; hoc planè ſcio, pleroſque emunctæ naris lectores, ubi primùm illas Germanitates typis excuſas videre, conſtanter affirmaſſe, eaſdem id ſapere, quod T. Livii hiſtoriæ Aſinius Pollio exprobavit. Ita homines impoſtorum, garruli, contentioſi ex ipſis ſilentibus religioſæ ſolitudinis cellulis Aſcetam taciturnitati unicè devotum, extrahunt, ſuos illi ſoccos impingunt, ac in publico literarii Orbis theatro, coram judice Deo mille mendaciorum plauſtra eructantem inducunt. Etenim ut Janſenii, ac Noriſii Germanitates quàm germaniſſimas obtrudant, ac

Non minus ſimiles, quàm lacti lac ſi conferas,

hic mei Noriſii verba mutilant; hic de ſuo periodos augent; alibi ſententias invertunt; omnia denique malâ arte ſuſdeque confundunt; & quod furori proximum eſt, hocce commentitium opus Chriſto Domino nuncupare non erubeſcunt. Itane, Pſeudo-Humberte, tanta te audacia tranſverſum egit, ut mentito nomine, ac cum tam putido mendaciorum, ac præſtigiarum apparatu ad Divinum tribunal adire non extimueris? Credin te fallere poſſe Deum? Non eſt hic animus tuam illam nuncupatoriam epiſtolam in examen vocare, unam & alteram ejus periodum levi brachio perſtringam. His Chriſtum alloqueris: Tu ſcis, Domine, me eſſe indoctum, & magis deditum lectioni librorum ſpiritualium, quàm ſcholaſticorum. *Quâ ergo fronte ad Germanitatem II. teſtaris, Noriſium ſcribere* contrà communem ſententiam Theologorum Scholaſticorum? *Omnium igitur Theologorum tùm veterum, tùm recentium volumina, mole prægrandia, multitudine penè innumera evolviſti, ut tanto oris hiatu ea, quæ proxime adduxi, coram Deo verba eructares. Rurſus Chriſtum compellans,* Scis, *inquis,* meam in citando fidem & in referendo ſinceritatem. *Cùm tam falſus in citando ſis,*

Digitized by Google

cave ne quidpiam non bene ergà te animatus quam fidem, ac ſinceritatem vocas, perfidiam, ac vafritiem appelles; mihi enim decretum eſt amarioribus dictis abſtinere, neque quid te audire, ſed quid me dicere deceat, conſiderare. Quòd verò intelligo methodum, quâ nuper in Bajanis parallelis confutandi uſus ſum, nempè unius P. Macedi teſtimonio adversùs illatas Noriſio calumnias appellato, pleriſque viris eruditis mirificè placuiſſe, eandem planè impræſentiarum defenſionis viam, uno Macedo duce, calcabo. Hac enim ratione ſpero fore, ut bonum illum Senem demerear; nam quidam qui Rhinocerotis naſum jactant, quum ſcirent Macedum ac Noriſium adverſis ſecum invicem ſcriptis depugnaſſe, ipſum Macedum harum Germanitatum parentem non uno loco publicarunt. At mehercle nunquàm virum vitæ integrum, ac ſceleris purum, tanto crimini obnoxium affirmare auſim; ut volens ac ſciens, ore planè infrunito, ipſi quem alloquitur, Chriſto mentitus ſit, conatus eas ſententias, quas ſuis in libris & ſolidè & eruditè dudum tradidit, in Janſeniani erroris ſuſpicionem adducere. Imò hanc Macedi, ac Noriſii fiduciam habeo, ut ubi ſe tam concordi ſententiarum affinitate conjunctos viderint, veteris neceſſitudinis ob literaria quædam diſſidia aliquantiſper ſopitæ, memoriam refricent, ac arctioribus amicitiæ vinculis iterum, me auctore, jungantur. Itaque ſpuriis hiſce Germanitatibus pigmenta detraham, fucum abradam, ſuum Janſenii aſſertionibus, ſuum Noriſii ſententiis vultum Macedi manu reſtituam.

GER-

GERMANITAS I.

Circà vituperationem Theologiæ Scholaſticæ.

Janſenius lib. Proœm. cap. 3. pag. 3.

Non eis, *inquit*, cura eſt, quæ eſſe deberet, quid vel Scripturarum Sacrarum auctoritas, vel veneranda Patrum canities conſulta reſpondeat: ſed ſtatim ad Philoſophiæ præſidium velut ad omnium ſolutionum armamentarium ſeſe conferunt, atque ejus regulis tanquam Sacroſanctis Myſteriorum altiſſimorum momenta metiuntur. *Et infrà.* Nempè de rebus iſtis Theologicis pleriſque valdè arcanis homines Ariſtotelicis diſciplinis inſtructiſſimi securè, & magiſtraliter diſputant. *Et in fine capitis col. 2.* Semper enim Philoſophia quemadmodum mater Hæreticorum fuit, ita rerum divinarum arcanis definiendis adhibita matar errorum eſt.

Cap. 6. pag. 6. col. 2. Perſpicuum eſt quàm parum hujuſmodi ratiocinationes philoſophico-Scholaſticæ ad inveniendas divinas veritates faciant.

Cap. 8. pag. 8. col. 2. Cur plerumque diſſentiunt Scholaſtici, & à Magiſtris diſcipuli, & inter ſe diſcipuli, niſi quia ut homines humanis ſenſibus, & humanis ratiocinationibus ex Philoſophorum principiis iſta quærunt, ut ſanè tot altercationibus, atque diſſenſionibus philoſophorum antiquorum ſeculum, quorum principia ſibi à teneris propinata imbiberunt, & veſtigia terunt, revixiſſe videatur.

Ibid. Paulò poſt. Enim vero quis ſano judicio dubitare poſſit pleraſque notitias genuinè Scolaſticas nonniſi putas abſtractiones eſſe, depurataſque Ariſtotelicæ Metaphyſicæ deliquationes. *Et cap. 9. pag. 10. col. 1.* Diſcrimen magnum aperitur inter modum, quo Spiritus Sanctus divinarum rerum notitiam per os Eccleſiæ ſuæ diffundit ubetiorem, & eum, quo Scholaſtici multi eandem illam cognitionem per quæſtiones ſuas ſinè termino multiplicatas axtendunt. Spiritus enim Dei per os Eccleſiæ, vix niſi cogente Hæreticorum petulantiâ hoc facit, quorum inſultatio non aliter compeſci poteſt. Scholaſtici verò nullâ neceſſitate compulſi, ſed ſolâ plerumque quidlibet indagandi, & reſolvendi cupiditate. *Et in fine capitis*: Apud Scholaſticos pleroſque in confeſſo eſt difficillimè, aut nullo pacto fieri, ut qui in Scholaſticâ Theologiâ præcelluerit, in poſitivâ, quam vocant, ſimul primas ferat.

Tandem cap. 10. pag. 11. in fine, Ex puris philoſophiæ Ariſtotelicæ principiis tota hæreſis Pelagiana, & Semipelagiana fabricata eſt.

Noris in Vindic. Auguſt. pag. 6. lin. 54. col. 2.

Sectatores Scholaſtici cùm certatim diligentiorem operam in ſectæ patrono legendo ponere ſtudeant, ſuo tamen plus nimio ingenio indulgentes, diverſa docendo magiſtros in contradictionis ſuſpicionem trahunt. Et pag. 7. lin. 9. col. 1. *Diverſa Scholarum, ac Doctorum factiones Auguſtini doctrinam in contrarias partes dilaniarunt.* Pag. 20. lin. 42. col. 1. *Scio PLEROSQUE Scholaſticos ab Auguſtini ſententiâ receſſiſſe. Illi autem juxtà Ariſtotelis Ethicam de virtutibus diſputarunt, cùm tamen philoſophos humana natura debilitas ex originali labe derivata latuerit, ac in ſummi boni cognitione longiùs à veritate exorbitaverint.*

Pag. 24. lin. 2. col. 2. *Rem gratam me facturum arbitror, ſi oſtendero Scholaſticorum PLEROSQUE in opiniones quaſdam deſcendiſſe, quæ Pontificum Romanorum, Synodorum, ac Patrum ſtatutis planè adverſantur.* Pag. 7. lin. 41. col. 1. *Scimus de Auguſtini ſententiâ Theologos inter ſe digladiari, at ii ipſi certatim ſacras literas ſibi faventes producunt, neque minori contentione de Scripturæ, quàm de Auguſtini ſenſu decertant.*

Pag. 28. col. 2. in fine. *Scholaſtici ex mancâ Pelagianæ Hæreſeos notitiâ ut à receptâ antiquitùs ſententiâ receſſerunt, ita illorum PLERIQUE in quibuſdam cum Pelagianis convenere.*

Et pag. 28. lin. 58. col. 2. *Et quidèm veteres Pariſienſis Scholæ Doctores cùm ſumma ingenia Scholæ ſubtilicatibus devoviſſent, parum fuere in Synodorum, ac Patrum lectione verſati. Hinc eruditionis defectu quaſdam opiniones obtruſere, à quibus antiquioris Eccleſiæ magiſtri longiùs diſtarunt.*

Et pag. 33. lin. 35. col. 1. *Hac itaque antiquæ Eccleſiæ, ac Sanctis Patribus de infantium pœnis ſententia ſtetit, donec poſt ducenteſimum ſuprà milleſimum annum Chriſtianæ Epochæ, novæ opiniones à Scholaſticis procuſæ ſunt, qui ſi in Patrum voluminibus tantum ſtudii ac laboris poſuiſſent, quantum Ariſtoteli explicando impendere, profectò Sancti Auguſtini ſententiam non obduxiſſent, neque eorum PLERIQUE Pelagianorum opinionem, quod ad naturalem illam puerorum beatitatem attinet, hominum mentibus tam altè infixiſſent.* Pag. 35. lin. 22. col. 2. *Solent quærere Scholaſtici: an pueris pœna damni triſtitiam incutiat? Reſpondet Scholarum principes nullâ triſtitiâ pueros affici. Pudet me ex Auguſtino nonnulla recitare; etenim inde palàm fiet tam procul ab Auguſtini ſententiâ abiiſſe, quàm propè ad Pelagianorum paradoxa acceſſerunt.*

RESPONSIO P. MACEDI.

Nihil eorum, quæ Noriſius dixit, in reprehenſionem ab hoc Parallaliſtâ vocatur, quod non antè ſuis in libris Macedus docuerit. Hoc adductis illius teſtimoniis ſub oculis ponam. Et quidèm Scholarum factiones, Sancti Auguſtini doctrinam contrarias in partes dilaniaſſe tradit his planè verbis Macedus tom. 2. Collat. 10. differ. 3. ſect. 2. pag. 343. ubi recitatis ſenteneiis Thomiſtarum, Jeſuitarum, ac Janſenianorum de adjutorio *quo, & ſine quo non*, ait: *Ex eorum inter ſe concertatione factiones ſunt exortæ, quæ Auguſtini mentem lacerarunt. Nam cùm opiniones in ſectas degenerant, neceſſe eſt, ut de quo diſceptant, id omnino diſcerpatur, ac diſſipetur.* Legatur præfatio ejuſdem Macedi ad librum de mente Innocentii contrà quinque damnatas propoſitiones Janſenii. Quòd verò in quæſtione de potentiâ naturæ humanæ circà virtutes aſſequendas, plerique Scholaſtici juxtà Ariſtotelis Ethicam diſputarint certum eſt; cùm alii juxtà Sancti Auguſtini dogmata aſſerant, naturam humanam peccato originali fuiſse in naturalibus læſam, ac proindè ſeclusâ divinâ gratiâ, nullum opus moralis virtutis poſſe elicare. Hæc Macedo ſententia ſtetit lib. 4. de Clavibus cap. 9. Hinc Gaſpar Caſalius *Epiſcopus Leyrenſis*, ut ait Macedus Collat. 10. diff. 2. pag. 578. *Ordinis Sancti Auguſtini, unus Patrum Concilii Tridentini, præſtantiſſimus Theologus*

idem argumentum verſans lib. 1. de Juſt. quadrip. cap. 21. ait: *Nec ſolùm Platonem in illis verbis perſtrinxit Auguſtinus, ſed & Platonicos omnes & Peripateticos, atque multos alios Philoſophos, multoſque noſtrorum Theologorum, qui eodem modo ſimul cum Platone ſapiunt, vel ſapere videntur.* Id non ſemel ibidem repetit. Quæ Parallelista ex pag. 33. 28. & 24. Vindiciarum recitat, diſputationem de pœnis parvulorum tangunt; ubi non omnes Scholaſticos Noris reprehendit, ſed *pleraſque* appellat. Ea verò quæ illis obiicit, ad oculum probat, cùm ex Patrum teſtimoniis res deducatur. Quidam Scholaſticorum naturalem beatitudinem pueris promittunt. Audi quid de his cenſeat Macedus Collat. 8. tomi 2. differ. 5. ſect. 3. pag. 463. *Ego certè hanc opinionem ferre non poſſum, quòd videam adverſari Scripturis, & Patribus, imò & rationi.* Et Bellarminus lib. 6. de amiſſ. grat. & ſtatu pec. cap. 2. ait: *atqui hæc eſt ipſa hæreſis Pelagiana.* Macedus cit. pag. 462. col. 1. hoſce Scholaſticos *deteriores Pelagio philoſophos* vocat. Hos paucos verò obtruſiſſe opiniones quaſdam Sanctis Patribus contrarias, ac ex mancâ Pelagianæ hæreſeos notitiâ quoſdam ad Pelagium acceſſiſſe, extrà dubium eſt. Nam Durandus ac Rubion 2. ſent. d. 30. dicunt peccatum originale non eſſe maculam intrinſecè reddentem pueros peccatores, & Durandus id ex Ariſtotele probare conatur iis planè argumentis, quibus Julianus contrà Catholicos utebatur. In eo etiam argumento Catharinus ac Pighius miſerè hallucinati ſunt; hinc Vaſquez t. 2. diſp. 32. cap. 2. ait: *mirandum eſt viros doctos & pios aut hæreſim Pelagii ignoraſſe, aut ab eâ non diſceſſiſſe.* Et Macedus Collat. 7. cit. ſect. 2. pag. 389. *Quæ ſententia communiter improbatur, quod tollat veram rationem peccati in parvulis, & cum Pelagii errore conſentiat.* Denique nobiles Scholaſtici dixere parvulos nullâ triſtitiâ affici ob amiſſam gloriam, quam ſententiam fuiſſe etiam Pelagianorum tradit Sanctus Auguſtinus lib. 3. Oper. imperf. cap. 99. & alibi. Hinc Bellarminus laudatus cap. 3. oppoſitum probat *propter auctoritatem Sanctorum Patrum Auguſtini, Fulgentii, Gregorii, & aliorum, quos nonnulli etiam Scholaſtici Theologi ſecuti ſunt.* At Janſenius totus in eo eſt ut Scholaſticos penitùs peſſundet; paſſim & ubique illos ignorantiæ, erroris, hallacinationis carpit, ac antiquæ veluti fidei deſtructores vellicat, ut planè non mirari non poſſim quædam verba, quæ Noriſius uno tantùm & altero loco de quibuſdam Scholaſticis curſim ac breviter dixit, in crimen adduci, ut initi cum Janſenio adversùs Scholaſticos fæderis reus arguatur.

GERMANITAS II.

De doctrinâ Janſenii, & Noris circà adjutoria gratiæ.

Deſumpta ex libro ſingulari de Gratiâ Primi hominis, & Angelorum, & lib. 3. de Gratiâ Salvatoris Janſenii; & ex lib. de Hiſtoriâ Pelag. In Vind. Auguſt. cap. 3. §. 6. Henrici Noris.

Janſenius in his libris proponit differentiam illam gratiæ excitantis, & actualis Adam in ſtatu innocentiæ, & ejuſdem gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ; & agit de duobus adjutoriis *ſine quo non, & quo.* Primum aſſignat Adamo innocenti, & Angelis. Secundum attribuit Adamo in ſtatu naturæ lapſæ, & exponit hæc adjutoria tradita ab Auguſtino libr. de Corrept. & Grat. eodem prorsùs modo, quo Henricus Noris proponit, & exponit.

Primò Janſenius in eo lib. cap. 3. affirmat nullum fuiſſe motum concupiſcentiæ antè actum voluntatis malum deliberatum in ſtatu Innocentiæ in Adamo, contrà communem ſententiam Theologorum Scholaſticorum, & ponit exemplum in manducatione pomi vetiti adductâ auctoritate Auguſtini lib. 1. Operis imperfecti ſol. 103. quæ talis eſt: *Non itaque ibi qualiſcumque cupiditas qualicunque reluctata eſt voluntati, ſed ei potius depravata ſervivit. Ac per hoc quamvis jam utraque mala eſſet, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit, nec præceſſit voluntatem, nec reſtitit voluntati.* Ita Auguſtinus.

Janſenius pag. 35. col. 2.

Nullus cujuſcumque appetitus ſive corporalis, ſivè ſpiritualis motus, cum quo reſiſtente pugnare potuiſſet voluntatem unquam ſurgendo præcedebat vel quando voluntate jubente ſurrexerat, nutum ejus, vel ad latum unguem non excedebat, ſed in omnibus eam obediendo ſequebatur. Ex quo fiebat ut (quidquid in contrarium non pauci recentiores dicant) ne quidem voluntas ſolicitè vigilare cogeratur, ne cupiditatis alicujus motus obreperet. Hinc Auguſtinus de cupiditate cibi vetiti loquens: *Non itaque*, inquit, *ibi qualiſcumque cupiditas qualicunque voluntati ſervivit: ac per hoc quamvis jam utraque mala eſſet, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit: nec præceſſit voluntatem, nec reſtitit voluntati.*

Noris in Vind. pag. 15. §. Julianus.

Arguit, quia concupiſcentia fuit antè peccatum, ideò enim Adam peccavit, quòd appetitus ſenſitivus ejuſdem vetitum fructum concupivit. Reſpondet Auguſtinus pag. 16. col. 2. in fine. Ibidem neganda in terreſtri Paradiſo actum concupiſcentiæ præceſſiſſe actum voluntatis comedendi pomum vetitum. De ejuſdem verba. Præceſſit, *inquit*, mala voluntas, qua ſerpenti ſubdolo crederetur, & ſecuta eſt mala concupiſcentia, qua cibo inhiaretur illicito: ac per hoc quamvis jam utraque mala eſſet, tamen voluntas cupiditatem duxit, nec præceſſit voluntatem, nec reſtitit voluntati.

RESPONSIO P. MACEDI.

Antequàm docti noſtri Senis reſponſum recito, Auguſtinus audiendus eſt. Hæc docet S. Pater lib. 4. Oper. imperf. cap. 27. *Alii ſunt ſenſus carnis, quibus caro præſentia corporalia ſpiritui quodammodo nuntiat, & alii ſunt carnalis concupiſcentiæ motus, quibus caro adversùs ſpiritum concupiſcens, in quæque illicita atque inhoneſta præcipitat, niſi adversùs eam etiam ipſe ſpiritus concupiſcat.* Itaque quamvis pomum eſſet *pulcrum oculis, aſpectuque delectabile*, nulli tamen motus primò primi in appetitu ſenſitivo Adæ inſurrexere, contrà quos ſpiritus concupiſcere cogeretur; aliàs diſcordia in utroque appetitu fuiſſet

antè

Digitized by Google

antè peccatum. Hinc cùm Julianus apud S. Doctorem lib.6. Operis laudati cap.14. opponeret eum fuiſse Adamum, *quem rei interdictæ & venuſtas irritabat & ſuavitas*, reſpondet: *Nos autem dicimus tam beatum fuiſse illum hominem antè peccatum, tamque liberæ voluntatis, ut Dei præceptum magnis viribus mentis obſervans, reſiſtentem ſibi carnem nullo certamine pateretur, nec* ALIQUID OMNINO EX ALIQUA CUPIDITATE SENTIRET, *quod nollet; voluntatemque ejus priùs fuiſse vitiatam venenosâ perſuaſione ſerpentis, ut oriretur cupiditas, quæ ſequeretur potiùs voluntatem, quàm reſiſteret voluntati.* Quarè cùm primùm Adam tentanti credidit, cupiditatis motus primò eruperunt; hinc iidem inter pœnas peccati originalis à Theologis numerantur. Audiatur Sanctus Thomas in cap.8. Epiſt. ad Rom. lect.1. *Primi motus*, inquit, *in infidelibus, ex eo quòd procedunt à peccato originali, non afferunt damnationem peccati mortalis, ſed originalis.* Hinc iidem Theologi negant motus primò primos fuiſse in Chriſto Domino, ut patet ex Suario diſp.34. de Incar. ſect.1. ubi etiam affirmat in ſtatu innocentiæ nullos futuros fuiſse motus primò primos rationem prævenientes. Undè Thomiſtæ rectè tradunt, nullum peccatum ab Adamo committi potuiſse per ſubreptionem; quia hæc fit motibus primò primis appetitûs ſenſitivi cum impetu tendentis ad objectum delectabile præveniendo rationem: quæ planè eſt definitio motûs primò primi concupiſcentiæ. Hoſce motus egregiè excludit ab Adamo P. Macedus tomo 2. Collat.8. diſſer.1. ſect.3. pag.409. col.2. *Addito vero*, inquit, *dona integritatis illa ſubordinatio tranſiit in ſubjectionem ſervilem, parente omninò appetitu ſenſitivo ad nutum rationis, ut* NIHIL AUT PRÆTER EAM, *aut* CONTRA EAM MOVERET, *ſed prorsùs in illius poteſtate eſſet, ejuſque imperio obediret, quod Auguſtinus optimè declaravit exemplo ejus partis, in quâ eſt libido, ut etiam illa, ſicut cæteræ partes, & membra corporis in poteſtate voluntatis eſſet, ac imperium rationis jubentis, vetantiſque expectaret ac ſequeretur.* Et pag.411. col.2. *Invenit* donum integritatis ſtatûs innocentiæ *appetitus diverſos, & ſuſpectos ex diverſitate; fecit concordes, & ſuſtulit ſuſpicionem, remotâ cupiditate, & aditus omnes intrinſecos* AD ERUMPENDUM MOTIBUS, QUI EXURGERE PRÆTER RATIONEM POSSENT, PRÆCLUSIT. Itaquè doœum innocentiæ Adamo collatum, motibus primò primis præter rationem erumpentibus, aditum præcluſit. Hi ſanè tollunt perfectam ſubordinationem partium inferiorum reſpectu rationis; ſunt incentiva diſcordiæ inter utrumque appetitum; & ſi non rebelliones, tumultus ſanè cient, contrà quos ratio ſollicitâ curâ cogitur vigilare. Pomi vetiti pulchritudo ita ſenſum delectavit, ut hic, teſte Auguſtino, eandem rationi proponeret, *nuntiando*; non eandem motibus primò primis appetitûs ſenſitivi cum impetu ad concupiſcendum trahendo; undè ratio inimicis hiſce titillationibus obſiſtere cogeretur. Ex his patet Parallelistam minùs rectè eam ſententiam in erroris ſuſpicionem vocaſse.

PARALLELISTA.

Quoad primum.

„ Secundò principaliter concordant Janſenius & No-„ ris in doctrinâ de duobus adjutoriis gratiæ *ſine* „ *quo non* & *quo*: ac eodem modo illa exponunt.

RESPONSIO P. MACEDI.

Edidit hic Auctor Anno 1654. Londini volumen, quod *Scrinium D. Auguſtini* nuncupavit, in quo de duplici illâ ſpecie adjutorii *ſine quo non*, & *quo* egregiè diſputavit, cujus ferè partem iterum tomo alteri ſuarum Collationum inſeruit. Quàm verò Macedo ſimiliter Noris loquutus fuerit: ex illius teſtimoniis mox laudandis apparebit. Itaque Collat.7. diſſer.3. ſect.4. pag.250. ſcribit: *Ægerrimè hanc diviſionem auxiliorum nuperi quidam Theologi ferunt: ob duas potiſſimum rationes. Prima eſt: quòd eam adverſarius*, nempè Janſenius, *ad nauſeam uſquè inculcat; perinde ac illa totius Auguſtini de gratiâ doctrinæ clavis & filum ſit. Secunda: quòd ille in iis exponendis duos præcipuè errores admiſit &c.* nempè adjutorium *quo* neceſſitare voluntatem; adjutorium verò *ſine quo non*, fuiſse tantùm in ſtatu innocentiæ, nec ulli dari in ſtatu naturæ lapſæ. Et ſtatim nominatis quinque Scriptoeibus Jeſuitis, qui contrà laudatam utriuſque adjutorii diviſionem ſcripſere, hæc ibidem addit: *Laudo ſtudium emendandi vitia, ſed video eos non vitia ſolùm hominis inſectari, ſed doctrinam quoque Auguſtini nimio adverſarium impugnandi ardore elidere; nam eò impugnando progrediuntur, ut nolint quicquam reapſe inter ea adjutoria intereſſe: atque adeò velle prorsùs confundere: quemadmodum poſt apparebit. Equidèm adverſarium peccaſſe non credo in eo quod cenſuit, rectam hujuſmodi diviſionis adjutoriorum intelligentiam clavim & filum totius Auguſtinianæ de gratiâ doctrinæ eſse.* Hæc Macedus.

PARALLELISTA.

„ Et quanquam io eâ non contineatur error, tamen „ eſt contrà Scholam Thomiſtarum, & Scotiſtarum, „ quia Thomiſtæ negant adjutorium illud *ſine quo* „ *non* tale eſſe, quod deſcribitur à Janſenio, quia „ tollit *prædeterminationem cauſarum ſecundarum à* „ *Deo*, utì latè probat Jo. Baptiſta Gonettus inſignis „ Thomiſta tom. 9. de Grat. diſp. 5. §. 3.

RESPONSIO P. MACEDI.

Is Collat. 7. laudatâ in titulo ſectionis XI. pag. 377. ſcribit: *Quid ſentiat Schola Thomiſtica de hac deſtinctione adjutorii ſine quo non, & quo*; addit ſtatìm ibidem: *Thomiſtis non arridet, quia adjutorium* ſine quo non *videtur auferre phyſicam illam ſuam prædeterminationem* ... *Verùm cùm videam eos non acquieſcere huic Auguſtini diviſioni, eamque, ut ſuam tueantur ſententiam, velle evertere, quamquàm ſatìs ea diviſio ſit à nobis modò confirmata, operæ tamen pretium duco, eandem contrà obiectiones Thomiſtarum defendere & vindicare. Et ut certum mihi adverſarium ſumam, in quo veluti ſumma certaminis ſit conſtituta, propter hominis*

acumen

genium & eruditionem, volo cum eo contendere. Is verò eſt P. Jo. Baptiſta Gonettus, vir ſanè doctus, & hoc tempore celeberrimus.

P A R A L L E L I S T A.

„ Scotiſtæ etiam negant illud genus adjutorii, quia „ volunt, ut cauſæ ſecundæ etiam liberæ ita ſubordi- „ nentur Deo, ut ab illo determinentur; ſalvâ ſem- „ per libertate, quam omnes conſervant.

R E S P O N S I O P. M A C E D I.

Hæc tradit ibidem pag. 383. col. 1. *Noſtrorum Scotiſtarum pauci de hac diviſione* Adjutoriorum *tractarunt: quòd ii ad mentem Scoti eruendam, & interpretandam intenti, minùs de Auguſtino cogitarunt. Sunt tamen qui eam viderunt & notarunt: qualis eſt Hiquæus &c. Sed nemo meliùs, quàm Theodorus Smiſing de iis diſputationem inſtituit.* Et producit hujus Auctoris teſtimonium de duplici illo adjutorio ſibi, ac Noriſio planè conforme.

P A R A L L E L I S T A.

„ Negant item Patres Jeſuitæ, qui illam diviſionem „ expoſitam à Janſenio & Nori, communiter repro- „ bant, quales ſunt Petavius; Annatus, Morai- „ nes.

R E S P O N S I O P. M A C E D I.

Providiſſe, inquit, *Deum, ut quoniam ea diviſio adjutoriorum in eas duas formas* ſine quo non, *& quo non placuit Patribus Societatis Gallis, ea magnoperè placuerit Patribus ejuſdem Societatis Hiſpanis, quod ſanè ſcitu eſt jucundum, & notatu dignum: ut Hiſpani adverſùs Gallos ſentirent, & quod armis ſolent, id pennis facerent, & inter ſeſe dimicarent. Quare Patribus Dionyſio Petavio, Antonio* (voluit dicere *Stephano*) *du Champ, ſive Richardo* (*idem eſt quippe*) *Antonino Moraines, ſive Joanni Martinono, & Thomæ Auguſtino, ſive Petro* (debuit ſcribere *Joanni*) *Bagocio* (*placuit enim iis diſſimulare nomina*) *& Franciſco Annato Gallis opponimus Patres Franciſcum Suarez, Gabrielem Vaſquez, Luiſium Turrianum, Antonium Perez, Didacum Ruiz de Montoiâ Hiſpanos, quorum telis tela refutemus: & diviſionem traditam ſuſtineamus.* Hæc ille Collat. 7. differ. 3. ſect. 2. pag. 382. col. 2. & 3.

P A R A L L E L I S T A.

Quoad primam conditionem adjutorii *ſine quo non*, ideſt flexibile pro arbitrio voluntatis.

Janſenius libr. de Grat. primi Hom. cap. 14. pag. 60. col. 2.

Ita videlicet ut illud adjutorium plenam permanendi potentiam, ſeu ſufficientiam largiretur ſinè quâ permanere non poterat: non tamen tribueret uſum illius adjutorii, ſeu ipſam permanendi voluntatem, utpotè quæ in ipſius libero relinqueretur arbitrio, à cujus liberrimo flexu, & nutu Deus pendere voluit, ut illo adjutorio uti vellet, aut nollet. Idem tradit Janſenius per totum reliquum librum, & multis aliis locis, præſertim de gratiâ Salvatoris.

Noris. In Vind. cap. 3. §. 6. pag. 42. lin. 17. col. 1.

Hoc adjutorium dicitur ſinè quo non, *non quo. Nam Adam illo adjutorio poſito non ſtatim operabatur, ſed cùm volebat eodem ſemper præſente poterat operari. Nam primo illo adjutorio oſtenſa eſt potentia liberi arbitrii, nam ut anteà præmiſerat Auguſtinus, Deus illud adjutorium reliquit in ejus libero arbitrio, & ut ait lib. 3. Op. Imper. cap. 12. Rectorem habebat, quem libero reliquit arbitrio. Scribit enim Auguſt. cap. 11. lib. de Corrip. & Grat. Quod dèſereret, cùm vellet.*

R E S P O N S I O P. M A C E D I.

Poſt Janſenium, & antè Noriſium idem docuerat Macedus in Cortinâ, in Scrinio, & tomo 2. Collationum, in quarum VII. differ. 3. de adjutorio *ſinè quo non* initio ſectionis 8. pag. 364. col. 2. hæc habet. *Illud adjutorium in ſtatu Naturæ integræ erat itâ accommodatum voluntati, ut in ejus eſſet poteſtate, nec ei daret actum, ſed præpararet ad illum, ac poſſe conferret: quia ſinè illo non poterat agere arbitrium; at eo accepto poterat ſe determinare ad agendum, utens illo pro ſuâ virtute, quæ cùm eſſet intrinſecè ſana & recta, concurrebat cum illo Adjutorio, excitante quidèm, ſed minimè præmovente, aut inclinante; ſed eam ſolùm leviter afficiente, ac eam indifferentem omninò relinquente, ut cum integro ſui dominio gratiam haberet in poteſtate: quæ ipſius motum arbitrii expectaret, & ſequeretur.* Et pag. 363. col. 1. *Illa phraſis quadrat in adjutorium* ſinè quo non, *quod ait Auguſtinus eſſe in poteſtate arbitrii: eo enim arbitrium pro ſuo libito, dominantis more, utitur, vel non utitur, ita ut operatio ſecuta libero arbitrio tribuatur, quemadmodum nos multis anteà diximus.* Habes pleniſſimam Macedi cum Noriſio conſonantiam.

P A R A L L E L I S T A.

Quoad ſecundum. Quod ſemper præſtò erat Adamo.

Janſenius lib. 2. de Grat. primi hominis cap. 13. pag. 58.

§. Hoc ergo. Non defuturum cùm opportunitas exercendarum actionum poſtulabat. Et iterum. Do-

Noris ibid. pag. 42. lin. 29. col. 1.

Illud adjutorium ſemper præſtò erat Adamo. Et rurſùm ibid. Hinc factum eſt, ut Adamus gratiam illam habuerit, pro omnibus, & ſingulis momentis ſibi inhæren-

Digitized by Google

eſt Auguſtinus iſtud adjutorium Angelis, & hominibus antè lapſum nullo modò deeſſe potuiſſe.

hærentem. Et: Cùm ex inhærente divino, eoque jugi adjutorio, in quolibet momento potuiſſet Adam legem implere.

RESPONSIO P. MACEDI.

Non quadrat, inquit, *in Adjutorium Gratiæ Adami ſinè quo Adamus perſeverare non poſset. At ſi nollet accipere, non perſeveraret. Nam illa gratia erat IN MANU Adami poſita, ejus nutui intenta: PRÆSTO ERAT, ſi vellet uti: non incitabat, nec trahebat voluntatem, ADERAT, offerebat ſe, & expectabat placitum voluntatis.* Tomo 3. Collat. 7. differ. 3. ſect. 1. pag. 341. col. 2.

PARALLELISTA.

Quoad Tertium. Quòd Adam non indiguerit oratione ad ſervanda præcepta.

Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti Salvat. cap. 4. pag. 104. col. 2.

Indè eſt, quòd Auguſtinus quando Adamo ſtanti tale Adjutorium adeſse ſtatuebat, etiam orationes pro faciendi poteſtate, & actione ſubtraxit. Quæ illi abundantia erat quando conſtitutus eſt Homo in Paradiſo, quando nihil illi deerat, quando Deo fruebatur; & inferiùs: In Paradiſo non clamabas tanquam indigus: ſed laudabas, non gemebas, ſed fruebaris, & quidni clamabat primus Homo? Nempè ne quando non deerat illa gratia ſufficiens, in illam incideret ſtultitiam, quâ oraret, ut haberet, aut faceret quod jam habebat in poteſtate.

Ita Janſenius abuſus auctoritate Auguſtini.

Noris in Vind. cap. 3. §. 6. pag. 42. lin. 12. col. 1.

Adam, inquit, *habuit auxilium ſufficiens proximè ad obſervationem cujuſcumque præcepti in omnibus, & ſingulis occaſionibus & inſtantibus.* Et infrà. *Hinc factum eſt cùm Adamus gratiam illam habuerit pro omnibus, & ſingulis momentis ſibi inhærentem, non indiguerit oratione ad obſervandum ullum præceptum.* Et iterum poſt pauca, *Cùm ex inhærente divino, eoque jugi adjutorio Adam in quolibet momento temporis potuiſset legem implere, fruſtrà oraſſet Deum, ut vires ſibi ad mandata facienda miniſtraret.*

Ita Henricus Noris Janſenio conſentiens.

RESPONSIO P. MACEDI.

Angelos bonos, inquit, *fuiſse ampliùs adjutos EXTERNA PROTECTIONE DEI, ne ſcilicet tentarentur tam graviter, ut cæteri, & ut in ſanctâ ſemel ſusceptâ cogitatione perſiſterent, nullâ diverſione ad rationes deficiendi, quæ aliis Angelis occurrebant, admiſsâ, & ſimilibus manutenentiis: non autem per majorem intrinſecam virtutem adjutorii Gratiæ trahentis, & præmoventis arbitrium, quòd EA NON INDIGEBAT ad perſiſtendum, ubi nihil, ut cum Auguſtino dicam concupiſcentialiter reſiſtebat.* Itaque ſi Angelus, & Adam non indigebant majori virtute gratiæ intrinſecæ, cur eamdem orando optaſſent impetrare? nam ſcribit Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Pec. mer. cap. 6. *Quis autem optat quod in poteſtate ſic habet, ut ad faciendum nullo indigeat adjumento?* Hæc tradit Noris pag. 42. lin. 13. col. 2. de Adamo innocente: *Etenim vanum fuiſſet novas vires petere* in tantâ non peccandi facilitate, *ut loquitur Sanctus Pater cap. 12. Poterat tamen Deum orare, ut tentatorem procul arceret, ne ad malum pelliceretur, vel cadendi periculo vicinus fieret.* Quarè eadem omninò dicit cum Macedo, quia Angelus, vel Adam id tantùm poterant petere, quo Angeli boni *ampliùs adjuti* ſteterunt, quod extrinſeca tantùm fuit protectio, *non autem major virtus intrinſeca gratiæ*, ut ait Macedus, vel *novæ vires*, ut inquit Noris; cùm majores vires intrinſecæ ſint effectus majoris gratiæ intrinſecæ. Idem Macedus lib. 3. de Clavibus cap. 3. pag. 171. ait: *Qui conſequenter dicere debent nec ſufficientia, nec efficacia auxilia petenda eſſe à Deo; cùm ſufficientia ſemper adſint, & efficacia ſint in poteſtate operantis, cùm ab illius conſenſu deſumantur.* Quarè ſi adjutorium *ſine quo non*, quod idem eſt ac auxilium ſufficiens, ex recitatis Macedi ſententiis *præſtò erat* Adamo, & ejuſdem efficacia à poteſtate voluntatis pendebat, *conſequenter dicere debet Adamo nec ſufficientia, nec efficacia auxilia petenda fuiſſe à Deo.* Hanc eandem ſententiam defendit P. Carolus ab Aſſumptione Carmelita Excalceatus opuſc. 3. de Attritione cap. 4. num. 55. pag. 388. cujus ſanè viri acutiſſimi liber Romæ examinatus, immunis à cenſurâ evaſit anno 1674. in profeſto S. Thomæ Aquinatis. Quæ conſultò adnotavi, ut pateat, Paralleliſtam ſatis importunè novam contrà memoratam ſententiam accuſationem apud eoſdem judices reſtaurare. Eſt Sancti Auguſtini dogma certiſſimum lib. 6. Oper. imperf. cap. 15. *Undè*, inquit, *& Apoſtolus dicit*: Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali; *Quod ſi ita eſset in poteſtate, quomodò fuit antè peccatum, priuſquàm eſset natura humana vitiata, NON utique POSCERETUR ORANDO, ſed agendo potiùs teneretur.* Hæc diſertiſſima verba nullum planè violentæ interpretationis fucum admittunt.

GERMANITAS III.

Circà Concupiſcentiam.

Ambo concordent diſputando contrà communem Scholaſticorum ſententiam de intrinſeco concupiſcentiæ malo, ut contradicant Juliano Pelagiano affirmanti, concupiſcentiam naturaliter eſse bonam, & proprietatem naturæ.

Janſenius lib. 2. de Statu naturæ lapſæ cap. 18. pag. 104.

Verba, inquit, Auguſtini ita ſonant, ac ſi concu-

Noris in Vind. pag. 14. lin. 16. col. 2.

Concupiſcentia, inquit, *eſt mala eo ipſo, quòd ad malum impellit; hæc enim eſt proprietas habitûs vitioſi inclina-*

Digitized by Google

piſcentia eſſet qualitas vitioſa quidèm, ſed tamen poſitiva. Et rursùm: Sanctus Auguſtinus per conſuetudinem nihil aliud niſi habitum intelligit, comparat enim conſuetudini concupiſcentiam. Et iterùm pag. 106. col. 2. Inſtar conſuetudinis, inquit, ſeu habitûs acquiſiti, & ſi non ſit habitus qualitas illa, quæ nobis à natura inditur, in Adamo exorta eſt. Et rursùm ibi in medio columnæ. Innata inſperſaque intimis viſceribus concupiſcentia pertinaciſſimè medullis hæret. Et cap. 23. pag. 111. col. 2. Nec mirandum eſt fieri animam ex illâ miſtione cum carne peccati, ſeu concupiſcentiis terrenis infectâ carnalem. Pergit Janſenius lib. de Gratiâ primi hominis cap. 3. pag. 36. init. loquens de cupiditate pomi vetiti ex Auguſtino contrà Julianum, non fuiſse ortam ex concupiſcentiâ, ſed antè actum voluntatis, quod ipſum dicit Noris adducto eodem teſtimonio Auguſtini ut neget, concupiſcentiam ad naturam pertinere; Auguſtinus, inquit, ſemper omnem omnino appetitûs cujuſcumque motum, qui quovis modo reſiſteret rectæ voluntati, ab illo ſtatu (integræ naturæ) tollit. Et poſteà propè finem cap. agens de cupiditate pomi vetiti ſic ait idem Janſenius. Hinc Auguſtinus de cupiditate cibi vetiti loquens, quam ſuſpicabatur conſideratione decoris pomi ſurrexiſſe Julianus: non itaque, inquit, ibi qualiſcumque cupiditas qualicunque reluctata eſt voluntati, ſed ei potius depravata ſervivit.

clinare ad malum. Pergit: *Quarè ſicutè habitus vitioſus quò efficacius movet ad actus pravos, majorem dicit intenſionem ſuæ entitatis, ita etiam concupiſcentia quò potentius excitat ad actus quoſcumque inhoneſtos, majorem intenſionem ſuæ actualitatis oſtendit.* Rursùm. *Vis concupiſcentiæ impulſiva ad malum.* Et ibi illam appellat: *Quid vitioſum, & vituperabile.* Proſequitur per omnia ſimilis Janſenio etiam negando fore concupiſcentiam in ſtatu naturæ puræ, inficiando, ullum motum concupiſcentiæ anteceſſiſſe peccatum voluntatis, & utitur eodem teſtimonio Auguſtini, quo fuerat uſus Janſenius. Ita Noris in Vind. pag. 15. lin. 42. col. 2. propè finem. *Arguit Julianus; quia concupiſcentia fuit antè peccatum: ideò enim Adam peccavit, quòd appetitus ſenſitivus ejuſdem vetitum fructum concupivit.* Cui reſpondet uti Janſenius nomine Auguſtini. *Auguſtinus, inquit, reſpondet negando in terreſtri Paradiſo ullum concupiſcentiæ præceſſiſſe actum voluntatis comedendi pomum vetitum.* De ejuſdem verba. *Præceſſit, inquit, mala voluntas, & ſecuta eſt mala concupiſcentia, quâ cibo inhiaretur illicito; ac per hoc quamvis jam utraque mala eſſet, tamen voluntas cupiditatem, non voluntatem cupiditas duxit, nec præceſſit voluntatem, neque reſtitit voluntati.* Concludit ibid. *Concupiſcentiam ſecundùm ſuam eſſentiam eſſe malam*, in ſenſu Manichæo; quod non audet Janſenius, quamvis inſinuet.

RESPONSIO P. MACEDI.

Negat Macedus, concupiſcentiam eſſe proprietatem naturæ, aſſerens eſſe vitium appetitûs ſenſitivi per peccatum originale depravati. In Collat. 8. tomi ſecundi differ. 1. ſect. 2. pag. 405. col. 2. ſcribit. *Illud ego obſervo, Pelagium & Julianum homines acutos vidiſſe, quod ineſſet naturæ ſecundùm ſe, & à Deo conditore, id malum eſſe non poſſe; hinc enim deducere ſoliti erant, concupiſcentiam non eſſe malam, quòd naturalis eſſet, nec malam eſſe poſſe, cujus Deus auctor eſt, qui mali auctor eſſe non poteſt. Contrà quos Auguſtinus acutiùs arguebat, concupiſcentiam MALAM eſſe, quòd ad peccatum inclinat, id autem, quod inclinat ad peccatum, naturæ effectum non eſſe, ſed peccati pœnam, ejuſque Deum auctorem eſſe non poſſe; eſſe igitur in homine peccatum originale, à quo concupiſcentia eſſet.* Idem ibidem ut probet, concupiſcentiam carnalem, ſeu libidinem eſſe vitium, non proprietatem naturæ, *Argumentor*, inquit, *ſecundò: quia vel iſta libido eſt quid bonum, vel quid malum; vel quid indifferens ad utrumque: bonum eſſe nequit, nam hic erat error Juliani dicentis, libidinem eſſe bonam, contrà quem D. Auguſtinus toties tamque vehementer pugnavit ex Apoſtolo vocante illam* malum & peccatum &c. *Unde ne indifferens quidèm eſſe poteſt, cùm inclinet ex ſe ad peccatum, & peccati fomes ſit, & effrenatâ licentiâ feratur. Igitur MALUM EST, quanquam non ſit peccatum. Igitur VITIUM naturæ EST contractum ex peccato, NON PROPRIETAS INNATA.* Et addit col. 1. ejuſdem pag. 405. *Nec obiicias iſtam libidinem relictam ex amiſſione originalis juſtitiæ; nam præcisè non indè oritur, cùm prius ſit tranſmitti ſemen, & generari hominem, quàm privari juſtitiâ; at iſta libido tranſit cum ſemine, & per illud traducitur; igitur non ſequitur ex amiſſione juſtitiæ ſed eſt immediatè ex infectione naturæ &c.* Lege eundem Collat. 8. differ. 3. ſect. 5. pag. 447. Quod adducit Paralleliſta de concupiſcentiâ Adæ ergà pomum vetitum ſuperiùs ad Germanitatem II. excuſſum fuit. Quod addit, Noriſium poſuiſſe concupiſcentiam malam in ſenſu Manichæo, ridiculum eſt; nam ibidem pag. 15. in fine ex Sancto Auguſtino probat, concupiſcentiam eſſe bonum pecudis, vitium verò hominis. Hæc ſcribit pag. 34. *Concupiſcentiam in pecude eſſe perfectionem, quia eſt conformis ejuſdem naturæ, nec repugnat ſpiritui in brutis. In homine autem dicit defectum, vitium, ac corruptionem naturæ.* At Manichæi dicebant, concupiſcentiam eſſe naturam, & ſubſtantiam malam tùm in brutis, tùm in homine. Noris dicit, concupiſcentiam eſſe *habitum vitioſum*, qui accidens eſt, non ſubſtantia; eſſe illam malam ſecundùm ſuam eſſentiam homini, non pecudi; ſicut calor ſecundùm ſuam eſſentiam eſt quid malum reſpectu aquæ, quia ſecundùm ſua prædicata eſſentialia eſt deſtructivum naturalis perfectionis aquæ. Ita habitus vitioſus ſecundùm ſuam eſſentiam eſt malus, quia definitur per hoc; quod eſt eſſe inclinans ad malum actuale.

Quod verò Paralleliſta præmittit: nempè Noriſii ſententiam eſſe contrà communem Scholaſticorum opinionem, ſi antiquos intelligat, falſum eſt; nam plurimi veteres Pariſienſis Scholę Doctores dixerunt, concupiſcentiam conſiſtere in quadam morbidâ qualitate ex peccato originali in poſteros derivatâ, nec ullo pacto eandem eſſe naturæ proprietatem. Vaſquez 1. 2. diſp. 132. cap. 4. fatetur *per multos Scholaſticos* in eâ ſententiâ fuiſſe, ac plures ibidem appellat. Noris ſententiam & fusè, & eruditè defendit in Synodo Tridentinâ Cardinalis Seripandus, teſte Card. Pallavicino lib. 7. Hiſt. Synodi Trident. cap. 9. num. 4. quo loci verborum Seripandi ſummarium recitat. Hæc tantùm exſcribam: *Secondo Agoſtino eſſere la concupiſcenza NON PROPRIETA della natura, come dà molti profuppongonſi, mà corruzione, e ribellione di natura.* Et ſanè Card. Bellarminus lib. 5. de Amiſſ. grat. cap. 13. teſtatur *affirmari ab Auguſtino concupiſcen-*

Digitized by Google

ſcentiam non tantùm eſſe pœnam, ſed eſſe etiam in ſe, & abſolutè MALAM, quia eſt quid immoderatum, & vitioſum, quamvis non habeat propriam culpæ rationem, cùm non in voluntate, ſed in carne ſedem habeat. Eandem ſententiam etiam defendit Eſtius 2. diſtin. 30. à §. 10. & quidèm latiſſimè, & ex Recentioribus Jeſuitis Joannes Bagocius, & Michael Elizalde, quos Noriſius in Vindiciis laudat. Acceſſit nuper P. Contoſonus inſignis Thomiſta differt. 1. de Grat. cap. 1. ſpecul. 2. Ceterùm cùm dixit Bellarminus, concupiſcentiam *eſſe in ſe & abſolutè malam*, perinde eſt ac ſi dixiſſet, *ſecundùm ſuam eſſentiam eſſe malam*, uti Noriſius ſcripſit. Quis verò niſi furioſus ac demens, ſenſum Manichæum Bellarmini dictis impingat? In hoc miſerè hallucinatur Paralleliſta, quòd illa verba, *ſecundùm eſſentiam*, intelligit ſecundùm ſubſtantiam, quæ interpretatio maligna, aut certè inepta eſt. Nam eſſentia dicitur tùm de ſubſtantia, tùm de accidente, cùm ſit denominatio orta ab ente, quod eſt tranſcendens; imò ipſæ privationes habent ſuam eſſentiam, cùm definiantur: definitio enim eſt oratio explicans eſſentiam rei.

GERMANITAS IV.

Circà hypotheſim Manichæorum de concupiſcentiâ ſecundùm eſſentiam ſuam malâ, quam Noris affirmat, admiſiſſe Sanctum Auguſtinum gratiâ diſputandi.

Janſenius, & Noris propoſito ex adverſo contrà ſuam opinionem loco Auguſt. ex lib. 1. Retract. & lib. 3. de lib. arb. Quamvis ignorantia, & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus.

Janſenius ita reſpondet lib. 3. de Statu pur. nat. cap. 20. pag. 399. col. 2.

Perſpicuum eſt, Auguſtinum refelliſſe Manichæos ex hypotheſi ad hominem, eâque falsâ, & impoſſibili, ſed quæ ſufficeret ad eorum inſanias revincendas. Et paulò infra pag. 400. col. 1.

Hypoteſis itaque impoſſibilis eſt, ut ignorantia, & mala libidinum diverſarum deſideria ſint naturalia, & homini à Deo conditore primitùs data. Ex quo tamen rectè ſequitur eis licitè poſſe conſentiri. Et rursùm.

Ex quo rectè conſequenter ſequitur: quicquid illâ ignorantiâ, ac deſideriis naturalibus appetitur, ſinè ullo peccato in purâ naturâ poſſe perpetrari. Et poſteà.

Ex quâ deniquè hypotheſi ſimiliter rectè ſequitur, Deum in iſtis naturæ primordiis adhuc laudandum; Dei naturam non eſſe mixtam cum gente tenebrarum, Deum à Creaturæ ſic conditæ peccatis eſſe remotiſſimum, quæ Aug. contrà Manichæos in iſtâ ſuppoſitione ſpectabat. Si enim tunc in hypotheſi peccat creatura, laudemus Creatorem, quia non peccat, niſi dum ab inſtituto ſui Creatoris abſcedit: Si verò non peccat, laudemus Creatorem, quia nihil præter Creatoris inſtituta committit.

Noris in Vind. Auguſt. cap. 3. §. 2. pag. 15. lin. 47. col. 1.

Opponunt, Auguſtinum libr. 1. Retract. cap. 9. dixiſſe: Quamvis ignorantia, & difficultas, etiamſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſe Deus. Ergo, inquiunt, ex Auguſtino laudandus eſſet Deus, tametſi hominem creaſſet abſque perfectâ concupiſcentiæ ſubjectione. In hoc uno tam claro Auguſtini, ut aiunt, teſtimonio ſibi victoriam canunt, cum tamen Sanctus Doctor innumeris locis oppoſitum aſſeruerit, nec ibidem, ut ipſi perperam arbitrantur, ipſorum ſententiam docuerit. Etenim Sanctus Doctor eo loco contra Manichæos diſputabat, qui dicebant, Concupiſcentiam eſſe malam quandam naturam, & omnium malorum productricem commentabantur. Auguſtinus, ut eoſdem refelleret, hypotheſim utramque gratiâ diſputationis admiſit; nempè hominem cum concupiſcentiâ creatum, & ſinè iſtâ nequaquam creari potuiſſe; urgebat verò hæreticos etiam tunc Deum fore laudandum: nam nulla culpa Dei fuiſſet facere quod fieri non poterat. Lege (nam eſt mendum) *aliter fieri non poterat.*

RESPONSIO P. MACEDI.

Hæc tradit tom. 2. Collat. 8. differ. 4. ſect. 3. pag. 464. col. 2. *Animadvertit tamen* Auguſtinus *lib. 1. Retract. cap. 9. ſe libros illos adverſùs Manichæos ſcripſiſſe: & iis abuti contrà doctrinam à ſe traditam de gratiâ Pelagianos, & ad finem capitis ſic.* Quam miſeriam nolunt Pelagiani ex juſtâ damnatione Dei deſcendere negantes originale peccatum: quamvis ignorantia & difficultas, etiamſi eſſent primordia hominis naturalia, nec ſic culpandus, ſed laudandus eſſet Deus. *In hac ergo ſuppoſitione procedit Auguſtinus, undè addit:* Sicut in eodem tertio libro diſputavimus. Quæ diſputatio, *inquit*, contrà Manichæos habenda eſt, qui non accipiunt ſcripturas veteris teſtamenti, quibus peccatum originale narratur, & quicquid in literis Apoſtolicis legitur, deteſtabili impudentiâ immiſſum fuiſſe contendunt à corruptoribus Scripturarum, tanquam non fuerit ab Apoſtolis dictum. *Itaque perſpicuè dicit Auguſtinus, ſe non loqui ex ſenſu Scripturarum admiſſo peccato originali, neque de pœnis illius, ſed ſecundùm naturam ipſam QUOMODO loquebantur MANICHÆI, ut eos EX SUIS impugnet PRINCIPIIS.* Hæc Macedus, quo teſte Sanctus Auguſtinus juxtà hypotheſim, ſeu *principia Manichæorum* loquutus eſt, ut eos ad hominem, ut inquiunt, confutaret. Ceterùm Paralleliſta inſigniter imponit, dum ſcribit, Noriſium dixiſſe Sanctum Auguſtinum gratiâ diſputandi admiſiſſe hypotheſim de concupiſcentiâ malâ. Hæc ſunt verba Noris pag. 15. v. 63. col. 1. *Auguſtinus ut Manichæos refelleret, hypotheſim utramque gratiâ diſputationis admiſit; nempè hominem cum concupiſcentiâ creatum, & ſinè iſtâ nequaquam creari potuiſſe.* Audin quæ fuerit duplex illa hypotheſis ab Auguſtino gratiâ diſputationis admiſſa? At concupiſcentia mala non fuit

una

una ejuſmodi hypotheſium; nam Sanctus Doctor in eo ſe cum Manichæis convenire ingenuè, imò Catholicè fatebatur. Non eſt opus hujus veritatis alios ab Auguſtino teſtes appellare. Audiatur lib. 5. contrà Julianum Oper. imperf. cap. 30. ubi cùm Julianus parallelum objeciſſet inter Manichæum dicentem, concupiſcentiam carnis eſſe diabolicam, & Auguſtinum eam vocantem fruticem Diaboli, ac legem peccati, ſic reſponſionem exorditur: *Numquid proptereà dicere non debemus, quòd bonus Deus fecerit mundum, quia etiam hoc dicit Manichæus? Sed cùm quæritur, undè fecerit, ibi diſcernimur.* Et cùm plures eam in rem inſtantias adduxiſſet, *in eo*, inquit, *quod SIMUL DICIMUS, MALAM ESSE CONCUPISCENTIAM carnis, quâ caro concupiſcit adversùs ſpiritum; cùm quæritur unde HOC ſit MALUM, diſcretiſſimè reperimus. Nos enim cum Ambroſio dicimus;* hanc fœdam diſcordiam carnis & ſpiritûs per prævaricationem primi hominis in noſtram vertiſſe naturam. *Ille autem cum ſuis dicit, ut invicem adverſentur caro & ſpiritus, alienam nobis, quæ ſemper mala fuit, adhæſiſſe naturam; undè nos poſcimus Salvatorem, ut HOC VITIUM noſtrum ſanetur; ille verò ut à nobis aliena natura, quæ ſanari omnino non poteſt, auferatur. Etiam hic cur non attendis in eo, quod carnis concupiſcentiam ſpiritui reſiſtentem SIMUL MALAM DICIMUS, quantâ diſſimilitudine ſeparemur? Cur non attendis nec nos eſſe Manichæos, qui cum eis aliqua dicimus, & vos eſſe hæreticos, quoniam CUM EIS illa non dicitis?* Et librum ſextum, quem morti proximus exarabat, hac ſententiâ concludit: *Nec videris tamen, neque nos à vobis ideo dici debere Manichæos, quia malum eſſe concupiſcentiam, ET ILLI ET NOS DICIMUS.* Ex his patet, Sanctum Doctorem non admiſiſſe gratia diſputationis cum Manichæis *concupiſcentiam eſſe malam*, ſed eo in dogmate cum eiſdem convenisſe, à quo Pelagianos, quòd bonam illam affirmabant, diſſentientes hæreticos eſſe dixit, quoniam *cum* Manichæis *illa non dicerent.* Omnia paucis perſtringo. Duplex hypotheſis ſtatui poteſt; Prima: hominem initio creatum fuiſſe cum concupiſcentiâ. Altera: hanc concupiſcentiam fuiſſe bonam, utpotè proprietatem naturæ humanæ. Utramque hypotheſim Pelagiani admittebant, totuſque in utraque propugnandâ Julianus in ſuis contrà Sanctum Auguſtinum libris verſatur. Manichæi primam tantùm hypotheſim adſtruebant; alteram inficiabantur, aſſerentes concupiſcentiam eſſe malam, ac proinde non potuiſſe eſſe à Deo bono, ſed fuiſſe opus Principis tenebrarum. At Auguſtinus primam hypotheſim ſcribens contrà Manichæos, gratiâ diſputationis admiſit; in alterâ verò, quòd rectum dogma erat, cum eiſdem convenit, nec uſpiam bonam dixit concupiſcentiam. Libro 3. de lib. arb. cap. 20. ait: *Non enim mediocria bona ſunt, quòd anima facultatem habeat, ut adjuvante Creatore, ſe ipſam excolat, & pio ſtudio poſſit omnes acquirere & capere virtutes, per quas & à DIFFICULTATE CRUCIANTE, & ab ignorantiâ cæcante liberetur. Quod ſi ita eſt, non erit naſcentibus animis ignorantia, & difficultas ſupplicium peccati, ſed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium, &c.* Quis autem dicat, *difficultatem cruciantem*, quo nomine concupiſcentia ab Auguſtino intelligitur, ac *ignorantiam cæcantem* eſſe bona, non verò mala, ac defectus naturæ bonæ? Idem S. Doctor cap. 22. *Ignorantia verò, & difficultas, ſi naturalis eſt, indè incipit anima proficere... Non enim quòd naturaliter neſcit, & naturaliter non poteſt, hoc anima deputatur in reatum: ſed quòd ſcire non ſtuduit, & quòd dignam facultati comparandæ ad rectè faciendum operam non dedit.* Itaque ignorantia, ac difficultas, ſunt privationes bonorum, ad quæ Deo auxiliante, homo pervenire poteſt; omnis autem privatio boni mala eſt. Ergo nuſquam eo loci diſputans Auguſtinus contrà Manichæos, concupiſcentiam bonam appellavit, ſed eodem modo ac de ignorantiâ, de eadem ſemper loquutus eſt, & utramque unâ ſemper lineâ conjunxit; quamvis poſteà de quidditate, ac causâ malæ concupiſcentiæ juxtà Catholicam doctrinam cum iiſdem hæreticis ſummâ cum laude conflixerit, probans, eandem non eſſe naturam, nec à Principe tenebrarum homini inſertam; admittens diſputationis gratiâ, ſinè illâ hominem non potuiſſe creari.

GERMANITAS V.

Nata ex objectione cenſuræ Pontificiæ ſuper propoſitione Baii: Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur.

Janſenius lib. 3. de Statu nat. pur. cap. 22. pag. 405.

Supereſt objectio, quæ ex Bullâ duorum Pontificum ſumitur, nam ibi damnatur iſte articulus. Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur. Et infrà.

Propoſitio, quæ obiicitur, neceſſarium habet interpretationis beneficium. Si quis enim quemadmodum ſonat, accipiendam velit, profectò peccatorem hominem ab initio Deus creare potuiſſet, talis enim nunc, nemine catholico dubitante, naſcitur, ſcilicet in originali peccato. Poſteà.

Eccleſia cùm cerneret hanc propoſitionem: Deus ab initio talem potuit creare hominem, qualis nunc naſcitur: communi Scholaſticorum conſenſu certo ſenſu in ſcholis receptam eſſe, ne contraria lites, offenſiones & ſcandala ſuâ novitate generaret, eam tantiſper vetandam cenſuit; non tanquam falſam, ſed ut pacis inimicam. Quæ conciliandi ratio eò videtur eſſe genuinior, quòd duobus modis Bullæ con-

Noris in Vind. cap. 3. §. 2. pag. 16. lin. 18. col. 2.

Unum obſtare videtur, quod acerrimè urgent Recentiores. Etenim damnata eſt hæc propoſitio Baii: Deus non potuiſſet ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur. Et infrà. De iis, inquit, propoſitionibus Baii variè ſentiunt Theologi.

Et poſteà pag. 17. lin. 48. col. 1. Theſis illa Baii: hominem non potuiſſe à Deo produci, qualis modò naſcitur, juxtà amplam ejuſdem expreſſionem vera eſt. Quis enim dixerit, Deum poſſe condere hominem cum peccato originali, cum quo modò naſcitur?

Pag. 16. lin. 44. col. 2. Cùm Bajus Pelagianæ hæreſeos incuſaret aſſerentes, hominem talem potuiſſe à Deo creari, qualis modò naſcitur, hinc ob infamiæ notam, quam oppoſitæ ſententiæ Auctoribus inurebat, ejuſdem propoſitio cenſuræ ſubjecta eſt. Et affert teſtimonium Vaſquez, cui ſe conformat.

Damnatam tantùm, ut ſcandalo & offendiculo patentem, & hac ratione ſolùm prohiberi.

Et con-

gruat. Nam & ad literam propoſitio iſta cenſurâ ſtringitur, quatenus proſcribit offenſivas. Et iterum.

Ne igitur Pontificiam Sedem in pugnâ ſecum relinquamus, nihil arbitror opportunius dici poſse, quàm Romanam Eccleſiam, cui non minus pax quam eruditio Filiorum ſuorum cordi eſt, prudenti Directricis cenſuram edidiſse. Et alibi lib. 4. de ſtat. nat. lap. cap. ult. pag. 276.

Egit Summorum Pontificum prudentia, ut altera pars ſinè præjudicio veritatis tantiſper vetaretur, tanquam quæ vetuſta quaſi novitate noſtri temporis Doctores vetuſtatis ejus inſcios offenderet, ſcandaloque perturbaret. Præterea lib. 3. de ſtatu nat. pu. cap. 23. pag. 404. initio.

Ad litteram propoſitio iſta cenſurâ ſtringitur, quatenus proſcribit offenſivas, & aliquâ ratione, ut verba ſonant ad mentem auctoris defendi poſſe decernitur.

Et rurſum lib. 4. de ſtat. nat. lap. cap. ult. pag. 272. affert teſtimonium Franciſci Toleti.

Et concludit pag. 16. In fine col. 2. Meritò ob cenſuram ejuſdem Baii propoſitio ut ſcandaloſa proſcripta eſt.

Et iterum in Vind. cap. 4. §. 5. pag. 57. lin. 50. col. 2. Ne videamur Recentiores Pontifices qui memoratam Theſim ſepiùs proſcripſere, cum antiquis deceſſoribus, cum ipſamet Eccleſiâ Catholicâ committere, pauca ſubjiciam.

Et cap. 3. §. 2. pag. 17. lin. 20. col. 1. Sciendum eſt, inquit, aliquas propoſitiones æquivocas modò ab Eccleſiâ rejici, modò approbari. Inſuper pag. 119.

Hæc proſequutus ſum, ut oſtenderem Summos Pontifices nullâ ratione ſuffragari damnatæ Baii propoſitioni.

Tandem pag. 16. lin. 41. col. 2. Hæc autem confirmat (Vaſquez) locupletiſſimo teſtimonio Cardinalis Franciſci Toleti, qui in cauſâ Baii Lovanium ab Apoſtolicâ ſede delegatus fuit.

Concludit pag. 16. lin. 64. col. 2. Propoſitiones Baii dicuntur damnari reſpectivè.

RESPONSIO P. MACEDI.

Cùm tom. 2. Collat. 8. diff. 1. ſect. 2. §. 2. pag. 406. negaſſet *hominem à Deo per ſeipſum citrà humanam generationem de integro conditum, ex ratione ſuæ conſtitutionis cum eadem omnino fore libidine, quâ eſt homo conceptus & genitus à parentibus more humano per ſemen infectum &c.* Statim §. 3. pag. 407. ita ſcribit: *Si homo in ſtatu naturæ lapſæ differt ab homine in ſtatu naturæ puræ, ut non ſolum ſit ſpoliatus donis gratuitis, ſed etiam vulneratus in naturalibus, ſequitur Deum non poſſe condere hominem in ſtatu, in quo nunc eſt. Hæc autem eſt una ex propoſitionibus Baii damnatis à Pio V. & Gregorio XIII. ut patet ex ipſâ bullâ damnationis productâ à Suarez tom. 1. de Grat. Proleg. 6. cap. 2. in qua ſeries propoſitionum Baii continetur, quarum LV. eſt:* Deus non potuiſſet talem ab initio creare hominem, qualis nunc naſcitur. *Quòd autem id ſequitur &c.* Paulò poſt ait: *Huic argumento reſpondeo primò cum Vaſquio, & Turriano, & Maratio, & Hauzer, meque auctore in Cortinâ quæſt. ſingulari de neceſſitate gratiæ, & in Scrinio monit. ad calcem poſitâ, non omnes propoſitiones Baii damnatas eſſe; cùm ipſa bulla dicat,* nonnullas poſſe aliquo pacto ſuſtineri, *quarum certè una hæc eſt: & quidèm ſi ſolitariè ſumatur, & ſeorſim conſideretur, certa omnino, & tuta eſt. Quid enim, quæſo verius & ad fidem congruentius, quàm dicere Deum non potuiſſe hominem creare in ſtatu peccati originalis, in quo nunc naſcitur? ... Igitur iſta propoſitio abſolutè non damnatur. Secundo: Reſpondeo dato damnari illam, ut vult Suarez, in eâ ſerie contentam, nihil indè ſequi contrà noſtram ſententiam, nam ea ſolùm damnatur, ut inquit bulla, in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertore intento, id eſt, non ſolitaria, ſed conjuncta, connexaque cum aliis, & uti cum illis conſentiens; atque hoc modo continet perverſam doctrinam; nam ex propoſitionibus 22. & 27. ejuſdem Baii in eadem bullâ relatis, conſtat illum ſenſiſſe integritatem & Juſtitiam originalem non fuiſſe donum Dei, ſed conditionem naturæ, quod ſanè hæreſim continet &c.* Idem Macedus in calce Scrinii pag. 253. ait: *Quomodò igitur illæ primæ quatuor propoſitiones damnantur in Bullâ, cùm Auguſtini & graviſſimorum Doctorum, imò & Patrum Societatis ſint? Reſpondeat pro me Vaſquez & Toletus ab eo relatus, quos duos magni facere auctores ſoleo: iiſque omninò ſubſcribo.* Hæc ille.

Quod ſcribit Parallelista Noriſium dixiſſe illam propoſitionem damnatam TANTUM, *ut ſcandalo & offendiculo patentem, & hac ratione* SOLUM *prohiberi,* eſt pura puta impoſtura; nam cùm dixiſſet pag. 16. lin. 62. col. 2. *merito ob cenſuram ejuſdem propoſitio damnata eſt,* ſtatim addit: *Propoſitio illa 55. damnatur reſpectivè ad propoſitionem 27. quæ eſt:* Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio. *Quaſi ſubjectio concupiſcentiæ non fuerit ex dono Creatoris, ſed ex exigentiâ humanæ ſubſtantiæ, tanquam propria paſſio ejuſdem,* QUOD FALSUM EST. Itaque damnata eſt propoſitio non tantùm uti ſcandoloſa ob cenſuram, verùm etiam ob errorem quem continet; nempè prout eſt connexa cum propoſitione 27. quæ ipſiſſima eſt P. Macedi reſponſio. Hinc disertè ſcribit Noris pag. 17. lin. 35. col. 1. *quarè propoſitio illa Baii NON SOLUM ob cenſuram damnata eſt, verùm etiam quòd Hæreticorum recentium errori à Tridentinis Patribus damnato, concineret.* Quâ ergo fronte audet Parallelista in epiſtolâ nuncupatoriâ Chriſtum Dominum his compellare: *Scis meam in citando fidem, & in referendo ſinceritatem,* cùm tam inſigniter mentiatur, ea fingens Noriſium ſcripſiſſe, quorum oppoſitum tam manifeſtè ac luculenter aſſeruit? Janſenius certè erravit, dum eandem propoſitionem in eodem Bajano ſenſu acceptam, defendit, quòd id temporis, dum ſcriberet Bajus, offendiculo pateret, à quo poſteà inmunis evaſerit. Videſne Noriſii à Janſenio diſcrepantiam, ejuſdemque cum Macedo conformitatem? Legatur P. Contenſonus nuperum Thomiſticæ Scholæ ornamentum tom. 5. diſſert. 2. de Grat. cap. 1. ſpec. 2. à pag. 193. uſquè ad 200.

Digitized by Google

GERMANITAS VI.

Circà contractionem peccati originalis.

Janſenius lib. 1. de Statu nat. lapſæ cap. 6. pag. 86. col. 1. ſic ait.

Auguſtini ſententiam indubitatam eſſe comperio, quòd peccatum originale non aliter ex homine primo ad poſteros propagatum ſit, nec verò aliter propagari ullo poſſit modo, niſi per libidinem, ſeu carnis concupiſcentiam, quod certiſſimum eſt. Iterum cap. 7. pag. 87. Natura, inquit, ita profundè vitiata eſt, ut ſervato naturali ordine non poſſit ſinè vitio tenaciſſimè ſibi cohærente propagari, nempè concupiſcentiâ carnis, cujus infectione, & contagio peccatum in prolem generando trajicitur. Præterea: Auguſtinus apertè docet, ſi filii ex Adam ſolâ ſpiritali voluntate gignerentur, nullum ex eis delictum eſse tracturos: deeſſet quippè cauſa, per quam ex parente in prolem trajici poſſet. Tandem: Clarè indicat (Auguſtinus) ſi ſpiritali tantum voluntate ſeminaretur omni reatu naſcendo cariturum.

Noris in Vind. Auguſt. pag. 38. lin. 56. col. 1.

In tantum peccatum traducit in corpus (virtus ſeminalis) inquantum in corpus ex Adamo per concupiſcentiam carnalem propagatum immittitur. Rurſum ibid. Confirmatur noſtra ſententia, quia ſi caro per concupiſcentiam genita, eſt cauſa, cur anima peccato inficiatur, & ex conſequenti pœnam ſubeat, ipſa caro, quæ vehiculum peccati fuit, neutiquam debet eſse à quacumque pœnâ immunis. Addit inſuper: Corpus per traducem ub Adamo derivatur: hinc ſi anima à Deo creata infunderetur corpori, nequaquam per virtutem ſeminalem ex Adamo traducto, illa non contraheret peccatum originale; quarè in tantùm peccatum traducit, in quantùm in corpus ex Adamo per concupiſcentiam carnalem propagatum immittitur.

In ſenſu Janſenii loquitur Noris dicens: Si anima corpori nequaquam per virtutem ſeminalem ex Adamo traducto infunderetur, non contraheret peccatum originale. Nam ly per virtutem ſeminalem ſignificat cum concupiſcentiâ, ut apparet ex antecedentibus, & conſequentibus, undè diſtinctè poſui per concupiſcentiam carnalem, quod omninò eſt idem, quod dixit Janſenius, ſolâ voluntate ſpiritali, ideſt, ſinè carnali concupiſcentiâ. Quarè uterque dixit: Niſi interveniret concupiſcentia carnalis, non eſse contrahendum peccatum Originale.

RESPONSIO P. MACEDI.

Hæc ſcribit tom. 2. Collat. 8. differ. 3. ſect. 5. pag. 446. in fine: *Undè jam apparet via, & tradux peccati, quæ eſt ipſa concupiſcentia, ratione cujus peccatum formale tranſit ad animam, in quâ ſolâ eſt peccatum formale. Ac ita conſtat illud peccatum eſse naturæ, non quòd natura ex ſe peccare poſſit, ſed quòd ex ipſiſmet principiis naturæ generantis & genitæ CONCUPISCENTIÆ INVOLUTIS ET VITIATIS, oriatur illa ratio formalis peccati, quod eſt in animâ rationali.* Poſteà pag. 448. col. 1. *Cùm igitur*, inquit, *concupiſcentia non ſit peccatum, & peccatum tamen à Paulo & Auguſtino appelletur, debet ſumi pro materiali, ut ajunt Theologi, peccati, ſivè traduce & quaſi vehiculo peccati: nam ſi ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, & dum eſt conjuncta cum peccato, illius veluti continens vas eſt, omninò ſequitur ESSE TRADUCEM ET VEHICULUM peccati, quod certè generatione traducitur, & ideò peccatum naturæ dicitur, non quod ſit à naturâ, ſed A VITIO INOLITO NATURÆ. Hujuſce rei idoneum argumentum eſt, quòd quem prorſus expertem originalis culpæ credimus Chriſtum, eum fomite concupiſcentiæ omnino caruiſſe fatemur, & quàm maximè volumus ob originali labe immunem B. Virginem ejus matrem, ab eâ etiam fomitem iſtum peccati in actu ſaltem ſecundo removemus; quòd ſanè*: QUI EO CAREAT peccato, ET TRADUCE ET VEHICULO ejuſdem CARERE DEBEAT. *Itaque* INTERCLUDITUR VIA AD TERMINUM, SUBLATA CONCUPISCENTIA. Potuitne clariùs aſſeri, vel probari à Macedo hæc propoſitio: *Niſi interveniret concupiſcentia carnalis, non eſse contrahendum peccatum originale*, quam Parallelíſta Chriſto Deo per ſuam Eccleſiam damnandam exhibuit?

Notanda etiam hìc eſt inſignis Parallelíſtæ impoſtura, qui ſententiam Noriſii non ſinè dolo in alienum ſenſum, parentheſi insertâ, detorſit, quo Janſenianis dictis conformem venditaret. Hæc ſcribit Noris paginâ illâ 38. lin. 53. col. 1. *Hinc ſi anima à Deo creata infunderetur corpori, nequaquam per virtutem ſeminalem ex Adamo traducto, illa non contraheret peccatum originale; quarè intantùm peccatum traducit, inquantùm in corpus ex Adamo per concupiſcentiam carnalem propagatum immittitur.* Quæ ſanè omnium Theologorum ſententia eſt: nam ſi anima infunderetur corpori à Deo, vel Angelo producto, illa non contraheret peccatum originale; quia hoc inficit tantùm poſteros Adami, quos inter homo ſic productus non cenſeretur, neque quod animam attinet, neque ſecundùm corpus, ratione cujus tantùm nos dicimur ab Adam deſcendere. Diſertè Synodus Tridentina ſeſs. 6. cap. 3. inquit: *Nam ſicut reverâ homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur injuſti, &c.* At Parallelíſta ita propoſitionem Noris recitat: *In tantùm peccatum traducit in corpus (virtus ſeminalis) inquantùm in corpus ex Adamo per concupiſcentiam carnalem immittitur.* Cùm Noris non dicat *ſeminalem virtutem* traducere peccatum; ſed *animam traducere* ad ſe peccatum, *inquantùm in corpus ex Adamo per concupiſcentiam carnalem propagatum immittitur.* Et quidèm inepta eſt propoſitio Noriſio ab adverſario afficta; nam *virtus ſeminalis non immittitur in corpus ex Adamo propagatum*, ſed ipſamet virtus ſeminalis eſt cauſa corporis ex Adamo propagandi in utero matris; quâ ergo ratione immittitur in corpus, quod nondum exiſtit, ſed per ipſam poſteà exiſtet? Hæccine eſt *in citando fides & in referendo ſinceritas?*

GER-

GERMANITAS VII.

Circà pœnas infantium decedentium in peccato Originali.

Janſenius li. 2. de Statu naturæ lap. c. 25. in fine p. 175.

De pœnis verò parvulorum poſt hanc vitam penè ſuperfluum eſt novum laborem ſuſcipere. Jam enim antè paucos annos Illuſtriſſimus juxtà, atque eruditiſſimus Vir Dominus Florentius Conrius Archiepiſcopus Thuamenſis opuſculo hac de re ſcripto poſtquàm accuratè demonſtravit, parvulos abſquè baptiſmo ex hac vitâ decedentes pœnis non tantum damni, ſed ſenſibilibus, & quidèm æterni ignis ſecundùm Sancti Auguſtini doctrinam plecti.

Ibidem idem Janſenius pungit Scholaſticos contrà ſentientes, & de Florentio Conrio eos ob id reprehendente ſic ait. Rectiſſimè Conrius oſtendit, quòd in iſtâ controverſiâ præcipuum, ac medulla eſt, longè ab Auguſtini, & fortaſse Eccleſiæ, quæ Pelagianos juxtà ejus principia damnavit, mente receſſiſſe Scholaſticos, qui parvulis ſinè baptiſmo morientibus vel beatitudinem naturalem, vel immunitatem à ſenſibilibus ignis æterni pœnis tribuunt. Hæc Janſenius propriis verbis.

Conrius in ſuo Opere cap. 24. ponit hunc titulum. Diſputatur fusè: an ſententia de beatitudine naturali parvulorum adverſetur fortè Evangelio, & utrùm vehementi ſuſpicione Pelagianiſmi forſan laborare videatur. Et poſtquam multis ſundamentis probavit adverſari Evangelio, concludit. Videant (Scholaſtici) an hæc ſententia de beatitudine naturali parvulorum obnoxia fortè ſit vehementi ſuſpicioni Pelagianiſmi. Cæterùm latiſſimè probat, Parvulos puniri pœnâ ignis infernalis.

Noris ita ſcribit in Vind. pag. 33. lin. 37. col. 2.

Ubi cùm laudaſset plurimos auctores pro hac ſententiâ: Quorum omnium, inquit, ſtudia vicit Florentius Conrius Archiepiſcopus Thuamenſis integro pro Sancti Auguſtini aſſertione volumine evulgato, in quo fuſiſſimè ex ſacris litteris, & Auguſtino ſenſibiles infantium pœnas demonſtravit. Idem verò Noris pag. 24. lin. 33. col. 2. ſic ait. Auguſtinus ſolidis argumentis probavit, infantes ſinè baptiſmo defunctos mitti in gehennam ignis.

Prætereà pag. eâdem in fine col. 1. Ego quidèm, inquit, rem gratam me facturum arbitror, ſi oſtendero Scholaſticorum pleroſque in opiniones quaſdam de infantium pœnis deſcendiſse, quæ Pontificum Romanorum, Synodorum, ac Patrum ſtatutis planè adverſantur.

Iterùm pag. 33. lin. 35. col. 1. Hac itaquè antiqua Eccleſia, ac Sanctis Patribus de infantium pœnis ſententia ſtetit, donec nova opiniones à Scholaſticis procuſa ſunt, qui ſi in Patrum voluminibus tantum ſtudii, ac laboris poſuiſſent, quantum Ariſtoteli explicando impendere, profectò Sancti Auguſtini ſententiam non obduxiſsent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem beatitudinem attinet, hominum mentibus tàm altè infixiſsent. Hanc opinionem quorundam Scholaſticorum ſæpè, & acerbè in eo tractu Noris reprehendit.

Idem pag. 35. lin. 38. col. 2. Palam fiet, inquit, Scholaſticos Doctores quàm propiùs ad Pelagianorum paradoxa acceſſiſse, & pag. 28. col. 2. in fine. Scholaſtici, in quibuſdam cum Pelagianis convenere.

RESPONSIO P. MACEDI.

Ità cenſet tom. 2. Collat. 8. diff. 4. ſect. 3. pag. 464. col. 2. *Sic expoſitâ Auguſtini ſententiâ, non video quà diſplicere ea noſtris Scholaſticis poſſit, cùm nec ignis manifeſtam contineat pœnam, nec ut contineret, ideo taxanda ſit: cùm Patres habeat auctores, nec deſint ex aliis qui ſequantur. Itaquè NEC ERROREM opinor, NEC TEMERITATEM olet, cùm EXPRESSE habeatur cap. 3. de conſecratione d. 3. ubi dicitur* ſempiterno igne puniendos. *Eamque vir ex hujus ætatis doctiſſimus Cardin. Pallavicinus minimè taxet, &c.* Idem pag. 462. col. 1. *At verò Catharinus, & ſequaces meliores Catholici, quàm Pelagius, & ſectatores ſunt, dum fatentur peccatum originale; verùm deteriores eo Philoſophi ſunt, dum ajunt eos peccatores, quâ nulla major miſeria eſse poteſt, fore tamen eâdem, QUAM PONEBAT PELAGIUS, beatitate beatos.* Itaquè teſte Macedo, ſententia de ſenſibili infantium pœnâ non eſt erroris, aut temeritatis taxanda, *cùm Patres habeat auctores*; opinio verò Catharini, & qui eum ſequuntur, Scholaſticorum illam eiſdem beatitatem promittit, *quam ponebat Pelagius.* Rursùs idem Scriptor pag. 463. col. 1. hæc habet: *Circà primam dico: Patres proximè citatos, & auctorem illum Hypognoſticon omnino ſenſiſſe: hos pueros cum damnatis in die judicii ad ſiniſtram, & in loco gehennæ cum ceteris damnatis fore. Imò & hoc decerni à Concilio Florentino ultimâ ſeſſione, &c.* Quarè rectè dixit Noris, illos Scholaſticos, qui negant pueros futuros in ſiniſtrâ in die judicii, & poſteà in gehennâ, in opiniones deſcendiſse, quæ *Patrum ſtatutis planè adverſantur.* Eos pueros futuros in ſiniſtrâ diſertè tradit contrà Pelagianos Sanctus Gelaſius Papa Epiſt. 7. ad Epiſcopos Piceni, cujus verba Noriſius laudat. Ceterùm Noris pag. illâ 28. col. 2. in fine non ſcripſit: *Scholaſtici in quibuſdam cum Pelagianis convenere*, ſed *pleroſque* dixit. Certè nullus antè Noriſium tot Patrum teſtimoniis eam ſententiam comprobavit. Legatur caput 3. Vind. à paginâ 24. uſquè ad 41.

GERMANITAS VIII.

Circà Doctrinam de lege, & præceptis.

Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſti Salvatoris c. 4.

Hæc igitur vera, & genuina ratio, cur Auguſtinus ſemper Chriſti gratiam opponat legi, atque doctrinæ, quarum iſta ſolam prævaricationem afferat, quia lex per legem à nemine impleta eſt, aut impleri poteſt. Et cap. 5. initio. Creberrime docet Auguſtinus legem, præcepta, doctrinam ſinè gratiâ non tantùm

Henricus Noris in Vind. pag. 41. lin. 3. col. 2.

Auguſtinus, inquit, quò Pelagianam Hæreſim à fundamentis everteret, ex ſacris litteris, & ſubtiliſſimarum rationum momentis oſtendit legem non modò non eſse gratiam homines ad bona capeſſenda adjuvantem, ſed reos tantùm facere jubendo, & ibi paginâ 43. Rejiciuntur plures Theologi, qui putant legem non

iùm nihil juvare, ſed prævaricationis reum facere.

Lib. 3. de Grat. Chriſti Salvatoris cap. 17. pag. 147. Intelligitur quàm perperam Scholaſtici gratiam ſufficientem poſtulent ad hoc, ut homines peccare dici queant. Peccabunt enim ſinè gratiâ, non minùs, quàm ſi illius adjutorio munirentur.

Lib. 3. de Grat Salvatoris cap. 4. pag. 109. Scholaſtici nihil majori ſolicitudine ſatagunt, quàm ut iis, qui per præceptum, aut legem Dei aliquid ſub pænâ perditionis facere compelluntur, gratiam ſufficientem tribuant, quâ lex ab eis abſquè reatu prævaricationis poſſit impleri.

Ibidem pag. 109. col. 2. Falſum eſt iis, quibus datur præceptum, aut lex, hoc ipſo gratiam adeſſe ſufficientem, quâ lex impleatur, cum ideo potius lex detur, ut gratia ad implendum ſufficiens requiratur. Et ibi ſuprà. Auguſtinus docet, legem idcircò datam, ut agnitâ per multitudinem peccatorum non ſolum infirmitate, ſed etiam impoſſibilitate ſuâ, ad implendum quod præcipiebat Deus, adjutorium gratiæ quæreretur.

Ibidem cap. 4. pag. 108. Hanc ſufficientem gratiam repugnare Auguſtini principiis, & Scripturarum demoſtrari poteſt.

Lib. 5. de Hæreſi Pelag. c. 3. pag. 99. col. 2. initio. Iſte ſtatus Pelagianiſmi omnium celeberrimus, acerrimèque defenſus: quamquam non aliud, niſi purus, ac putus Judaiſmus eſſe videatur. Judæis enim proprium eſt in lege gloriari, & Chriſti gratiam ipſumque gratiæ fontem tanquam ſibi non neceſſarium tollere: ignorantes enim prorsùs, uti Pelagiani, juſtitiam Dei, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Notavit hanc ſimilitudinem Pelagianorum, ac Judæorum Sanctus Auguſtinus. Ibi autem negat Janſenius Pelagianis, & Judæis fuiſſe cognitam gratiam ſufficientem, & adjuvantem, affirmando, eos putare per ſolas naturæ vires cum ſolâ lege poſſe implere præcepta. Janſenius ſupponit falſum dicendo caruiſſe gratiâ Judæos ſub lege: quem refutat Pater Sebille Dominicanus lib. 4. cap. 6. pag. 317. Ratione, experientiâ, auctoritate Auguſtini. Legat qui volet.

poſſe hic, & nunc obligare, niſi adſit gratia adjuvans.

Ibid. lin. 31. col. 1. *Reiicienda eſt ſententia illorum, qui dicunt, gratiam proximè ſufficientem ſemper adeſſe, nec unquam legem obligare, niſi adſit gratia adjuvans: aliàs homo ob impotentiam excuſaretur ab obſervatione legis.*

Pag. 42. lin. 51. col. 2. *Quòd autem lex ad hoc ut obliget, non debeat ſupponere in operante potentiam proximam ad faciendum opus, quod imperatur, eſt conſtans Sancti Auguſtini doctrina contrà Pelagianos.*

Noris pag. 44. lin. 62. col. 1. *Judæi habitâ lege eò ſuperbia delapſi ſunt, ut putarint, ſolam legem ad hominem juſtificandum ſufficere, neque neceſſariam eſſe Dei gratiam, ſed tantùm liberum arbitrium. Hic autem error tam altè eorum mentibus inſidebat, ut plerique etiam ex Judaiſmo converſi in veteri errore obſtinatius verſarentur. Et infrà. Porrò cum hunc errorem ſorbuerint poſteà Pelagiani aſſerentes, gratiam Dei in veteri teſtamento non eſſe, niſi legem Moyſi traditam, gratiam verò novi teſtamenti eſſe Evangelium, & exemplum Chriſti, Auguſtinus ut illorum errorem confutaret, acutè probavit, legem à gratiâ ſeparatam, reos facere homines jubendo, non adjuvando.*

Pag. 43. lin. 24. col. 2. *Lex igitur ex Auguſtino data eſt, non ut cum gratiâ ſufficienti ſecum neceſſariò connexâ, homines agendorum cognitione inſtructos, ad opera præcepta implenda juvaret, ſed ob hoc data eſt, ut homo conatus facere, quæ præcepta erant, & cernens per ſemet illa exequi non poſſe, gratiæ auxilium imploraret. Et mox. Lex non infert potentiam proximam voluntatis faciendi quod jubetur, & ex conſequenti non habet annexam gratiam proximè ſufficientem ad faciendum opus imperatum.*

Certè, inquit, velle Judæis auxilium ſufficiens ad credendum denegare non ſolùm ſacris litteris, ſed etiam ipſi experientiæ videtur repugnans. Adducit verò auctoritatem Scripturæ, & teſtimonia Sancti Auguſtini.

RESPONSIO P. MACEDI.

Hic auctor tom. 2. Coll. 7. diff. 3. ſect. 9. per totam cum Noriſio concinit, probans, non requiri ad obſervationem legis ſub peccato obligantis *gratiam proximè ſufficientem*, quâ voluntas conſtituatur *in potentiâ proximâ* rectè operandi: ſed ſatis eſſe *auxilium remotum*. Hæc autem diſtincta auxilia ita Macedus explicat pag. 371. *Quæcumque igitur gratia leviter pulſat, cietque voluntatem intrà illos terminos actuum ineſficacium, quos* velleitates *dicimus, ea eſt gratia ſufficiens Auguſtiniana, in quam deflexit illud adjutorium* ſinè quo non *ſtatûs integri Adami, & Angelorum, quod per ſe in eo & PROXIME tunc ſufficiens erat ad operandum, dabatque integram poteſtatem, & EXPEDITAM propter ſanas, & integras liberi arbitrii vires: at verò in noſtro infirmo, & miſero TANTUM REMOTE JUVAT, nec eſt integrè immediatèque ſufficiens, nec expedit omnes conatus vireſque potentiæ infirmæ, & vitiatæ: ſed in eâ motus quoſdam excitat, qui inchoatos, & imperfectos actus inefficaces, ac deficientes efficiunt cum voluntate, &c.* Ibidem col. 2. hanc Suarii ſententiam recitat, ac commendat ex lib. 4. de Grat. cap. 18. num. 19. *Non dicit tamen Auguſtinus hujuſmodi homines in præſenti ſtatu nullum auxilium ſufficiens recipere ad perſeverandum: nam recipiunt ſaltem REMOTE ſufficiens, quod ſuo modo eſt verè ſufficiens; in eis tamen propter conditionem hujus ſtatûs tale eſt, ut NON SIT PROXIME, SED REMOTE, & ut nunquam effectum conſequatur.* Et ſtatim addit Macedus: *Ita de mente Auguſtini judicat Suarez, & verè quidèm judicat.* Itaquè non requiritur gratia proximè ſufficiens, ſed ſatis eſt auxilium remotum, quod diſertè à Noriſio conceditur non ſolum Judæis ſub lege Moſaicâ, verùm etiam ipſis infidelibus in lege naturæ. Hoc auxilium remotum negavit Janſenius, à cujus opinione quàm diſſidet Noris, ex hac utriuſque antitheſi apparet.

Janſenius.

Infideles carent gratiâ ſufficienti ad ſalutem tàm proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis ejus. Eſt titulus cap. 11. lib. 3. de Grat. Salvat. pag. 126.

Noris.

Quamvis enim infideles careant auxilio proximè ſufficienti, habent tamen auxilia quædam remota, undè non patiuntur neceſſitatem antecedentem peccandi, &c. In Vind. cap. 3. §. 6. pag. 44. lin. 37. col. 2.

Ibidem

Ibidem cap. 3. pag. 111.

Ecce quoties quàm densè, quàm inſtanter docet Auguſtinus eos, qui ſub lege poſiti ſunt, nullum adjutorium benè vivendi præter legem accepiſse.

Hanc ſententiam fusè defendit Baſilius Poncius 1. p. releƈt. de auxiliis cap. 12. per totum, ubi ex Apoſtolo, Auguſtino, & Hieronymo probat, ſolam notitiam legis opus pravum vetantis ſatìs eſse ad peccandum, etiamſi nulla ſancta cogitatio in oppoſitum adſit. Idem tamen cap. 17. pag. 206. in fine ait: *Omni itaque adulto conceditur Chriſti beneficio auxilium ſaltem remotè ſufficiens.* Quæ ſanè communior eſt Theologorum ſententia, à quâ nec diſsentit Janſenii antagoniſta inſignis Decampſius lib. 3. Hær. Janſen. diſp. 8. cap. 10. num. 4. ſcribens: *Deum unà cum lege gratiam illam Judæis non dediſse, quæ proximam adimplendæ legis poteſtatem tribuit: ſed eam dumtaxat, quæ ad infirmitatem ſuam cognoſcendam, & divinam opem implorandam neceſſaria eſt.* Noris vero dicit: *Lex ob hoc data eſt, ut homo conatus facere, quæ præcepta erant, & cernens per ſemet illa exequi non poſse, gratiæ auxilium imploraret.* Quarè ſi homo conatur facere præceptum, jam habet cupiditatem boni faciendi, quod ſinè aliquâ gratiâ fieri nequit ex S. Auguſtino lib. 2. ad Bonif. c. 8. Rurſùs ipſe etiam conatus eſt à gratiâ ex eodem lib. 2. de Pec. mer. cap. 19. *ſimul intelligentes, & quòd ſic conamur, & quòd ſic deprecamur, dono illius nos habere.* Nondùm tamen qui cupit, & conatur, habet gratiam proximè ſufficientem, ſed illam debet precibus impetrare; quarè habet tantùm gratiam remotam ad præceptum implendum. Ceterùm Judæi ut plurimùm auditâ lege, eique ex fide credentes, ſuis tamen viribus volebant illam implere, quâ ſuperbiâ implicati, non poterant, ſtante illo errore, Dei auxilium implorare. Unde idem S. Doƈtor cap. 12. de Grat. & lib. arb. initio ait: *Quot ergo adjunƈto ſolo adjutorio legis ſinè adjutorio gratiæ, confidentes in virtute ſuâ, ſuo ſpiritu aguntur, non ſunt filii Dei. Tales ſunt de quibus dixit Apoſtolus, quòd* ignorantes Dei juſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjeƈti, *De Judæis hoc dixit, qui de ſe præſumentes, gratiam repellebant, &c. quando eandem legem ſuis viribus ſe implere poſse credebant.* Et in fine: *Non enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratiâ* adjuvante. Concinit cum Auguſtino Sanƈtus Thomas leƈt. 7. in c. 3. Epiſt. ad Galat. *Homines enim*, inquit, *de duobus præſumebant. Primò quidèm de ſcientiâ; ſecundò de potentiâ. Et ideo Deus reliquit homines abſque doƈtrinâ legis tempore legis naturæ, in quo dum in errores inciderunt, conviƈta eſt eorum ſuperbia de defeƈtu ſcientiæ. Sed adhuc reſtabat præſumptio de potentiâ; dicebant enim: non deeſt qui impleat; ſed deeſt qui jubeat, ut dicitur in Glos. ſuper illud Exodi* 24. Quidquid præcepit Dominus faciemus, & erimus obedientes. *Et ideò data eſt lex, quæ cognitionem peccati faceret:* Per legem enim cognitio peccati Rom. 3. *quæ tamen auxilium gratiæ non dabat ad vitanda peccata, ut ſic homo ſub lege conſtitutus, & vires ſuas experiretur, & infirmitatem ſuam recognoſceret, inveniens ſe ſinè gratiâ peccatum vitare non poſse, & ſic avidiùs quæreret gratiam.* Videſne ex Doƈtore Angelico veterem legem non habuiſse ſecum annexam gratiam proximè ſufficientem, dum Judæi *ſinè gratiâ peccatum vitare non poterant?* Idem leƈt. 8. ibidem ait: *Homo non poteſt vitare peccatum, niſi per gratiam, quæ per legem non dabatur.* Leƈtione etiam 4. *In quantum ergo lex cognitionem peccati facit, & non præbet auxilium contrà peccatum, dicuntur eſſe ſub malediƈto, cùm nequeant illud per ipſa opera evadere.* Item: *Sanƈti autem Patres, etſi in operibus legis erant, ſalvabantur tamen in fide venturi, confidentes in ejus gratiâ, & ſaltem ſpiritualiter legem implentes. Moyſes enim, ut in Gloſ. dicitur multa quidèm præcepit, quæ nullus implere potuit, ad domandam Judæorum ſuperbiam, dicentium: non deeſſe qui impleat, ſed deeſse qui jubeat.* Hæc S. Thomas.

Idem pag. 45. lin. 12. col. 2.

Ceterùm omnibus hominibus adeſse auxilium ſaltem remotum, mihi videor colligere ex Auguſtino lib. de Nat. & Grat. cap. 67. ubi, &c.

GERMANITAS IX.

Circà pugnantiam legis cum gratiâ Chriſti.

Janſenius lib. 3. de Gratiâ Chriſti Salvatoris cap. 2. pag. 104. in Titulo.

Adjutorium, inquit, purè ſufficiens ad gratiam naturæ pertinet. Lapſorum reparationi inutile, & pernicioſum.

Et in Textu pag. 105. lin. 17. à fine.

Sequitur adjutorium ſufficiens datum Adamo in ſtatu Innocentiæ nullam omninò afferre ſanitatem, quamvis vel perpetuò adeſse, vel peccato perditum Chriſti Cruce redditum eſse poneretur.

Ibid. cap. 5. pag. 111. lin. 24.

Novi Scholaſtici docent, gratiam cavendi, ſuperandique peccata ſufficientem legi adfuiſse.

Eodem lib. cap. 9. pag. 123. §. Quapropter.

Auguſtinus hujuſmodi gratiam ſufficientem Neotericorum tamquam lapſis, fraƈtiſque viribus prorſùs inutilem ſemper ſub naturâ, & lege comprehendit.

Noris in Vind. cap. 3. §. 6. pag. 43. lin. 44. col. 2. Lex non habet annexam gratiam proximè ſufficientem.

Et pag. 41. lin. 47. col. 2. Tantum abeſt, ut lex homines adjuvarit, quin potius reos fecerit ſinè gratiâ jubendo.

Pag. 43. lin. 36. col. 1. Si Lex ut obliget ſemper infert aſſiſtentiam gratiæ ſufficientis, ſequeretur gratiam ſufficientem ad obſervationem legis neceſſariam non fuiſſe amiſsam ex peccato Adæ, quòd licèt à pluribus concedatur, puto eſse falſiſſimum.

Et pag. eadem lin. 31. Reiicienda eſt ſententia illorum, qui dicunt, gratiam proximè ſufficientem ſemper adeſse.

Ibidem. Sentis, inquit, te urgeri præcepto, & ſimul cognoſcis, te deſtitutum gratiâ proximè neceſsariâ ad opus implendum.

Pag. 44. lin. 30. col. 2. Non duriùs loquitur, qui aſſerat in hypoteſi, quòd ſola lex jubeat, nec gratia proximè ſufficiens adſit, legem eamdem obligare, & tranſgreſſorem reum eſse peccati. Ex Sanƈto Doƈtore Auguſtino.

Digitized by Google

Igitur juxtà Janſenium, & Norim peccat homo in eo, quod vitare non poteſt.

RESPONSIO P. MACEDI.

In Cortinâ qu. 1. art. 7. initio ſtatim hæc ſcribit: *Verum quidem eſt utrumque: non omnibus gratiam præſtò eſſe, nec ſinè illâ rectè agi poſſe; cùm utrumque ſit Auguſtini. Non tamen indè ſequitur: peccari in eo, quod vitari nequit. Poteſt enim cum neceſſitate in ſpecie ſtare libertas in individuo, & ſublatâ libertate contrarietatis, manere libertas contradictionis. Undè non repugnat, hominem infidelem ſinè gratiâ eſſe determinatum ad unam tantùm partem contrarietatis, id eſt ad malum in ſpecie, tamen eſſe liberum ad actus malos ſingulares, atque adeò libertate peccare. Nam ille certè non eſt addictus uni tantùm actui peccandi: cùm poſſit varios actus malos; vel eundem per diverſa, ut aiunt, motiva exercere.* Hanc reſponſionem pluribus ibidèm confirmat. Illam tradiderat etiam Janſenius lib. 4. de Statu nat. lapſæ cap. 19. pag. 259. verùm cap. 20. §. *Ex quibus admodùm*, illam non probat: *Hoc tamen*, inquiens, *ingenuè fateor, me in univerſis Auguſtini monumentis nondum inveniſſe, quòd peccata, quæ antè gratiam per concupiſcentiæ nobis inſperſæ conſperſæque neceſſitatem committuntur, idcirco nobis libera ſint, quia poſſimus unum peccatum alterius cupiditate ſuperare, aut vel iſtud quadam indifferentiâ contradictionis omittere, & aliud facere. Aliam iſta Philoſophiam, quàm Auguſtini ſapiunt.* Idem ait cap. 22. pag. 164. col. 2. §. *Reſpondetur.* Hæc idcircò adduxi, tùm ne quis P. Macedum (utinam vicem jam tandem reddat) Janſeniſmi poſtularet; tùm etiam ut illationem in calce poſitam à Paralleliſtâ, reijcerem. Ceterùm in ſententiâ Noriſii, quâ auxilium remotum omnibus concedit, patet, homines remotam peccati vitandi poteſtatem habere, quam utiquè Janſenius negavit, adſtruens eos ex neceſſitate peccare, ut ex tertiâ ejuſdem damnatâ propoſitione apparet. Ibidèm verò Noris affirmat, gratiam ſufficientem amiſſam eſſe ex peccato Adæ, quod tradit etiam Macedus in Cortinâ quæſt. 1. art. 9. pag. 125. dicens, Sanctum Auguſtinum *de hoc aliter in naturâ lapsâ, miſerâ, captivâque judicaſſe: in hanc enim, amiſſâ gratiâ & rectitudine, incubuiſſe neceſſitatem peccandi, quam ſinè gratiâ vitare non poſſet.* Hanc tamen peccandi neceſſitatem per auxilia ſaltem remota, beneficio Redemptoris, ablatam fuiſſe disertè Noriſius tradit pag. 44. v. 40. col. 1. hæc de infidelibus loquens è diametro Janſenii dictis adverſa.

Janſenius.

Oſtendimus enim duos illos ſtatus, ſub quorum altera neceſſariò infideles vivunt, non ſolum OMNI gratiâ Chriſti deſtitutos eſſe ad cavendas, ſuperandaſque tentationes, ſed etiam in ſtatibus illis deeſſe arbitrio libertatem ad bonum, hoc eſt, arbitrium voluntatis non eſſe liberum ad faciendum aliquem actum bonum, ſed tantummodò ad malum. Lib. 3. de Grat. Salvat cap. 11. pag. 126. col. 2.

Noris.

Quàmvis enim infideles careant auxilio proximo ſufficienti, habent tamen auxilia quædam remota; undè non patiuntur neceſſitatem antecedentem peccandi, quam licèt humanum genus ex peccato primi parentis incurrerit, Chriſti tamen Redemptoris beneficio ſublata eſt, ut acutè probat noſter Ponceius 1. p. relect. de Grat. cap. 15. In Vind. cap. 3. §. 6. pag. 44. lin. 37. col. 1.

GERMANITAS X.

Circà doctrinam de operibus infidelium, & intelligentiâ loci Pauli ad Rom. 14.

Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

Tractat de hac re multis in locis Janſenius, ſed præcipuè lib. 4. de Statu nat lap. cap. 1. & cæteris uſquè ad cap. 18. Tractat Noris in Vind. Aug. cap. 3. §. 4. à pag. 20. uſquè ad 24. Et rurſùm ibid. c. 4. §. 5. à pag. 56. ad 58, ambo ſunt gemini.

Janſenius incipit in Tit. cap. 1. de Statu nat. lap. hoc modo.

Auguſtinus ex profeſſo docuit: *Omne, quod non eſt ex fide, eſſe peccatum.* Et cap. 7. pag. 237. Eam ſententiam dixit eſſe hauſtam ex ipſis Chriſtianæ Religionis fundamentis, eamque probat teſtimoniis Hieronymi, Ambroſii, Proſperi, Fulgentii, Sancti Leonis Papæ, & aliorum Patrum.

Janſenius allegat Patres, & Roffenſem, quem citat c. 17. p. 258. art. 36. contrà Lutherum. Laudat etiam Concilium Arauſicanum ibid. pag. 257.

Noris In Vind. Auguſt. pag. 56. Col. 2. in tit. cap. ſic ait.

Non erraſſe Sanctum Doctorem exponentem illud Apoſtoli; Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Et pag. eadem. lin. 34. Col. 2. Una eſt Eccleſiæ, & Auguſtini de illis Apoſtoli verbi ſententia, nempè ut de verâ fide Chriſtianâ intelligantur: idque probat auctoritate Sancti Leonis, Proſperi, & PP. Addit Facundum Hermianenſem Schiſmaticum, & Ieſuitum Hæreticum, quales non citat Janſenius.

RESPONSIO P. MACEDI.

Hæc ille tradit tom. 2. Collat. 10. differ. 3. ſect. 4. pag. 597. *Sed quoniam hæc expoſitio loci Pauli, nempè:* Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt, *impugnatur ab omnibus contrariæ doctrinæ auctoribus: imò & erroris à nonnullis audacioribus appellatur, quales ſunt recentiores quidam PP. Galli, quorum duo errorem appellant, præterquam quod ego in Cortinâ olim aliquos pro eâ Patres, ac inter eos Magnum Gregorium, & Bernardum produxi, remitto Lectorem ad eruditiſſimum P. Henricum Noris, qui in eâ, quam ſuperiùs laudavi,*

Pela-

Digitized by Google

Pelagianâ Hiſtoriâ, in Vindiciis Auguſtinianis cap. 4. §. 5. evidenter oſtendit, eam eſſe Eccleſiæ, Pontificum, & Patrum locum illum Pauli de Fide prout eſt virtus Theologica, intelligentium. Producit Pontificale Romanum, Leonem I. Bonifacium II. Synodum Byzacenam quindecim Patrum, inter quos fulgebat Fulgentius: qui extrà Concilium idem tradidit lib. 2. de Pec. remiſs. S. Proſperum Epiſt. ad Rufinum, S. Iſidorum lib. de ſummo bono cap. 2. S. Bernardum ſerm. 30. & 31. in Cant. Julianum Pomerium lib. 3. de Vit. contempl. cap. 1. Facundum Hermianenſem lib. 1. de trib. capit. ad Imperatorem Juſtinianum. Quorum teſtimonia in tis egomet meis oculis vidi, aſſuetus non fidere alienis. Hæc Macedus. Quod Parallelista addit de Facundo, error eſt: quod de Voſſio, impoſtura. Nam Facundus ſcripſit illud opus antequàm in Schiſma laberetur, ùt optimè notant Baronius, ac Sirmondus; imò id temporis ea in literas miſit, cùm pro Vigilii Papæ decretis ſtrenuè contrà Imperatoris edicta pugnabat. Voſſii verò interpretationem Noris non probat cap. 4. §. 5. pag. 57. col. 1. lin. 48. hic enim illud Apoſtoli dictum interpretatur *de fide Chriſtianâ per conſcientiam ad opus applicatâ*; at Noris è contrà ex Auguſtino contendit dictamen conſcientiæ à fide dirigendum. Itaque patent Paralleliſtæ impoſturæ. Sed quæ inſuper ſplendidè mentiatur, audiamus.

PARALLELISTA.

Doctrina amborum eadem eſt, nimirùm. Omnia opera infidelium præcisè quando fiunt ſinè directione fidei veræ quidèm, & Chriſtianæ eſſe peccata, & ambo refutant eos Doctores Scholaſticos, qui ſecùs ſentiunt, & aliter explicant illum locum Pauli, Janſenius refutat Suarium: Noris verò Morainum, & expoſitiones iſtorum refellunt, quæ cùm duæ ſint, proponuntur ibi, & refutantur ab utroque. Et ne appareat Germanitas hac in re: Noris utitur artificio mutans ordinem, & ponendo expoſitiones adverſariorum ordine inverſo Janſenii, itaut primam Janſenii faciat ſecundam; & ſecundam faciat primam, & ita lateat Germanitas cum Janſenio.

Janſenius igitur primùm affert reſponſionem Suarii dicentis, Auguſtinum nomine peccati non intellexiſſe proprium peccatum, ſed imperfectum, non meritorium vitæ æternæ. Ita.....

Cap. 2. initio pagina 223. Idem Janſenius Ponit ſecundam expoſitionem de nomine virtutis latè ſumpto pro bono officio, præſcindendo à bono fine, quod appellant ſubſtantiam operis, ut intelligatur Auguſtinus negare opera infidelium eſſe bona quòad fructum ſpiritualem reſpectu vitæ æternæ. Ponit lib. 4. pag. 226. Hoc ipſo quòd non referuntur, ideſt, hoc ipſo quo fide opus ad Deum referente carent, efficiuntur injuſti. Et cap. 6. pag. 234. §. Arbitror. Reſpicit Auguſtinus illam doctrinam ſuam, quâ tradit alibi contrà Julianum in opere verè, & plenè bono duo eſſe ſpectanda, officium, & finem.

Idem lib. 4. de ſtatu nat. lap. cap. 8. p. 238. col. 2. Auguſtinus non ſolum veris virtutibus fideles caruiſse, vel fuiſſe falsas, & virtutis nomine indignas, ſed etiam vitia fuiſſe tradit, eâ prorſùs ratione, quâ & opera illorum, qui fide deſtituti ſunt, non modò non verè bona, vel quaſi bona laudabiliaque, ſed vera peccata eſſe declaravit. Et rursùs pag. 239. col. 2. in medio.

Auguſtinus explicat illum finem, cujus defectu peccatum eſt quidquid facimus, nec à virtute ullo pacto fieri poteſt, eſse unum, ſolumque verum Deum.

Noris verò primam hanc expoſitionem refutatam à Janſenio ponit in ſecundo loco. In Vind. pag. 23. in prin. Col. 1. nomine Scholaſticorum, minimè nominato Suario.

Noris hanc ſecundam expoſitionem ſumptam ex officio, & fine ponit in primo loco §. 4. cap. 3. pag. 20. lin. 50. Col. 1., ubi ſic ait: In eo Auguſtinianæ ſententiæ cardo verſatur, quòd virtutes à vitiis non officio, ſed fine diſtinguantur, & poſteà pag. eâdem in fine. Non eſt, inquit, attendenda ſola ſubſtantia operis in ſpecie boni ex objecto, ſed finis quoque conſiderandus venit propter quem idem opus elicitur. Et ibi refellit auctores contrariæ ſententiæ. Idem Noris pag. 23 lin. 38. Col. 1. proſequitur hanc differentiam operis boni in ſubſtantiâ, & ex officio, & ex fine, & ait: Auguſtinus intulit opera ſterilia non poſſe dici bona, ſed tantùm mala, tùm ex defectu relationis in Deum: tùm ex indè derivatâ Philautiâ. Concludit Noris in Vindic. cap. 4. §. 5. pagin. 57. lin. 32. Col. 2. Sanctus Pater ad veram virtutem relationem in ultimum finem neceſſariam adeò putavit, ut nec virtutes propter ſui honeſtatem citrà vitium expeti poſſe affirmaverit. Et c. 3. §. 4. pag. 22. lin. 48. Col. 1. Rectè ob hanc rationem dixit Sanctus Doctor infideles non poſſe habere veras virtutes illâ precipuè Apoſtoli ſententiâ motus; Omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. *Et ibi pag. 21. Col. 2. in fine. Vult enim, inquit, Auguſtinus voluntatem ſolâ fide dirigi ad faciendum opus cum debitâ circumſtantiâ relationis in Deum ultimum finem. Hoc ultimum dictum Janſenii de Deo ultimo fine ſic accipit pag. 22. Col. 1. in fine. Ad referenda opera bona in Deum non requiri fidem in Chriſtum, ſed ſatis eſſe fidem in Deum.*

Ambo latè verſant hanc doctrinam loquentes de fide habituali, quâ homo fit Chriſtianus, & ab eâ dirigitur ad ultimum finem ſupernaturalem Deum.

Errant verò ambo, nam Auguſtinus non loquitur de illâ fide habituali, ſed de aliquâ fide actuali excitante, ac irradiante intellectum cum aliquâ inſpiratione bonæ voluntatis, quæ eſt media via inter Pelagianos, & Janſenianos, quod egregiè oſtendit Auguſtinus Conimbricenſis in ſuâ Cortinâ, & in mente Innocentii, & in ſecundo Tomo Collationum ſuper ſecundum ſententiarum ſolio 584. & 586. expreſsè, qui ſemper mediam tenet viam inter Pelagianos, & Janſenianos, qui extrema ſectantur, atque adeò vitioſa.

RESPONSIO P. MACEDI.

Fuſiùs hac de re agit Macedus in Cortinâ, quæ omnia dum tomo alteri Collationum inſeruerit, loca

hujus

Digitized by Google

hujus appellabo. Itaque Collat. 10. differ. 3. ſect. 2. pag. 583. col. 2. ait: *Mentem Auguſtini per concluſiones expono. Prima ſit. Omnes actus ſinè ullâ omninò fide, & citrà omne auxilium gratiæ, eſſe pravos, & vitioſos auctor eſt Auguſtinus*. Paginâ 585. col. 2. *Secunda eſt. Omnia opera ſinè uliquâ fide, & gratiâ facta ex defectu honeſti, & debiti finis, vitioſa eſſe, Auguſtinus judicavit*. Poſt plura ad id probandum teſtimonia producta ait: *Cur autem opus citrà fidem, & gratiam deficiat à recto, & honeſto fine? Auguſtinus oſtendit; docens, non eſſe undè dirigatur ad finem ultimum, & debitum, id eſt Deum, auctorem omnis boni, finemque hominis beatum: citrà cujus ſupernaturalem notitiam, omnis actio Gentilica vel ex pravo fine corrumpetur, vel in creaturâ ſiſtet, vel debito fine ſpoliabitur: quo fiet, ut aut peccatum commiſſionis, aut omiſſionis admittatur*. Item ibidem: *Unde cenſet eum, qui naturali ductus affectu, colit parentem, & miſeretur viduæ, ſiſtendo in eo fine ex amore illius creaturæ, non referendo opus ad Creatorem, peccare venialiter ex defectu debiti finis. Nam illi certè actus naturaliter officii boni, videntur eſſe conformes rectè inſtitutæ naturæ; ſed oportet creaturam rationalem altiùs inſpicere, & tollere ſe huma, & ad Deum affectus illos referre*. Ita ille Auguſtinianè, & Noris Macedonicè. Hanc ſententiam ſolidè defendit novus, ac illuſtris Scriptor P. Contonſonus Dominicani Ordinis Theologus Tomo 5. diſſertat. 2. de Gratiâ cap. 1. ſpecul. 2.

Triplex Parallelistæ impoſtura.

Nuſquàm audaciùs impoſturas nectit, quàm in hac Germanitate oculis ſubjicienda, ut Lectoribus fucum faciat, ac Noriſio invidiam conflet. Et primò quidèm præmittit: *Doctrina amborum eadem eſt, nimirùm: omnia opera infidelium præcisè quando fiunt ſinè directione fidei veræ quidèm, & Chriſtianæ eſſe peccata*: & inferiùs: *Ambo late verſant hanc doctrinam loquentes de fide habituali, quâ homo fit Chriſtianus, & ab eâ dirigitur ad ultimum finem ſupernaturalem Deum*. Janſenius quidèm fidem Chriſti, quâ homo fit Chriſtianus, & eſt habitus infuſus in baptiſmo, ad faciendum opus bonum requirit. At Noris id planè negat. En utriuſque antitheſes.

Janſenius.

Secundum principium boni operis, quo infideles carent, eſt fides veri Dei, & Chriſti ejus, ſinè quâ fide impoſſibile eſt vel ſervare legem, vel cavere peccata, vel præceptum facere, vel tentationem ſuperare. Lib. 3. de Grat. Salvat. cap. 11. pag. 127. Idem habet lib. 4. de ſtatu nat. lapſæ cap. 5. & cap. 6. tradit *Schiſmaticorum patientiam non eſſe ſinè peccato*.

Noris.

Ex quibus patet ad referenda opera bona in Deum non requiri fidem in Chriſtum, ſed ſatis eſſe fidem in Deum; imò ſolam fidem etiam acquiſitam ſufficere colligitur ex lib. de Patientiâ cap. 26. & 27. ubi Schiſmaticorum patientiam & bonam eſſe, & laudandam ſcribit. In Vind. cap. 3. §. 4. pag. 22. col. 1. in fine.

Altera impoſtura eſt, Noriſium uſum artificio in refutandis duabus reſponſionibus adverſariorum, ita ut quæ apud Janſenium primo loco ponitur, alteri poſt poſuerit. *Noris*, inquit, *hanc ſecundam expoſitionem ſumptam ex officio, & fine ponit in primo loco*. Profectò hic homo audaciſſimè fingit. Nam illa doctrina *de officio & fine* operis, non eſt *expoſitio* adverſariorum, ſed planè argumentum S. Auguſtini, quo contrà Julianum depugnavit, eâque etiam utitur, ut planè Auguſtinianâ, laudatus Macedus. Janſenius lib. 4. de ſtatu nat. lapſæ cap. 2. in titulo ait: *Primum effugium occluditur, quo dicunt, Auguſtinum loqui de peccato latè, & impropriè ſumpto*: Nempè ut ſtatim explicat juxtà adverſarios *de opere carente merito vitæ æternæ*; At pag. 218. capiti tertio hunc titulum præfigit: *Secundum effugium clauditur*, nempè ut ait, quod reſpondent, dicta Auguſtini de operibus pravis infidelium intelligenda eſſe *regulariter, ac moraliter loquendo*. Hæc eſt *expoſitio*, quam ſecundo loco Janſenius oppugnat toto illo capite tertio. De hac ne verbum quidèm habet Noris, ſed illam tantùm de opere quatenus meritorium eſt, rejicit pag. 23. lin. 11. col. 1. Quâ ergo fronte ſcribit: *Noris utitur artificio commutans ordinem, & ponendo expoſitiones adverſariorum ordine inverſo Janſenii, ita ut primam Janſenii faciat ſecundum: & ſecundam faciat primam, & ita lateat Germanitas Janſenii*, cùmque unica eſt apud Noriſium, primo loco à Janſenio recitetur? Cæterùm illam expoſitionem antè Janſenium exploſerat Gregorius Ariminenſis, qui trecentis annis Janſenium præceſſit, in 2. ſent. diſt. 26. quæſt. 1. art. 2. Et Caſalius unus è Patribus Tridentinis, quem Macedus Collat. 10. differ. 2. ſect. 3. vocat *præſtantiſſimum Theologum*, lib. 1. de Quadripartitâ Juſtitiâ cap. 36. & rurſùs cap. 41. hæc ſcribit cap. 36. *Porrò neque eis opitulatur poſterius diverticulum, quo antiquorum Patrum contrà Pelagium agentium auctoritati obvium ire nituntur, dicentes eos de bono meritorio intellexiſſe ſuam eorum ſententiam*. Adeò antiqua eſt illa explicatio, ut planè ridiculum videatur, quod exprobrat Parallelista, Noriſium apud Janſenium illam reperiſſe, ac ſecundo loco eandem recitaſſe. Verùm utramque explicationem, quæ apud Janſenium legitur, proponit reapſe P. Macedus cit. differ. 3. ſect. 3. pag. 588. ubi explicationem Suarii recitat, *nempè aut Auguſtinum DE ACTIBUS MERITORIIS gratiæ, & gloriæ locutum fuiſſe, cùm eos infidelibus denegavit: aut de iis actibus, qui plerumque fiunt ab infidelibus, ut non neget eos benè unquam ſinè gratiâ operari poſſe, ſed vix unquam benè propter difficultatem operari; quo fiet ut REGULARITER dicat eos malè operari*. Itaque Macedus, non verò Noris, utramque expoſitionem retulit, neutram tamen probans Macedus ait: *Perſtandum nihilominùs eſt in propoſito, & ſuſtinendum Auguſtinus tria illa, quæ ſtatuimus, docuiſſe &c.* Tertia modò Parallelistæ impoſtura propalanda mihi eſt; nam hoc altero parallelo Germanitatem X. claudit, laudato priùs *Auguſtino Conimbricenſi*, quo nomine Patrem Macedum deſignavit, *qui ſemper*, inquit, *mediam tenet viam inter Pelagianos, & Janſenianos*. At eadem planè Macedi veſtigia implet Noriſius.

Janſenius lib. 3. de Grat. Chriſt. Salv. cap. 12. p. 127.

Probavimus, inquit, *nullum omninò opus bonum moraliter*, hòc eſt nullum opus, quod non ſit peccatum,

Noris in Vind. pag. 44. lin. 19. col. 1.

Ex his colligitur quomodò infideles peccent, non obſervando legem, quandoquidèm ſinè fide manent tantùm ſub

Digitized by Google

tum, ab infidelibus poſſe fieri, ſed quidquid faciunt, quoquo modo ſe vertant, quamcumque rectam meditentur operationem, totum in eis perverſi amoris cupiditate contaminatum eſſe, & ex vulnere in vulnus ſurgere, vtpotè qui quandiù infidelas manent ipſis principiis faciendi moraliter boni careant. Et rurſùm ibid. Cùm ergo non habeant infideles gratiam ſufficientem diligendi Deum, quos agnitio, & fidei Dei deficit, profectò non habent gratiam ſufficientem benè operandi.

ſub lege præcipiente, non ſub gratiâ adjuvante; unde opera, quæ ipſi faciunt, ſemper ſunt peccata, niſi ubi aliquando Deus quoſdam bonos actus ipſis neſcientibus, in eorumdem voluntatibus operatur. Et iterùm ibid. Itaque cùm infideles in Chriſtum non credant, Dei gratiam ad implendam legem naturalem non petunt, unde nec eandem obſervant, & ſi qua bona facere videntur, illa non faciunt benè, ut §. 4. probatum eſt.

Nec excuſatur Noris dicendo, ſe admittere quoſdam actus bonos nimirùm ex gratiâ, dum ait: *Niſi ubi aliquando Deus quoſdam bonos actus in iis operatur.* Nam & hoc Janſenius fatetur lib. 4. de ſtatu nat. lap. pag. 234. ubi ait. Bene vivendi voluntatem, & alia quæcunque opera bona ad gratiam referenda. Hinc apparet Germanitas inter utrumque de neceſſitate fidei habitualis Chriſtianæ ad quodcumque opus bonum morale, & conformitas negandi, infideles benè operari poſſe. Nam error eſt dicere quicquid fit ſinè Fide habituali, & gratiâ ſupernaturali actuali eſſe Peccatum.

Vix oculis meis eredo, dum adeò lutulentam impoſturam ſcripto traditam lego. Profectò Parallelista ſibi perſuaſit, neminem eorum, quæ recitat, fidem apud Scriptores, quos invicem comparat, indagaturum; neque enim, ſi ſecùs ſenſiſſet, tàm ſplendidè mentiri auſus fuiſſet. Noris concedit, infideles quandoque divinâ gratiâ excitante, ac præmovente, bonos virtutum actus elicuiſſe; & inquit adverſarius, *& hoc Janſenius fatetur*; quod poſtremum quàm mendaciter aſſeratur ex contradictoriis hiſce theſibus, quas ſubijcio, vel rudes ipſi, ne dum docti intelligent.

Janſenius.

Hæc oſtendunt quàm parvi momenti ſit etiam iſtud, quod Auguſtinus dicit de Rege Aſſuero, quòd Deus juxtà Scripturas: *Tranſtulerit indignationem ejus in lenitatem....* Ex quo non video quâ ratione conficiatur, illam ejus voluntatem fuiſſe omni ex parte bonam. *Et concludit de Deo:* Sic operatur intùs non ſolùm per patientiam, ſed etiam per potentiam, ut Auguſtinus loquitur, ut unum peccatum altero tanquam ſupplicio puniatur, nec tamen idcircò peccatum eſt opus bonum, etiamſi pœna ſit opus bonum. *Lib. 4. de ſtatu nat. lap. cap. 6. pag. 224. col. 1.*

Noris.

Reſpondeo tertiò, infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos à Deo præmoventur, qui profectò peccata eſſe non poſſunt. Tradit hoc diſſertè Sanctus Doctor cap. 24. de Gratiâ Chriſti, ubi recitato illo Scripturæ Sacræ de Aſſueri mutatione teſtimonio Heſter 15. 11. Convertit Deus, & tranſtulit indignationem ejus in lenitatem, *cùm prius præmiſiſſet Aſſuerum tunc fuiſſe infidelem, & peccatorem, concludit:* Internâ, atque occultâ, mirabili, ac ineffabili poteſtate operari Deum in cordibus hominum, non ſolùm veras revelationes, ſed etiam bonas voluntates. In Vind. c. 4. §. 5. pag. 58. lin. 51. col. 1.

Janſenius.

Reſpondetur, continentiam illam Polemonis fuiſſe bonam, ſed non opus bonum, cujuſmodi hìc poſtulamus, hoc eſt, ſinè omni omninò peccato ex omnibus circumſtantiis. *Ibid. cap. 5. pag. 230. col. 1.*

Noris.

Præterea Epiſt. 130. continentiam Polemonis Philoſophi divinæ gratiæ deputandam ſcribit: Tamen, *ait*, ne idipſum quidèm, quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed divino. In Vind. cap. 3. §. 4 pag. 21. lin. 41. col. 2.

Janſenius.

Nugæ, delirium, inſania, error, impietas contraria Chriſtianorum ſenſui, Scripturis, & fidei, quòd infidelium ſit ulla vera virtus, vel opera ſinè peccato juxtà Auguſtinum, & Concilium Arauſicanum. *Eſt titulus cap. 17. lib. 4. cit.*

Noris.

Sed non adeò rigoroſè de operibus infidelium S. Doctor locutus eſt; nam aliquos quandoque virtutum actus eoſdem elicere palam conceſſit, ut ex dictis ſatis apparet. In Vind. in fine §. 4. citati.

In molem hæc una reſponſio excreſceret, ſi Janſenii teſtimonia hìc recitare vellem, cùm in eo libro quarto per plura capita oſtendere conetur, nullum unquam opus bonum fieri ab infidelibus, eoſque eſſe omni prorsùs, & ſemper gratiâ Dei deſtitutos, quæ nulli, niſi poſt fidem, confertur; ut ſanè apertiſſimæ fallaciæ convincatur Parallelista, qui fingit, Janſenium dixiſſe ex verâ Dei gratiâ infideles benè quandoquè operatos fuiſſe. Oculos Lectorum appello.

GERMANITAS XI.

Quoad cauſam impoſſibilitatis ſervandi præceptum ex vi legis, ideſt timorem, quem dicunt ſervilem.

Janſenius lib. 5. de Grat. Salv. c. 23. pag. 234.

Timor ex lege naſcebatur. Ibid. Timor ille Dei, ex quo legem Judei ſervare conabantur, non aliud efficit, niſi legem terribilem. Ibid. Ab Auguſtino timor legis vocatur, tanquam qui eſſet proprius eſ-

Noris in Vind. §. 6. c. 3. pag. 41. lin. 56. col. 2.

Vbi gratia non infundit amorem, obſervatio legis ex puro timore ſervili facit prævaricatorem. Proinde ac timor ſinè mixturâ amoris Dei ſupernaturalis pugnat cum gratiâ, & ſit purè ſervilis, & peccaminoſus.

in

fectus legis, prout lex opponitur gratiæ Dei. Rurſùm. Patet, timorem legis non modò non eſſe effectum gratiæ, ſed potius diſtingui contrà gratiam.

Idem lib. 5. de Grat. Salv. c. 1. pag. 406. A charitate proficiſcitus, ut non timeat pœnam, & ut amet juſtitiam, ut pœnâ non terreatur, & ut juſtitiâ delectetue, ne eam non delectet iniquitas. Vocat huoc timorem ſervilem. Idem lib. 3. de Grat. Salv. c. 6. pag. 116. in fine. Ex iſto amore carnali, atque timore templa, ſacrificia, ſaeramenta frequentabant, totumque illud duriſſimum jugum ſeeviliter ſuſtinebant. Ex iſto amore, atque timore tota eorum juſtitia naſcebatur, quam Apoſtolus arbitratus eſt, ut ſtercora.

Idem ibid. lib. 3. c. 8. pag. 120. col. 2. §. Quapropter, ut cuſtodiatur lex, amor ac timor temporalium serum ſufficit; ad quos coocipiendos affectus nullum ſpiritualis gratiæ auxilium neceſſarium eſt. Quæ ſanè cauſa eſt, ut veteri teſtamento, & filiis ejus Auguſtinus formidinem pœnæ tribuat: ex quâ carnalis, de quâ gloriabantur, juſtitia naſcebatur.

Iterùm pag. 44. lib. 60. col. 1. Auguſtinus opera facta in lege veteri, peccata dixit, cùm Judæi illa fecerint timore pœnæ, non amore juſtitiæ. Ecce timor pœnæ malus eſt, & operatur peccatum.

Rursùs pag. eâdem lin. 35. col. 2. Hinc Auguſtinus dixit, opera Judæorum in veteri lege fuiße peccata, & legem illam fuiße ſervilem, quòd illi, qui eandem implerent, timori inſervirent.

Deindè ibidem lin. 48. Erat ergo Vetus lex timoris, quòd carnalis ille populus ſe, ac ſua tantùm amans, quidquid boni juxtà legis mandata faciebat, amore ſui faciebat, volens ſibi bona, ac timens mala. Lex ergo tanquam ſervis incutit timorem; gratia, quæ per fidem Chriſti impetratur, inſpirat amorem. Loquitur autem univerſaliter, ceu omnes Judæi ita operarentur, quod etiam facit Janſenius, paucos excipiendo.

Mirum autem eſt, neutrum facere mentionem alterius timoris, præter ſervilem, quaſi non agnoſcant timorem bonum, niſi qui ſit mixtus Charitate, quod non eſt conſonum Concilio Tridentino.

RESPONSIO P. MACEDI.

Ea ex cap. 28. Harmoniæ Exercitiorum S. Ignatii, & Operum S. Auguſtini deſumitur, quo loci pag. 572. ità fatur. *Nihil enim frequentiùs vſurpat Auguſtinus in ſuis operibus, quàm timorem ſervilem eſſe malum, & contrarium charitati, & ab eâ prorsùs excludi. Eoque non impleri legem, nec vitari peccatum, imò diligi culpam, & tantummodò timeri pœnam. Itaque vituperari, & improbari. Hoc ego negare non poſsum, qui paſſim, cùm apud Auguſtinum habitem, in hunc pravum timorem incurro. Verum enimverò lectis, & expenſis Auguſtini operibus, alius præter hos duos, tertius quidam timor apparet, qui medius eſt, nec tàm bonus ut filialis, quem CASTUM ſolet appellare Auguſtinus, nec tàm malus, uti hic ſervilis.* Item pag. 573. *Et affert Auguſtinus rationem optimam in Pſal. 32. conc. 1. paulò poſt principium:* Qui timendo non facit malè, faceret, ſi liceret. Itaquè & ſi facultas non datue, voluntas tenetue. *Hic eſt verè ſervilis timor, quem reprobat Auguſtinus, cum quo ſtat voluntas peccandi.* Hæc ille in Harmoniâ, in quâ miram cum Noriſio conſonantiam exhibet.

Error Paralleliſtæ, & impoſtura.

Duo autem Adverſarius peccat, unum quidèm ignorans, alterum ſciens, ac volens. Hæc Noriſii verba recitat: *Auguſtinus opera facta in lege veteri peccata dixit, cùm Judæi illa fecerint timore pœnæ, non amore juſtitiæ:* & ſtatim ex his infert: *Ecce timor pœnæ malus eſt, & operatur peccatum.* Non accuſo, quòd hanc ſententiam erroneam eodem charactere, ſinè ullo aſteriſco, aut parentheſi, Noriſii verbis adijcit, ut Lectores eandem à Noriſio traditam putent. Scribit in nuncupatoriâ: *Scis meam in referendo ſinceritatem;* hîc certè non ad amuſſim eidem ſatisfecit. Verùm hoc omiſſo, miſerè hallucinatur, dum ex hac propoſitione. *Qui ex ſolo timore ſervili, & non ex amore juſtitiæ operatur, peccat,* infert: igitur *timor pœnæ malus eſt, & operatur peccatum.* Etenim timor ipſe poteſt eſſe bonus, & à Spiritu Sancto, & tamen dum manet cum voluntate inefficaci peccandi, operans cùm illo timore, peccat. Audiatur Sanctus Thomas 2. 2. q. 19. art. 9. *Timor ſervilis non eſt numerandus inter ſeptem dona Spiritûs S. licèt ſit à Spiritu Sancto: quia vt Auguſtinus dicit in lib. de Nat. & Grat. poteſt habere annexam voluntatem peccandi.* Et art. 4. cùm ſibi obieciſſet: *Qui timore aliquid facit, etſi bonum ſit, quod facit, non tamen benè facit, ergo timor ſervilis non eſt bonus,* reſpondet: *Ad primum ergo dicendum, verbum illud Auguſtini intelligendum eſt de eo, qui facit aliquid timore ſervili, inquantum ſervilis eſt, ut ſcilicet non amet juſtitiam, ſed ſolummodò pœnam timeat.* Itaquè timor pœnæ in ſe eſt bonus, qui tamen ex illo ſerviliter, hoc eſt, *ut non amans juſtitiam,* bonum facit, non benè illud facit; quippe qui habet annexam voluntatem peccandi, ex quâ derivatur ſervilitas, quæ timorem pœnæ, alias bonum, vitiat, ac depravat. Diſertè hoc habet idem Angelicus art. 6. *Quamquàm timoris ſervilitas mala ſit, ipſe tamen timor ſervilis ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſt bonus.* Hæc omnia his luculenter definit Synodus Tridentina ſeſſ. 14. cap. 4. *Illam verò contritionem imperfectam, quoniam ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem; verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritûs Sancti impulſum &c.* Ex his conſtat, ad hoc ut quis citrà peccatum ex timore pœnæ operetur, debere *voluntatem peccandi excludere,* ſinè quâ bonum non benè facit. Num verò Judæi ut plurimùm mandata legis ſervantes, id egerint ex timore purè ſervili, hoc eſt, non ſeclusâ volontate peccandi, eſt res de facto, in quâ Sanctorum Patrum traditioni fides præſtanda eſt. Unus pro mille mihi ſemper eſt Auguſtinus, qui ubique Judæos paſſim ex timore ſervili, & terrenorum amore operatos ſcribit. Hæc ait lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. *Illi etiam quicumque ibi erant, ſola quæ ibi Deus pollicetur, promiſſa terrena ſectantes, & quod pro novo Teſtamento ea ipſa ſignificent, ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum TIMORE Dei præcepta ſervabant; imò non ſervabant, ſed ſibi ſervare*

re

Digitized by Google

re videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit; mavult enim omninò non facere, ſi ſecundùm ea quæ cupit, & metuit, permittatur impunè. Ac per hoc in ipsâ voluntate intùs eſt reus, ubi ipſe qui præcipit, inſpicit Deus: Tales erant filii terrenæ Jeruſalem, de quâ dicit Apoſtolus: ſervit enim cum filiis ſuis pertinens ad teſtamentum vetus. Leguntur in lib. de Spir. & litt. cap. 31. Idem tradit S. Thomas 1. 2. q. 107. art. 1. ad. 2. *Et propter hoc*, inquit, *etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum, quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abſtinet, non ſimpliciter eius voluntas à peccato recedit, ſicut recedit voluntas eius, qui amore juſtitiæ abſtinet à peccato, & propter hoc lex amoris, dicitur animum cohibere. Fuerunt tamen aliqui in ſtatu veteris teſtamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus S. qui principaliter expectabant promiſſiones ſpirituales, & æternas, & ſecundùm hoc pertinebant ad legem novam.* Hæc Doctor Angelicus. Jam verò imponit Noriſio Parallelista, dum de illo ſcribit: *Loquitur autem univerſaliter, ceu omnes Judæi ita operarentur, quod etiam facit Janſenius paucos excipiendo;* Hæc ſunt Noriſii verba pag. 45. lin. 8. col. 1. *Plurimi tamen veteris Teſtamentis Patres non ſub lege tantùm fuere, ſed ſub gratiâ adiuvante, quia propriæ infirmitatis conſcii, ad ſectanda virtutum opera divini auxilii opem implorarunt.* Quâ ratione *loquitur univerſaliter ceu omnes Judæi ita operarentur*, cùm disertè teſtetur *plurimos* ſecùs operatos fuiſſe? Certè S. Thomas *aliquos* à tanto numero excepit, & S. Auguſtinus *paucos* lib. de catechiz. rudib. cap. 22. imò *pauciſſimos* Lib. contrà Adim. cap. 17. nempè in comparatione popularis multitudinis, qui tamen in ſuo numero plurimi extitere.

Denique caſtiganda eſt clauſula Parallelistæ dicentis; *Mirum autem eſt neutrum facere mentionem alterius timoris præter ſervilem, quaſi non agnoſcant timorem bonum, niſi qui ſit mixtus charitate, quod non eſt conſonum Concilio Tridentino.* Etenim ſatis luculenter Noriſius timorem caſtum laudat ſcribens paginâ eâdem 45. col. 1. in principio: *Timor quidèm, ſi deſinat eſſe purè ſervilis, & per ALIQUEM Dei amorem incipiat eſſe caſtus, eſt bonus, nec vitiat opera ex eodem derivata.* Timor caſtus excludit voluntatem annexam peccandi, & adhæret amori iuſtitiæ, ſinè quibus eſt tantùm ſervilis. Qui verò timor caſtus eſt, aliquem Dei amorem includere fuſiùs docuere Lupus & Farvacques in opuſculis de Attritione, & Germanus Philalethes eâ de re cap. 2. Et quidèm tantùm abeſt, ut Synodus Tridentina aliquem Dei amorem ad attritionem neceſſarium negaverit, ut decreto ipſi priùs inſeruerit: *Cùm ſinè aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat*: quam tamen periodum, ne quorundam Scholaſticorum ſecùs ſentientium, opinionem damnaret, Synodus poſteà reſecuit. Rem fusè narrat Card. Pallavicinius lib. 12. Hiſt. ejuſdem Synodi cap. 10. Nunquam Noris dixit timorem bonum debere eſſe *mixtum Charitate*, nempè habitu infuſo; cùm ſatis ſit imperfecta dilectio per gratiam actualem inſpirata, quam ſi quis charitatem imperfectam cum doctiſſimo Lupo vocare velit, per me liceat, neque enim de nomine litigandum eſt. Hinc Noris dixit *per ALIQUEM Dei amorem*, quo priori verbo amor tantùm imperfectus deſignatur. Num verò Janſenius de timore per legem incuſſo rectè ſenſerit, viderint illi, quibus majus otium ſupereſt: neque enim ipſe hominem adoro.

GERMANITAS XII.

Circà libertatem.

Janſenius lib. 1. de Statu nat. lap. c. 4. pag. 85.

Illa ratio voluntarii, quo peccatum in ſe ipſo ita voluntarium eſt, ut ab eo ſit liberum abſtinere, ſicut illud Auguſtinus definiuit, & Julianus etiam in peccato originis neceſſarium eſſe contendit, ut Auguſtinus tradit, in illis ſolis peccatis eſt neceſſaria, quæ purè peccata ſunt, non in illis ſivè actualibus, ſivè originalibus, quæ ita ſunt peccata, ut ſimul pœnæ ſint peccatorum. Pœna enim hoc ipſo, quo pœna eſt, rationem voluntarii excludit, & perimit. Itaque Juliano definitionem Auguſtini approbante, quâ peccatum eſſe dixerat, undè liberum eſt abſtinere; Hic, inquit Auguſtinus, peccatum definitum eſt, quod tantummodò peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippè agendum fuit, quandò mali origo quærebatur, quale commiſſum eſt à primo homine antè omnes homines malum.

Iterum lib. 2. c. 4. pag. 125. Auguſtinus aſſeveranter docuit huiuſmodi ſententias, & definitiones ſuas non eſſe de quolibet peccato intelligendas, ſed de illo ſolo, quod in Paradiſo primus parens ſummâ libertate perpetravit. Duplex quippè peccatum diſtinguere ſolet Auguſtinus; aliud quidèm, quod peccatum tantùm ſit, aliud, quod ita peccatum ſit, ut ſit etiam pœna peccati. Et mox: Ipſum Auguſtinum cum Juliano diſputantem audiamus. Cui reſpondet Auguſtinus. Hic peccatum definitum eſt, quod tantummodò peccatum eſt, non quod etiam pœna pec-

Noris in Vind. Pag. 39. lin. 32. col. 1.

Reſpondeo, laudatum Sancti Doctoris teſtimonium à Juliano eidem Auguſtino obiectum fuiſſe, cui Sanctus Pater reſpondet lib. 1. Operis Imperfecti cap. 48. Ipſe Adam eſt, quem noſtra illa definitio intuebatur, cùm diceret: Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere. *Adam quippe omnino quando peccavit, nihil in ſe habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum, & propter quod diceret:* non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago; *ac per hoc id egit peccando, quod juſtitia vetabat, & undè illi liberum fuerat abſtinere. Nam ei qui dixit, quod nolo malum, hoc ago, abſtinere indè liberum non eſt. Rurſum Noris verbis Sancti Auguſtini proſequitur ad Julianum ibid. Scias aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque, id eſt, ita peccatum, ut ipſum ſit etiam pœna peccati. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi* voluntas eſt agendi, quod juſtitia vetat, & undè liberum abſtinere. *Peccatum namque ipſo modo definitum eſt, non pœna peccati, non utrumque. Ex quibus infert Noris Ibid. Certum igitur eſt poſſe peccatum originale eſſe verè, & propriè peccatum, etiamſi non indè liberum ſit abſtinere, & doctrinam illam traditam à Sancto Doctore lib. de duab. Anim. ib. c. 11. applicandam non eſſe peccato originali. Pergit ibi refutare adverſarium his verbis. Falſa hæc ſunt, nam ex mente Doctoris oppoſitum di-*

cati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quærebatur, quale commiſſum eſt à primo homine antè omnes homines malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis. Et rurſum (pergit Janſenius) eandem abſtinendi libertatem inculcante Juliano: eandem reſponſionem ſuam Auguſtinus inculcat. Peccatum enim tantùm, & peccatum quod ſimul eſt pœna, identidem diſtinguit. Inſuper lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 22. pag. 267. col. 1. Status ille, in quo non libertate faciendi boni, ſed neceſſitate faciendi mali peccata perpetrantur, pœnalis eſt de ſupplicio peccati liberioris impoſitus: undè peccata, quæ inde fluunt, non propterea peccata eſſe deſinunt, quòd ab eis animus libertate faciendi oppoſiti boni abſtinere non poſſit. Idem Janſenius citat locum lib. 1. ope. Imperf. quem citat Noris, ita lib. 1. cap. 4. pag. 85.

diſcendum eſt: Docet enim arguendum eſse etiam illum qui peccat tertio illo genere peccati. Inquit enim Ibid. Tertium verò genus, ubi peccatum ipſum eſt, & pœna peccati poteſt intelligi in eo qui dicit, quod nolo malum, hoc ago.

Ecce concedit Noris peccatum ſinè libertate, & poteſtate ad oppoſitum etiam in noſtris peccatis actualibus, quæ ſunt peccata, & pœna peccati, ſic enim ait pag. eadem lin. 12. col. 2. Imò ab illâ neceſſitate vituperationem deſtrui erat ipſiſſima objectio Juliani dicentis lib. 5. ope. imperf. c. 52. Hujus vituperatio ad neceſsaria non recurrit, quia quidquid ad neceſsarium pervenit, ipſum pulſat auctorem, nempè Deum. Cui Sanctus Pater reſpondet: Numquid hoc quod nolo malum, hoc ago, ipſum hominis pulſat auctorem? & tamen eum, qui ſic agit malum, ſatìs apparet ad neceſsarium pervenisse; neceſſitate quippe agit, quod non agit voluntate.

Ambo componunt peccatum cum libertate ſinè indifferentiâ, & ſinè poteſtate ad oppoſitum, & hanc ſententiam tribuunt Auguſtino.

RESPONSIO P. MACEDI.

E Cortinâ ſuâ loquitur quæſt. 1. art. 4. pag. 68. *Sed vel ea illa probandum fortius & evidentius, quam illa ipſa definitio peccati antea propoſita, & ab Auguſtino facta de peccato Adæ explicata*: Peccatum eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere. *Cùm enim eâ definiri à ſe primum Adæ peccatum Auguſtinus ſemel, uti proximè vidimus, declaraverit; non negavit eam aliis item peccatis lapſæ naturæ convenire, quæ quidem propriè peccata ſunt: idest quæ ſimili illi Adæ parentis libertate fiunt: ac proindè PŒNÆ PECCATORUM NON SUNT; cujusmodi ſunt ea quæ ab homine juſto peccata committuntur; Nam cùm hic ope juſtitiæ & gratiæ in ſtatu liberò donatur, quæ admittit peccata ea ſimili Adæ libertate committit, atque adeò ſimpliciter libera dici poſſunt. Tertiò proindè Auguſtinus lib. contrà Julianum imperf. operis primo proximam definitionem novâ & excogitatâ ratione oppugnantem*: (Scias, *inquit*, aliud eſſe peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque. Intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas eſt agendi, quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere. Peccatum namque iſto modo definitum eſt, non pœna peccati, non utrumque &c.) Igitur fatetur cum Auguſtino famoſam peccati definitionem competere iis præcipuè peccatis, quæ *pœnæ peccatorum non ſunt*.

Et quidem Janſenius erravit contendens laudatam definitionem juxtà Sancti Auguſtini ſententiam intelligendam eſſe *de illo ſolo, quod in paradiſo primus parens ſummâ voluntatis libertate commiſit*, utì ſcribit lib. 2. de ſtatu nat. lap. cap. 4. pag. 123. col. 2. & lib. 4. cap. 21. pag. 262. col. 2. & pag. 263. col. 2. & paſſim alibi. Etenim diſertè eo loci operis imperfecti oppoſitum Sanctus Doctor teſtatur: *multa quippe*, inquiens, *ſunt, quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum eſt abſtinere.* Et lib. 5. cap. 60. *Nos*, inquit, *vel potiùs ipſa veritas dicit perfectæ ætatis homines quoſdam voluntate, quoſdam neceſſitate, vel eoſdem ipſos in quibuſdam voluntate, in quibuſdam neceſſitate agere malum. Quod ſi falſum putas, illum aſpice clamantem*: Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum, ago. *Qui tibi toti es in faciem retorquendus eſt &c.* Porrò peccatum originale non liberè, ſed neceſſariò naſcentibus contrahi ex communicatione naturæ lutæo Adæ peccato vitiatæ, certum Catholicæ fidei dogma eſt; undè neque parvulis conceptis in utero liberum eſt abſtinere à peccato, quamvis id liberum fuerit primo humani generis ſatori. Ceterùm quâ ratione dicantur à Sancto Doctore eſſe quædam peccata actualia, à quibus non eſt liberum abſtinere, eaque ita eſſe peccata, ut pœnæ etiam ſint peccatorum, ipſe nobis exponit in laudato libro 5. contrà Jul. Oper. Imp. cap. 59. ubi verſans proxima verba Apoſtoli, ait: *Vult & non agit, quod bonum eſt; non vult & agit quod malum eſt; undè iſta neceſſitas? Agnoſcunt eam quidèm Catholici Doctores, qui Paulum Apoſtolum intelligunt etiam de ſe ipſo iſta dicentem, & ex lege quæ in membris repugnat legi mentis, ſinè quâ nullus hominum naſcitur, venire non dubitant, & ideò dici & à Sanctis vident*: Non quod volo facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc ago, *quia vident quantum bonum ſit nec carne concupiſcere, quæ mente averſantur, eoſque id velle, nec facere, & malum eſſe, quamvis mente non conſentiente, vel carne tamen talia concupiſcere &c.* Itaque de motibus indeliberatis concupiſcentiæ illud dictum Apoſtoli intelligit, quos ait eſſe pœnas peccati, à quibus non eſt nobis liberum abſtinere, hoc eſt, non pati; quamvis liberum ſit abſtinere à conſenſu. Rursùs Sanctus Auguſtinus peccata actualia deliberata Dæmonum, quæ ſunt tamen pœna peccati, ab eadem definitione excludit libro eodem cap. 47. hæc ſcribens: *Reſtat igitur ut antè ſupplicium ignis æterni, etiam neceſſitas iſta peccandi magna, ſit Diabolo magna pœna peccati; neque hinc excuſetur à crimine, quoniam & iſta vindicta eſt proxima crimine, ut eum delectet ſola malitia, nec poſſit delectare juſtitia. Ad hanc autem jam pœnalem peccandi neceſſitatem non utique perveniſſet, niſi prius liberâ voluntate, nullâ neceſſitate peccaſſet. Deffinitio itaque illa peccati cùm ſit* quod juſtitia vetat, & undè liberum eſt abſtinere, *ad illud peccatum pertinet, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati.* Hæc Sanctus Doctor. Illud tamen notandum eſt Noriſium de ſolo peccato originali locutum fuiſſe, ac de iis motibus animi, qui nobis liberi non ſunt, quòd præveniant rationem, quos tamen ex Sancto Auguſtino aſſerit eſſe vituperabiles, ac pudendos refellens Morainium ſecùs ſentientem. Janſenius verò ab illâ definitione omnia peccata excludit, quam in Adæ tantùm peccatum

quo

quadrare comminiſcitur. Non eſt autem idem aſſerere actus neceſſariò nobis inexiſtentes ex vitiatâ naturâ eſſe vituperio dignos, quod unicum Noris dixit, ac affirmare hominem, dum peccat, ſemper neceſſariò, hoc eſt, ſinè libertate indifferentiæ peccare, quod Janſenius commentus eſt. Miſerè verò Paralleliſta hallucinatur, dum Auguſtinum non legens, illa verba Apoſtoli de peccatis actualibus reatum culpæ mortalis inſerentibus, iotellexit, c m de motibus indeliberatis, qui ſunt tant m m terial ter peccata, accipienda ſint, quæ tamen pudori, ac vituperio ſubjacent, cùm ſint in genere malorum, ac diſplicent Deo; hinc ſancti viri nollent illos habere, & cùm erumpunt, ipſos eorum pudet, ac conantur, Deo adjuvante, ſupprimere.

GERMANITAS XIII.

Circà gratiam ſufficientem, quæ duas partes habet: Prima, non dari diſtinctam ab efficaci. Secunda, ſi datur, eam non dari omnibus.

Negat Janſenius dari gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci. Lib. 3. de Gratiâ Chriſti Salvat. cap. 5. pag. 113. Amiſſum eſt, inquit, illud priſtinæ integerrimæque voluntatis æquilibrium. Non ſufficit jam voluntati gratia quâ proſit ei lex, ac doctrina, ſi velit, ſed agnoſcenda eſt illa gratia, quæ re ipsâ faciat. Hæc verò gratia ſufficiens. Non aliam agnoſcit ſufficientem: niſi hanc efficacem, quæ facit.

Rurſum ibid. Quancuoque gratiam potentialem homini ſivè juſto, ſivè injuſto, ſivè Judæo, ſivè Pagano adeſſe ſtatuamus, niſi ipſam donaverit voluntatem, & actionem, hoc eſt ipſum velle & operari, non eſt ſufficiens gratia voluotatia, & actionis. Pag. 112. col. 2. in fine. Scopo Dei nihil magis repugnat, quàm ſi lex ſimul ac data eſt, ſufficienti gratiæ adjutorio muniretur; & addit: Quid illi repugnat magis, quàm ut ſufficienti poteſtate, quæ per adjutorium ſuppeditatur, ſe munitum eſſe experiatur?

Pag. 76. lib. 2. de Grat. Chriſti Salvatoris cap. 21. col. 2. Angelis Sanctis, & Adamo antè peccatum Chriſti medicinalis gratia nullo modo erat neceſſaria, ſed velle, & agere in eorum relinquebatur arbitrio: horum quicquam ſi homo lapſus jam etiam poteſt, nec gratiâ Chriſti medicinalis donet ut poſſit, & velit, liberè dico: gratis Chriſtus mortuus eſt.

Pag. 82. col. 2. Aberrarunt qui nobis talem gratiam protulerunt: nempè ut ſit quædam potentialis gratia, cum quâ homo credat, convertatur, operetur, ſi velit: ſin verò nolit, oullus ſequatur voluntatis, aut operationis effectus. Hactenus de primâ parte.

De ſecundâ. Non dari gratiam communem omnibus: Ac primum non dari Judæis ait Janſenius lib. de Gratiâ Chriſti cap. 5. pag. 227. in titulo cap. Non affuiſſe hominibus ſub lege gratiam ſufficientem, in tit. cap. 7. & in textu: Nullam omnino gratiam dabat.

De Infidelibus cap. 11. pag. 126. in titulo cap. infideles carent gratiâ ſufficienti ad ſalutem, & in textu, ibid. col. 2. §. & quidèm. Eos omni tali (ſufficienti) gratiâ carere nullam in Auguſtini principiis dubitationem habet.

Quin imò contrariam ſententiam, ſcilicet communem omnibus eſſe gratiam, dicit eſſe dogma Semipelagianum. Lib. 8. de Hæreſi Pelagianâ cap. 3. pag. 183. in fine. Manifeſtum eſt Semipelagianis duo iſta fuiſſe dogmata, quòd Deus vellet omnes homines ſalvos fieri, & quòd conſequenter, io omnes gratiam ſuam profunderet, & ibid. ſupra. Semipelagiani omnibus gratiam dari volunt.

Noris in Vind. Auguſtin: pag. 43. lin. 36. col. 1.

Si Lex, ut obliget, ſemper infert aſſiſtentiam gratiæ ſufficientis, ſequeretur gratiam ſufficientem ad obſervationem legis neceſſariam non fuiſſe amiſſam ex peccato Adæ, quod puto eſſe falſiſſimum. Ex pag. 43. Oramus ad Dominum: quod ſi ita fuiſſet in poteſtate quomodo fuit antè peccatum, non utique poſceretur orando, ſed agendo potius teneretur. Hæc autem quæ poſcitur ad agendum, non eſt niſi efficax. Alia non datur, nec petitur, ideſt quæ dat ſolum poſſe, & eſt ſufficiens, quam volunt ſcholaſtici.

Rurſùm pag. 43. lin. 55. col. 2. Hinc dictum Auguſtini: Fides impetrat, quæ Lex imperat. Ac per hoc dicitur Deo: Da quod jubes. Ideo enim lex jubet, ut admoneat quid faciat Fides, ideſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: Si autem continuò poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire, quo donante facit. *Ex quibus patet quandoque auxilium proximum præſto eſſe, inquit enim (Auguſtinus) Si autem continuò poteſt. Igitur ſi quandoque adeſt, & dat actum cum poſſe, non eſt illud ſufficiens, ſed efficax.*

Ac ibidem pag. 43. col. 1. Gratia ſufficiens ad obſervationem Legis neceſſaria amiſſa fuit ex peccato Adæ; nec connexa erat cum Lege obligante: nam ſi Lex ſola ſufficeret, Chriſtus gratis mortuus diceretur. Et eandem vim habet Apoſtoli ratiocinatio contrà gratiam ſufficientem, Si enim per hanc poſſet homo implere legem, ergo Chriſtus gratis mortuus eſſet.

Pag. 42. col. 2. in fine. Cùm inſtante præcepto homo non irriſoriè, ſed veraciter Deum debeat orare, ut ſibi gratiam donet ad faciendum mandatum, ſignum eſt non adeſſe in omnibus, & ſingulis momentis. Nam ſi adeſt poſſibilitas, ut quid orant? pro efficaci, quia alia ſufficiens non datur niſi ad poſſibilitatem; Quoad ſecundum pag. 43. lin. 44. col. 2. De Judæis; Lex non habet annexam gratiam proximè ſufficientem. Et pag. 41. lin. 47. col. 2. Tantum abeſt, ut Lex homines adjuvarit, quin potius reos fecerit, ſinè gratiâ jubendo.

De Gentilibus, pag. 44. lin. 20. col. 1. Infideles peccant non obſervando legem, quandoquidèm ſinè Fide manent ſub lege præcipiente, non ſub gratiâ proximè adjuvante: undè opera quæ ipſi faciunt, ſemper ſunt peccata.

Abſolutè negat dari pag. 42. lin. 34. col. 2. Affirmat (Auguſtinus) gratiam ad ſingulos actus dari, non omnibus miniſtrari.

Itaque conſentit cum Janſenio quoad Dogma Semipelagianum lib. 2. Hiſtor. Pelag. cap. 11. pag. 125. lin. 33. col. 2. Capitale Maſſilienſium Dogma fuit communem omnibus eſſe gratiam.

Digitized by Google

RESPONSIO P. MACEDI.

In hac ſuâ multiformi Germanitate omnia ſuſdeque agitat, miſcet, confundit, ut teſſelatum illud opus in ſpeciem ſaltem promoveat. Et primò obiicit Noriſio, quòd non admittit gratiam ſufficientem ab efficaci diſtinctam. In hanc certè opinionem ſe olim deſcendiſſe teſtatur Macedus tom. 2. Collat. 7. diff. 3. ſect. 7. pag. 362. *Nihilominus*, inquit, *auctor ſum adjutorium iſtud* ſinè quo nôn *dari in ſtatu ruinæ poſt peccatum. Novum id videbitur novis Auguſtinianis, & non paucis in Auguſtino verſatis: nam & mihi aliquando aliter viſum fuit.* O virum candidum ac ingenuum! Fatetur ſe eo in dogmate olim Janſenizaſſe. Cęterùm hujus opinionis nec vola, nec veſtigium in Noriſii libris apparet. Equidèm oppoſitum tradit in Vindiciis cap. 2. pag. 8. lin. 3. col. 1. quo loci præter gratiam efficacem probat ex Auguſtino dari etiam ſufficientem, cui reſiſtimus; *Palam fit*, inquit, *quoſdam vocanti Deo reſiſtere, quæ etiam ex cap. 11. de Correp. & Grat. deducuntur, cùm adjutorium* ſinè quo non *miniſtratum Angelis & Adamo ante lapſum, dari etiam in ſtatu naturæ lapſæ quibuſdam, aliis in pœnam peccati non dari ſcribit; cùm, inquam, iſta docet, de alterâ Gratiæ ſpecie debili, incongruâ, & remotè ſufficienti loquitur.* Hoccine eſt non admittere gratiam ſufficientem diſtinctam ab efficaci? Sed ad Senem optimum redeo. Hic cùm loco proximè deſignato ſect. 9. pag. 374. col. 2. conceſſiſſet adjutorium *ſine quo non* ſtatûs innocentiæ dari etiam in ſtatu naturæ lapſæ, palam denunciavit nolle ſe hocce adjutorium *gratiæ ſufficientis* nomine appellare: *Auguſtinus*, inquit, *auxilium ſufficiens efficax dicit, cùm proximè ſufficiens eſt, imò non putat ſufficiens, quod non habet effectum: & quidèm meo judicio rectè; nam ſi ſufficit, & datur, ut ſufficiat, cur non efficiet id, propter quod datur? Quod ſi non efficit, profectò non ſufficit.* At logomachiam, quando nullum de re ipſâ diſſidium eſt, omittamus, & propoſitiones ex Noriſii libris excerptas, ac cum Ianſenianis à lepidiſſimo Paralleliſta collatas, diſcentiamus.

Et primò quidèm hæc Noriſii dicta ex pag. 43. lin. 36. col. 1. Vind. recitat: *Si lex, ut obliget, ſemper infert aſſiſtentiam gratiæ ſufficientis, ſequeretur gratiam ſufficientem ad obſervationem legis neceſſariam, non fuiſſe amiſſam ex peccato Adæ, quod puto eſſe falſiſſimum.* At meherclè idem olim docuerat Macedus in Cortinâ qu. 1. art. 9. p. 135. hæc de naturâ lapsâ pronuncians: *in hanc enim, AMISSA GRATIA, & rectitudine, incubuiſſe NECESSITATEM PECCANDI, quam ſinè gratiâ vitare non poſſet.* Rursùs tom. 2. Collat. 7. diff. 3. ſect. 7. pag. 363. col. 1. de adjutorio *ſinè quo non*, quod idem eſt ac gratia ſufficiens, ſcribit: *Nam illud adjutorium, cùm eſſet gratia, ablatum eſt homini per peccatum.* Janſenius id erravit, quod adjutorium *ſinè quo non* ita amiſſum dixit, ut nulli penitùs detur in ſtatu naturæ lapſæ, cùm omnis gratia Chriſti Redemptoris meritis nobis collata ſit efficax, nulla purè ſufficiens. At Noris cum Macedo etiam gratiam ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ admiſit, negans quempiam ſubeſſe neceſſitati peccandi. Dein Paralleliſta opponit hæc Noriſium ſcripſiſſe pag. 42. lin. 61. col. 1. *Oramus ad Dominum: quod ſi, ait, fuiſſet in poteſtate, quomodo fuit antè peccatum, non utique poſceretur orando, ſed agendo potius teneretur. Hac autem quæ poſcitur ad agendum, non eſt niſi efficax; alia non datur, nec petitur, ideſt, quæ dat ſolùm poſſe, & eſt ſufficiens, quam volunt Scholaſtici.* Non poſſum non indignari, dum tot calumniatoris præſtigias oculis luſtro. Non ſunt Noriſii verba quæ eidem impoſtor appingit. Sunt partim magni Auguſtini oracula, partim aſſutæ per calumniam appendices. Hæc loquitur S. Doctor lib. 6. Oper. imp. cap. 15. *Unde & Apoſtolus dicit:* Oramus autem ad Dominum, ne quid faciatis mali, *quod ſi ita eſſet in poteſtate, quomodo fuit ante peccatum, priuſquàm eſſet natura humana vitiata, non utique poſceretur orando, ſed agendo potiùs teneretur.* Porrò quis hominis audaciam non execretur, qui tam ſplendidam S. Auguſtini ſententiam, quam Noriſius recitavit, ſub hujus, non autem Auguſtini nomine publicat, ac unà cum Janſenii dictis damnandam, æquatâ lance ſuſpendit? At vide, quàm aſtutè dolos concinnet; etenim cùm Noris illa ex Auguſtino recitet pag. 42. ille appellat pag. 43. ne Lectores tam grandem impoſturam advertant. Verùm aliam rursùs fraudem fraudus eſt; nam reliqua verba: *Hac autem quæ poſcitur, &c.* de ſuo appoſuit, ac ſub ipſius Noriſii nomine venditavit, ut eundem Janſeniſmi reum convinceret. An reponet, erraſſe typographum, qui hæc poſtrema verba eodem charactere expreſſit? O impudentiam non ferendam! Itane ex laudatâ S. Auguſtini ſententiâ, excluſâ quacunque gratiâ ſufficienti tùm proximâ, tùm remotâ, ſola gratia efficax prædicanda eſt, ac ex conſequenti nulla alia, cui reſiſtatur, admittenda, qui Janſenii error eſt? Itaque, auctore Paralleliſta, S. Auguſtinus Janſeniſmi reus peragitur, ac unà cum Janſenio damnandus Chriſto judici ſiſtitur. Progrediamur.

Tertiò recitat ex pag. 43. col. 2. Vind. has Noriſii ſententias. *Rurſum ibidem. Hinc dictum Auguſtini: Fides impetrat quæ lex imperat. Ac per hoc dicitur Deo: da quod jubes. Ideo enim lex jubet, ut admoneat, quid faciat fides, ideſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat. Si autem continuò poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire, quo donante facit. Ex quibus patet quandoque auxilium proximum præſta eſſe; inquit enim (Auguſtinus) ſi autem continuò poteſt. Igitur ſi quandoque adeſt, & dat actum cum poſſe, non eſt illud ſufficiens, ſed efficax.* In hac accuſatione Paralleliſta bina S. Auguſtini teſtimonia, quæ Noris ex diverſis S. Doctoris libris recitavit, in unum conflat, altero tamen detonſo; ſed quòd integer ſenſus habetur, nullam eidem quæſtionem facio. Præterea admitto quod de ſuo infert, *ſi dat actum cum poſſe, eſſe efficax*, quod Macedus ac Noriſius *proximè ſufficiens* appellant. Diſputat eo loci Noriſius de auxilio tantùm proximè ſufficienti negans hoc ſemper adeſſe, cùm ut plurimùm ſit precibus impetrandum. Porrò auxilium proximè ſufficiens eſſe idem ac efficax auxilium pluribus probat meus Macedus tom. 2. Collat. 7. differ. 3. ſect. 9. pag. 371. Pauca libeat exſcribere: *Concluſio ſit: Auxilium ſufficiens Auguſtinianum eſt illud Remotum, quod Suarius juxta Concilium Tridentinum expoſuit, & formavit, in eâ latitudine, donec perveniat ad illud complementum, quo conſtituitur INTEGRUM AUXILIUM PROXIMUM, reddens affectam potentiam PROXIME, & immediatè expeditam ad operandum, & tantùm non operantem; nam quo puncto ita completum fuerit, eo fiet efficax, & inſuperabiliter & indeclinabiliter, quæ duo ſunt Auguſtini verba, non neceſſariò tamen, operationem inducet.* Hæc ille pluribus probat, & quidèm optimè juxta Sancti Auguſtini ſententiam.

Quar-

Digitized by Google

Quartò ex pag.43.col.1. Vindiciarum tradit Noriſium ſcripſiſſe: *Gratia ſufficiens ad obſervationem legis neceſſaria, amiſſa fuit ex peccato Adæ, nec connexa erat cum lege obligante &c.* Fallit impoſtoe; nuſquam illa poſtrema verba eo modo Noriſius pronunciavit. Nam tantùm affirmat, modò gratiam proximè ſufficientem non eſſe connexam cum lege obligante, quæ tamen in ſtatu innocentiæ connexa erat cum eadem lege ex S. Auguſtino cap. 11. de Correp. & gratia. Audiatur Macedus tom.2. Collat.7. differ.3. ſect.7. pag.363. col.2. ubi loquens de adjutorio ſufficienti, ait: *Quòd homini innocenti, & Angelis ſanctis erat illud adjutorium ex æquitate debitum: & veluti connaturale; quod aliter eſt in ſtatu noſtro, qui eſt ruinæ, & peccati, cui erat ANNEXA GRATIÆ PRIVATIO.* Equidèm idem Macedus in aureo illo ſuo Scrinio Auguſtini cap.10.11. 12.13. & 14. fuſiſſimè probat gratiam ſufficientem amiſſam ob peccatum Adæ non omnibus reapſe reſtitui. Ibi cap.14. pag.238. ait: *Ea ſententia Auguſtini ſupponit ſinè ullâ fide, & gratiâ, id eſt ſinè ullo auxilio ſufficienti peccari, quandoquidem opera ita operantium deliberata peccata ſunt.* Certè qui peccat, agit contrà legem prout obligantem ad actum oppoſitum. Igitur ſi *ſinè ullo auxilio ſufficienti peccatur*, gratia ſufficiens non eſt connexa cum lege prout obligante in ſtatu naturæ lapſæ. Quomodo veeò in eo caſu ſalvetur libertas, ita exponit: *Et tamen ſuppoſito, quòd non habeat gratiam, adhuc peccabit: nam etſi ſinè gratia ſit ad genus mali determinatus, non eſt tamen determinatus quoad ſpeciem mali: undè adhuc manet cum poteſtate electivâ ad hanc vel illam formam peccati.* Has tamen in anguſtias haud Noriſius redigitue, qui gratiam ſaltem remotam omnibus adeſſe fatetur, ut patet ex ejuſdem teſtimoniis laudatis ad Germanitatem 8. Enimverò Noris eâ paginâ 43. loquitur in hypoteſi cum ſuo Baſilio Poncio, quem ibidem commendat, nempè amiſſam fuiſſe ex peccato Adæ omnem gratiam, ſecluſo beneficio Redemptoris, & addit ſtante hypotheſi, adhuc legem habituram vim obligandi. Hoc in Dæmonibus ac reprobis hominibus patet, quibus nulla datur in inferis gratia ſufficiens, & tamen peccant contrà legem, quamvis quòd ſint in termino, non indè novo demerito obnoxii ſint. Profectò & Adam fuiſſet in termino damnationis, omni gratiâ privatus, niſi divina pietas eidem Salvatorem præparaſſet, utì ex S. Innocentii Papæ deeretis egregiè demonſtrat Auguſtinus lib.6. Oper. impee. cap.11. & pluribus defendit Poncius toto capite 14. partis 1. Releɛt. de gratiâ, cui conſentit Maeedus pag.125. Cortinæ. Verba ſuperiùs eecitavi.

Quintò ex pag.41. col.2. in fine. *Cùm inſtante præcepto, homo non irriſoriè, ſed veraciter Deum debeat orare, ut ſibi gratiam donet ad faciendum mandatum, ſignum eſt non adeſſe in omnibus & ſingulis momentis. Nam ſi adeſt poſſibilitas, ut quid orant?* Et aſſuit hocce Scholion: *Pro efficaci, quia alia ſufficiens non datur niſi ad poſſibilitatem.* Et hic ſolito more periodos mutilat, ut per dolum Germanitates ſimiliores obtrudat. Scribit Noris: *cùm non irriſoriè ſed veraciter Deum debeat orare, ut ſibi gratiam donet, ſignum eſt divinam gratiam neceſſariam ad exequendum opus imperatum, non adeſſe &c.* Ad hoc ut homo exequatue opus imperatum, neceſſaria eſt gratia proximè ſufficiens, ſeu efficax in actu primo, quomodolibet illa efficacia explicetur. Cęterùm Macedus illud Parallеliſtæ Scholion portento ſimile judicat, hæc mirabundus conteſtatus tom.2. Coll.7. ſec.9. p.374.col.2. *Scholaſticorum quoſdam velle, ut auxilium ſufficiens in eo diſtinguatur ab efficaci, quòd nunquam habeat effectum, atque adeò nunquam efficax ſit: quod quidèm eſt alienum à mente Auguſtini, & liberè excogitatum.* Et paulò inferiùs dicit id eſſe *mirabile, & incredibile.* Itaque incredibilis Macedo eſt Paralleliſtæ propoſitio: *Gratia ſufficiens non datur NISI ad poſſibilitatem.* Rurſùs illum qui orat, non habere auxilium proximè ſufficiens ad faciendum opus imperatum, probat Macedus egregiè ex Sancti Auguſtini, ac Tridentinæ poſtea Synodi verbis eadem ſect.9. pag.371. quæ proximè recitabo in eeſponſione ad Germanitatem inſequentem XIV.

Tranſit Paralleliſta ad alteram partem Germanitatis: nempè gratiam ſufficientem non dari omnibus. Hanc theſim, ò bone, per quinque capita Scrinii probavit Macedus à pag.98. uſque ad 241. fuſiſſimè, eruditiſſimè, *Auguſtinianiſſimè*; ita enim de ſe alicubi loquitur. Noris omnibus tùm Judæis, tùm infidelibus gratiam ſufficientem remotam concedit, quam tamen infidelibus negat Macedus pag. 160. Scrinii. Janſenius gratiam ſufficientem tùm proximam tùm remotam de medio ſuſtulit, ac omnes qui culpas admittunt, pœnali peccandi neceſſitati ſubjecit, quâ de re inferiùs ſermo redibit, & ſuperiùs etiam ſatis abundè reſponſum eſt. Quod ex pag.41. lin. 47. col.2. recitat: *Tantùm abeſt ue lex homines adjuvarit, quin potiùs reos fecerit ſinè gratiâ jubendo;* eſt ipſiſſima ſententia Sancti Auguſtini lib. de Grat. & lib. arb. cap.12. *Non quia*, inquit, *lex mala eſt, ſed quia ſub illâ ſunt, quos reos facit jubendo, non adjuvando.* Concludit verò hancce ſuam Germanitatem Janſenianam: *Itaque conſentit cum Janſenio quoad dogma Semipelagianum lib. 2. Hiſt. Pel. cap. 11. pag. 125. lin. 33. col. 2. Capitale Maſſilienſium dogma fuit communem omnibus eſſe gratiam.* Hic detruncat periodum, ut invidiam augeat; nam ita planè Noriſius ſcripſit: *Capitale Maſſilienſium dogma fuit communem omnibus eſſe gratiam; dari verò illam ſuiſmet viribus quærentibus, pulſantibus, petentibus.* Quæ ſanè opinio erronea eſt, nec à Scholaſticis defenditur; quamvis communem gratiam admittant. Nam Semipelagiani adſtruebant communem gratiam ex parte Dei oblatam, non verò reapſe hominibus datam; ſed ad applicationem ejuſdem merita naturalia regularitee requirebant, ut vel ipſi Antagoniſtæ Janſenii probant, Moraines diſp.10. ſect.3. num.16. Decamps lib.3. de Hæreſi Janſen. diſp.8. c.12. n.8. & alii, in quo Janſenius falſus fuit, putans gratiam ſufficientem ex Semipelagianorum opinione non ſolùm omnibus oblatam, verùm etiam datam fuiſſe, quod illi ultimum inficiabantur. At Scholaſtici qui communem gratiam offerri volunt, illam etiam de facto dari omnibus dicunt, nullis tamen naturæ humanæ meritis eandem cuipiam applicantibus.

Digitized by Google

GERMANITAS XIV.

Circà primam propoſitionem damnatam Cornelii Janſenii.

Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant. Damnata in Bullâ Innocentii X. & Alexandri VII.

Conveniunt in principiis hujus concluſionis Janſenius, & Noris. Principia verò ſunt duo. Primum: in lege veteri Judæos caruiſſe gratiâ ſufficiente ad implenda præcepta legis quia hæc non habebat gratiam annexam præcepto, & ſolum docebat homines confugere ad gratiam ſufficientem pro obſervatione præcepti. Secundum: neceſſariam prorsùs eſſe antecedentem orationem, per quam obtineatur gratia ad ſervandum præceptum, quæ ſinè hujuſmodi oratione non adeſt. Hæc duo principia ſunt communia ambobus auctoribus, & patet ex titulo de germanitate legis. Ita Janſenius ſæpè, ac in primis Lib. 3. de Grat. Chr. Salv. Et Noris in Vind. cap. 3. §. 6. Ubi diſſerit de lege, & præceptis. Extendunt verò ambo iſtum defectum, & abſentiam gratiæ ſufficientis à lege, imò & pugnantiam eum lege ad omne præceptum in quocunque ſtatu ſivè Judæorum, ſivè Chriſtianorum, ſivè Infidelium, & negant ſervari poſſe præcepta ſinè gratiæ per orationes actuales impetratione. Hinc ſequitur iſta concluſio. Quandiù homo etiam juſtus eſt ſub lege præcipiente, carere gratiâ ſufficiente ad ejus obſervantiam, quia pro tunc præſtò non eſt talis gratia neceſſaria.

RESPONSIO P. MACEDI.

Non exſcribo hic propoſitiones quas Parallelas inducit, tùm quòd eædem ferè ſunt cum ſuperiùs adductis, tùm quòd Noriſii dicta hìc repetenda ſunt, ac eorum veritas demonſtranda, ſimulque error Janſenii deſignandus. Cùm Noris ſcribit inſtante præcepto, deeſſe auxilium, non de remotè, ſed de proximè ſufficienti loquitur. Enimverò id patet ex locis ab adverſario appellatis. Nam pag. 43. lin. 42. col. 2. Vindiciarum ait: *Lex non infert potentiam PROXIMAM voluntatis.* Pag. 42. lin. 50. col. 1. *Quòd oramus, ſignum eſt divinam gratiam neceſſariam ad exequendum opus imperatum, non adeſſe.* Quæ de gratiâ proximè ſufficienti intelligit ex dictis ad ſuperiorem Germanitatem. Pag. 43. lin. 29. col. 1. legis hominem *deſtitutum gratiâ PROXIME neceſſariâ ad opus implendum.* Pag. 42. lin. 40. col. 1. inquit: *Non ſemper præſto eſt ILLUD adjutorium*, nempè quod habuit Adam *proximè ſufficiens*, ut ibidem probat. Pag. 42. lin. 21. col. 2. *PROXIME ſufficiens*; lin. 52. *Potentiam PROXIMAM.* Quæ ſanè omnia ad oculum legentibus patent.

Videſis cum Macedo Germanitatem germaniſſimam. Hæc loquitur tom. 2. Collat. 7. diff. 3. ſect. 9. pag. 373. col. 1. *Nunc ſumimus ex quo id quod ſatis eſt ad inſtitutum: nempè Auguſtinum auctorem eſſe adjutorium illud* ſinè quo non *inveniri in ſtatu naturæ lapſæ: ſed mutatum, deflexumque: atque adeo multo minùs, quàm tunc ſufficiens; nam tunc ſatis eſſet omninò ex integro ad rectè operandum, nullo alio addito, ſed tantùm accedente concurſu voluntatis ſanæ, & ſanctæ, & integræ. At nunc illud non omninò ex integro ſufficere propter infirmitatem & vitia, & corruptionem naturæ, niſi per novam virtutem augeatur, & creſcat, ſinè quâ eſt tantùm REMOTE, & inchoatè ſufficiens, NON PROXIME, & perfectè ſufficiens.* Rurſus audiatur pag. 371. col. 2. *Etenim*, inquit, *cum illo auxilio aliquid poſſumus, & agimus, id eſt, parvum quiddam & imperfectum: atque ad hoc eſt illud auxilium verè & propriè ſufficiens, imò & efficax ſuo modo, quia cum illo & poſſumus aliquid & agimus: reſpectu tamen actûs magni, & perfecti, atque omninò efficacis ad implendum mandatum, NON eſt PROXIME ac verè ſufficiens juxtà Auguſtinum & Tridentinum: nam adhuc aliquid, quod magnum eſt, non poſſumus. Ecce enim ajunt:* Facere quod poſſis, & petere quod non poſſis. *Ex quo patet poſſe nos eo auxilio aliquid, id eſt, exile & facile. Aliquid* non poſſe, *id eſt, illud magnum & difficile, ad quod ſumus ulterius adjuvandi à Deo, ut poſſimus.* Adjuvat, ut poſſis: *ergo quatenus cum eo poſſumus, ſufficiens eſt; quatenus verò non poſſumus, non eſt ſufficiens.* Habes Macedi voces Noriſii linguæ conſonas, ac concordiſſimas. Ambo negant etiam inſtante præcepto, adeſſe ſemper gratiam proximè ſufficientem; at remotam Noris ſemper adeſſe fatetur.

Opponit alia quædam, quæ paucis diſcutiam: & primò dixiſſe Noriſium *fidem non poſſe movere hominem ad petendum divinum auxilium ad hoc ut poſſit implere præceptum, niſi Deus infundat gratiam actualem, quâ homo moveatur ad orandum.* At hæc eſt communior Theologorum ſententia, qui docent habitus infuſos fidei, ſpei, ac charitatis debere divinâ gratiâ excitari, ut in actus exeant. Legatur Suarez lib. 3. de grat. cap. 8. Vaſquez 1. 2. diſput. 193. cap. 2. Unus mihi pro mille Macedus ſit. Hæc ſcribit in Scrinio cap. 5. pag. 47. *Non ſolùm datur gratia excitans propter difficultatem & excellentiam operis ſupernaturalis, quæ indiget excitatione potentiæ, ſed ex aliâ ratione connaturali, quæ poſtulat, ut habitualis virtus* (ver. gr. fides) *excitetur per motionem actualem, ut videmus fieri in hominibus juſtis & ſanctis, qui cùm habeant gratiam ſanctificantem, & habitus infuſos, tamen ſinè actuali excitatione voluntatis, non poſſunt eos exercere.* Præterea in crimen vocat hæc Noriſii verba pag. 44. lin. 31. col. 1. *Infideles, cùm in Chriſtum non credant, Dei gratiam ad implendam legem non petunt.* Ego certè puto illam eſſe Apoſtoli ſententiam; undè Macedus jure laudat Eſtium hæc ſcribentem: *Quàm multi verò tentati, non petunt; imò quàm multi nec petere poſſunt: ii maximè qui Deum non noverunt; nam,* quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? *Rom.* 10. Lib. 3. de Clavibus cap. 3. pag. 176. Quod planè certiſſimum eſt, nam ex ſpe petimus à Deo, quem adjutorem credimus; quis verò quicpiam petat ab eo, quem in mundo exiſtere neſcit? Igitur infideles quà tales, hoc eſt, prout nullam vel

natu-

Digitized by Google

naturalem, vel ſupernaturalem Dei cognitionem habent, nullum ab eodem auxilium ad implendam legem petunt, imò nec petere poſſunt, dicente Apoſtolo: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?*

Adverſarius ex pag.44. lin.4. col.1. Janſenianæ larvæ, quam Noriſio imponit, lineamenta deſumit; ibi enim hæc leguntur: *Licèt quis ſit fidelis, non habet in ſingulis momentis præſens divinum auxilium ad orandum.* Pag.43. lin.27. col.2. *Homo conatus facere, quæ præcepta erant.* (Ecce conantibus) *Pag. eadem col.1. Dum petis, nondum habes gratiam.* (Ecce volentibus) nam qui petunt, volunt.

Hæc Parallеliſta. Erunt fortaſſe qui me otioſum hominem putabunt, qui tam apertis mendaciis refellendis tempus inſumpſerim. Equidèm veniam peto; nam hiſce fallaciis aperiendis ſtylum admovi, quòd ſcio, pleroſque Noriſii librum evolvere negligentes, impoſturas mendaci Parallеliſtæ manu propinatas, ſorbuiſſe, eidem ex aſſe fidem præſtantes: nec defuere viri aliàs non indocti, qui eidem occinerint: *Euge, Eugepe.* Videſis interim, quos dolos nectat. Noriſius paginâ illâ 44. lin.4. col.1. ſcribit: *Licèt quis ſit fidelis, non habet in ſingulis momentis præſens divinum auxilium PROXIME ſufficiens ad orandum.* Item pag.43. lin.27. col.1. ait: *Dum petis, ut poſſis, profectò ſentis te urgeri præcepto, & ſimul cognoſcis te deſtitutum gratiâ PROXIME neceſſariâ ad opus implendum.* At Parallеliſta utrobique adverbium PROXIME malitiosè ſubticuit, cùm planè intelligeret unicâ illâ voculâ ſuam illam Germanitatem extingui. Sed hoc iam familiari Parallеliſtæ vitio omiſſo, Noriſiani dicti veritatem oſtendo. Etenim vel ſermo eſt de fideli, cùm nullum eidem præceptum inſtat, vel cùm urgetur præcepto. Et quidèm ſi non inſtet præceptum, non adeſſe ſemper auxilium ſufficiens tradunt Bellarminus, Suarius, & ceteri Theologi; nam cùm hoc auxilium nil aliud ſit, quàm illuſtratio intellectus, & inſpiratio voluntatis, quibus bonum nobis aperitur, ac dulceſcit, cùm aliis negotiis intenti ſumus, planè experimur nullas nos tales illuminationes, aut inſpirationes ſentire. Itaque difficultas eſt, quando inſtat præceptum. Utro modo id Noris intellaxerit, neſcio; neque enim rem explicat, ſed veluti curſim attingit. At hoc alterum dubium liceat exponere, ne calumniator iterùm muginetur. Inſtante præcepto, poteſt fidelis in ſe recipere divinam inſpirationem, quâ velit præceptum obſervare; hoc autem eſſe munus gratiæ tradit noo uno loco Auguſtinus. Audiatur lib.6. Oper. imper. cap.11. *Sunt enim quas peccare ita delectat, ut volint, oderintque juſtitiam, quam nec velle aliquis poteſt, niſi paretur voluntas à Domino, ut ad perficiendam juſtitiam præcedat deſiderium voluntatis, & paulatim effectus poteſtatis accedat, aliis citiùs, aliis tardiùs, ſicut Dominus dedit, &c.* Cùm Fidelis à Deo excitatus, vult facere Dei mandatum, poteſt velle idipſum exequi ſuis viribus, putans ſe non indigere ulteriori auxilio Dei. Talem fuiſſe D. Petrum, oſtendit Auguſtinus in lib. de Grat. & lib. arbitrio. Scribit cap.15. *Ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt:* SI volueris, conſervabis mandata: *ut homo qui voluerit, & NON POTUERIT, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret; ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Et cap.17. initio: *Qui vult ergo facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidèm habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam.* Ex his eliditur Recentiorum ſententia, qui potentiam proximam ad obſervandum præceptum ſemper adeſſe commentantur: Parvam illam & invalidam voluntatem Petrum habuiſſe tradit ibidem Auguſtinus, *quando dicebat Domino:* Animam meam pro te ponam; *putabat enim ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat.* Et tract.66. in Joan. *Quid in animo ejus eſſet cupiditatis videbat, quid virium non videbat:* Et in ſerm.124. de temp. *Per ſolum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promiſerat ſe pro Domino moriturum.* Quarè cùm Petrus putaret ſe poſſe, eo errore deceptus, divinam gratiam ad obſervandum præceptum non petiit: Hinc dum ſibi credit, ac fidit, non fuit proximè potens ad orandum; potentia enim proxima ad orandum præſupponit judicium practicum propriæ impotentiæ ad aliquid faciendum, quo poſteà dirigitur voluntas ad alterius opem implorandam. Hinc Fidelis volens ſervare præceptum, ſi de ſuis viribus præſumat, non eſt proximè potens ad orandum, cùm ut talis ſit, debeat priùs erroneum illud judicium deponere. Ita aqua calida non eſt proximè potens ad ſrigeſaciendum, ſed ut talis ſit, debet ab eadem priùs calor auſerri. Profectò quis credat Fideles obduratos in malo, habere potentiam proximam ad orandum? Iſtis enim ſceleſtiſſimis hominibus non pauci Theologi negant adeſſe divinum auxilium, plures remotum tantùm concedunt. Macedus, qui modò mihi pro mille eſt, hæc de eiſdem ſenſit in Scrinio c.11. p.153. *Verum quidèm eſt, iſtos peccatores induratos proximis ſæpè auxiliis carere, & remotis tantùm & remiſſis juvari, quæ tam ipſos leviter ac exiliter excitant, ut præ induratione vix ſatis ſint, & niſi intendantur à Deo, minimè movebuntur.* Optimè & egregiè. Sanè Judæi erant fideles, cùm in Deum crederent, à quo legem acceperant. At hos ut plurimùm præſumpſiſſe eandem legem ſuis viribus implere ex Apoſtolo ad Rom. 10.3. ſæpiſſimè Auguſtinus affirmat. Legatur li.3. ad Boniſacium c.4. Ep.144. Lib. de Grat. & lib.arb. ca.12. De hiſce Fidelibus ſcribit S. Doctur lib.3. con. duas Epiſt. Pelag.cap.7. *Putant enim ſe arbitrii ſui viribus implere legem jubentem, & iſtâ implicati ſuperbiâ ad gratiam non convertuntur juvantem.*

Jam verò illa Janſenii propoſitio damnata fuit ob poſtremam periodum: *deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Nam dum vir juſtus divinâ gratiâ excitatus, vult ſervare præceptum, & reapſe conatur implere; ſi id non poſſit ſinè ulteriori auxilio, per illammet gratiam, quam habet, poteſt vires majores à Deo petere; atque adeò non deeſt illi gratia, quâ præcepta poſſibilia fiant. Profectò gratia, quæ eſt proximè ſufficiens ad conandum, eſt etiam proximè ſufficiens ad petendum alterius auxilium, cùm facilius ſit petere, quàm conari. Quarè cùm homo juſtus, divinâ gratiâ inſpirante, vult ac conatur implere præceptum, & ſimul ſentit ſe à carnali delectatione ad præcepti tranſgreſſionem impelli (hoc enim naturaliter experitur, cùm tentatio ſit motio violenta concupiſcentiæ trahentis ad malum) poteſt Dei auxilium implorare; nam eo ipſo quò quis vult aliquid facere, ac cognoſcit ſe neutiquam poſſe id ſuis tantùm viribus exequi, ſtatim movetur ad petendum auxilium alterius. Eadem ergo gratia, quæ excitat nos ad volendum bonum, accedente cognitione noſtræ infirmitatis à rebelli concupiſcentiâ concuſſæ, quæ nos proximè impotentes reddit ad bonum concupitum aſſequendum, cooperatur nobis, ut petamus auxilium proximè neceſſarium ad implendum præceptum. Quòd ſi quis ſentiens in ſe cupiditatem boni divinitùs inſpiratam, ſuis viribus illud exequi præſumat, haudquaquam illi cooperatur gratia jam habita, ob impedimentum ſuperbiæ, quod apponit. Janſenius lib.2. de Grat. Chriſti ca.27. negavit gratiam, quâ nobis boni cupi-

Digitized by Google

ditas inſpiratur, ſufficete ad orandum. *Hac igitur*, inquiens, *gratia, quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo Dei mandata operetur, ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, UT ORET, ut credat; ad hoc tamen ſatis aliquid, ut illarum, vel alterius cujuſdam cœleſtis rei liberas quaſdam non voluntates, ſed velleitates, vel complacentias explicet, &c.* At Auguſtinus laudato capite 15. de Grat. & lib. arbitrio dicit: *ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe planè velle cognoſcat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Ergo ſupponit hominem cum illâ ſolâ gratiâ, quâ vult ſervare mandatum, poſſe orare Deum, pro impetrando auxilio proximè ſufficienti ad perficiendum opus imperatum.

Non poſſum hic omittere inſignem calumniam, quam Parallelista Noriſio importat ſcribens, hunc dixiſſe *neceſsariam prorsùs eſse antecedentem orationem, per quam obtineatur gratia ad ſervandum præceptum, quæ ſine hujuſmodi oratione non adeſt.* Mentitur ſciens ac volens; nam Noriſius oppoſitum planè docuit clariſſimè, locupletiſſimo S. Auguſtini teſtimonio pag. 43. lin. 60. col. a. Vind. ubi laudatâ hac magni Doctoris ſententiâ: *Ideo enim lex jubet, ut admoneat, quid faciat fides: ideſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: ſi autem continuò poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire, quo donante facit:* ſtatim infert Noriſius: *Ex quibus patet quandoque auxilium proximè ſufficiens præſto eſse, inquit enim: ſi autem CONTINUO POTEST.* Igitur auxilium neceſſarium ad actualem exequutionem præcepti quandoque continuò præſto eſt, aliquando eſt precibus impetrandum. Hæc Noriſii verba recitavit Parallelista in proximâ Germanitate XIII. ut tùm memoriæ, tùm fidei deſectum pati videatur. Hac tam ſpleudidè mentiendi arte lepidiſſimas, belliſſimas, germaniſſimas Germanitates ſibi pingit, ac Noriſio per dolum appingit.

GERMANITAS XV.

Circà ſecundam propoſitionem.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

Hæc propoſitio Janſenii damnata eſt, quia tollit gratiam ſufficientem, & ſolam efficacem ponit. Quam doctrinam etiam ſtatuit Noris ex eodem principio Janſenii, quod eſt: Omnem gratiam peti à Deo, hanc autem non eſſe ſufficientem, ſed efficacem; ut patet ex orationibus Eccleſiæ, in quibus petimus non ſolam poſſibilitatem, ſed cum actione, ideſt, gratiam efficacem.

Janſenius lib. 3. de Grat. Chr. Salv. e. 1. p. 104. col. 1.

Tale adiutorium (ſufficiens) repugnat precibus, quas Deus Eccleſiæ ſuæ tradidit, & inſpiravit. Quis enim non videt pro illis, quibus ſufficiens adiutorium præſtò eſt, inaniter preces fundi? Nam quid ſtultiùs, quàm orare, ut facias (inquit Auguſtinus) quod habes in poteſtate?

Et lib. 5. de Grat. Chr. Salv. c. p. pag. 204. col. 2.

Auguſtinus ſemper illius gratiæ confeſſionem poſtulat, & illam ipſe aſſerit, quâ fit, ut operemur. Et pag. 207. Ut quæ non ſolum poſſibilitatem, hoc eſt poteſtatem agendi adiuvet, ſed etiam voluntatem, & actionem ut velimus, & agamus, quâ operatur Deus in nobis velle, & perficere, ſeù velle & operari. Ibid. col. 2. Inſpiratio dilectionis, ut cognita ſancto amore faciamus, propriè gratia eſt. Præterea lib. 2. e. 17. pag. 65. col. 1. Oratio totius Eccleſiæ hoc probat, ut teſtatur Auguſtinus: Ipſa igitur oratio clariſſima eſt, inquit, gratiæ teſtificatio. Rurſum ibid. Audi Auguſtinum: impetrando quidèm, oratio quidquid impetrat, evidenter donum Dei eſſe oſtendit, ne homo exiſtimet à ſe ipſo ſibi eſſe, quod ſi in poteſtate haberetur, non utique poſceretur.

Noris in Vind. pag. 42. lin. 30. col. 1.

Scribit Auguſtinus libr. de Correp. & grat. c. 11. Adiutorium quibus datur, ſecundùm gratiam datur, *aliàs oratio eſſet ſuperflua, Nam ait Auguſtinus lib. de Nat. & Grat. c. 18.* Quid ſtultius, quàm orare, ut facias quod in poteſtate habes? *Non rogamus, ut Deus det quod habemus, ſed cujus maximè indigemus.*

Pag. 42. lin. 22. col. 2. Neceſſitas orationis elucet, quâ rogamus Deum, ut mandata ipſius implere poſſimus. Iterum: Homo non irriſoriè ſed veraciter debet Deum orare, ut ſibi gratiam donet ad faciendum mandatum.

Pag. 43. lin. 28. col. 1. Sentis te urgeri præcepto, & ſimul cognoſcis te deſtitutum gratiâ proximè neceſſariâ ad opus implendum: undè oras, ut eandem tibi Deus largiatur.

Rurſùm pag. 42. lin. 39. col. 1. In ſtatu naturæ lapſæ non omnibus præſtò illud adiutorium; etenim ſi in poteſtate haberetur, non utique poſceretur; nam ut ait Auguſtinus, ipſa oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio.

Ibid. lin. 61. Aug. libr. 6. Op. imperf. c. 15. Oramus ad Dominum: quod ſi ita eſſet in poteſtate, quomodo fuit antè peccatum, non utique poſceretur orando, ſed agendo potiùs teneretur.

RESPONSIO P. MACEDI.

Antequam Macedi cum Noriſio conſonantiam ſubjiciam, hujus à Janſenio diſcrepantiam recenſebo. Noris in Vindiciis pag. 7. adductis S. Auguſtini teſtimoniis, probat nos *gratiæ debili, incongruæ, ac remotè ſufficienti reſiſtere.* Audias modò Janſenium lib. 2. de Grat. Chriſti Salvat. cap. 22. pag. 235. *Nunquam*, ait, *in ſcriptis ſuis univerſis Auguſtinus illam Chriſti internam gratiam congruam appellavit, multo minus incongruam: quod aliqui Recentiores auſi ſunt.* Addit: *Ubi quod dixit gratia Dei ſemper eſt bona, non alium ſenſum habet, niſi quòd ſemper hominem efficiat bonum, & conſequenter ſemper congrua ſit.* Hinc ibidem cap. 31. conatur explicare teſtimonium S. Auguſtini ex lib. 1. q. 2. ad Simplicianum, quo Noris cum Catholicis Doctoribus paginâ illâ Vindiciarum probat nos *interiori gratiæ reſiſtere.* Accedat modò Macedus, ac ſuffragium de more Noriſio meo, & quondam ſuo ferat. Hic tom. 2. Collat. 7. differ. 3. ſect. 7. pagina 362. colum. 1. ideo probat dari in ſtatu naturæ lapſæ gratiam cui reſiſtimus:

Quòd

Digitized by Google

Quòd tradat Auguſtinus quaſdam gratias parvas, & remiſſas, non efficaces, & vehementes, quæ in nobis efficiunt voluntates parvas, & infirmas, non validas & robuſtas, quibus præcepta non implentur, atque adeo cum his operantes, in lege Dei deficiunt, niſi ampliori gratiâ juventur. Quâ Auguſtini doctrinâ, inquit, *contrà Janſenium probavimus dari omnino gratiam inefficacem, cui reſiſtitur.* Noris gratiam, cui reſiſtitur, *debilem* ab effectu nuncupavit, quia nempè uti ſcitè notat Macedus cauſat volitiones *infirmas & non validas.* Idem pag. 366. col. 2. ait: *Gratia excitans interdum vincitur, cùm parva eſt & remiſſa, interdum vincit, cum eſt magna & intenſa, ut ſuperet reſiſtentiam voluntatis.* Noris eo quòd parva illa gratia ab oppoſitâ delectatione vincatur, *debilem* nuncupavit. Hæc omnia colliguntur ex Auguſtino lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. *Qui vult ergo*, inquit, *facere Dei mandatum & non poteſt, jam quidèm habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam, &c.* Præterea inſigniter imponit Paralleliſta, fingens Norim aſſerere: *Omnem gratiam peti à Deo; hanc autem non eſſe ſufficientem ſed efficacem.* Etenim dari quandoque gratiam proximè ſufficientem ab obſervandum præceptum, etiamſi quis non oret, ſeu illam non petat, evidenter ex Sancto Auguſtino Noriſius probavit, uti in fine ſuperioris Germanitatis oſtendimus. Denique falſum eſt ſolam gratiam efficacem poſtulari à Deo, non verò ſufficientem. Do verba Macedi lib. 3. de Clavibus cap. 3. pag. 171. col. 1. *In omni ſententiâ Infidelibus ſaltem poſtulatur prima gratia, & multa alia, quæ efficaces ex naturâ ſuâ non ſunt; poſtulantur enim illuminationes, & inſpirationes communes Gentilibus, imò & externæ prædicationes, quæ ex ſe non ſunt efficaces; quando autem Eccleſia petit illuminari Gentiles, non diſtinguit modos iſtos illuminationis efficacis, & ſufficientis: ſed indifferenter poſtulat, & procurat iis audientiam Evangelii, quæ ad ſufficientem gratiam plerumque pertinet.* Noris in locis adductis à Parallelista non probat dari ſolùm gratiam efficacem, qui Janſenii error eſt, ſed gratiam proximè ſufficientem non ſemper præſto eſſe ad obſervandum præceptum, idque colligi ex orationibus. Macedus tom 2. Collat. 7. diff. 3. ſect. 9. pag. 372. col. 2. meritò hæc Suarii dicta laudat: *Qui non poteſt, nondum habet auxilium proximè ſufficiens: ſi tamen oret, recipiet illud, & juvabitur*; & addit: *Eſt omninò quod Auguſtinus.* Hoc unum Noriſius intendit. Habes ergo hujus omnimodam cum Macedo conſonantiam

GERMANITAS XVI.

Circà tertiam propoſitionem.

Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſolùm à coactione.

Parallelista huc traſportat Germanitatem XII. ac recitata ibidem Janſenii, & Noriſii teſtimonia iterum ad verbum recantat. Non ſum tam prodigus temporis, aut verborum, ut velim cum faſtidio Lectorum eandem cantilenam repetere. Auguſtini verbis lib. 2. Oper. imperſ. cap. 102. Parallelistæ garrulitatem caſtigabo. *Jam reſponſum eſt; rogo te, aliquid dicere non potes: tace, ſi potes, ſed quod pejus eſt, nec hoc potes.*

GERMANITAS XVII.

Circà quartam propoſitionem damnatam Janſenii, quæ hujuſmodi eſt.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet voluntas humana reſiſtere, vel obtemperare.

In hac propoſitione prima pars non traditur à Noris: quoad ſecundam aliqua ſimilitudo eſt inter utrumque, non tamen ea ſatis exprimitur. In ſenſu aliquatenus conveniunt, in eo ſcilicet quòd ambo negant gratiam illam, quam Adamus habuit, tranſiſſe ad ſtatum naturæ lapſæ, affirmando amiſſam eſſe per peccatum Adæ. Cùm autem ambo item doceant gratiam in ſtatu naturæ lapſæ eſſe diverſam, & comparatam per actuales orationes, ac proinde efficacem, conveniunt in eo quòd iſta gratia vertibilis ad arbitrium noſtrum, quod poteſt ei reſiſtere, vel obtemperare pro ſuo libito, non eſt gratia Chriſti, neque habetur in ſtatu naturæ lapſæ, quam gratiam vertibilem cùm admitterent Semipelagiani, infertur, ſentire utrunque hujuſmodi gratiam non eſſe conformem ſententiæ Catholicorum, ſed tantùm Semipelagianorum; cum hac differentiâ, quòd Janſenius dixit hanc opinionem eſſe hæreſim Semipelagianam; Noris autem tacuit. Aſſumptum verò, ſcilicet negari ab iis tranſiiſſe gratiam primi ſtatûs Adami naturæ integræ ad ſecundum ſtatum naturæ lapſæ ſuperiùs probatum eſt. Breviter dicam, quod ſit ſatis.

Janſenius lib. 3. de Grat. Chr. Salv. pag. 105.	*Noris in Vind. pag. 43.*
Peccato perditum dicit, illud auxilium.	*Amiſſum ex peccato Adæ pronunciavit.*

RESPONSIO P. MACEDI.

Hìc jam tandem colores Parallelistam deficiunt; verùm fucata quædam delineamenta conquirit, ut Germanitatem eo quoque in errore ſi non exactam exhibeat, at ſaltem adumbret. Attamen operam per-

perdit, falſiſque ſemet, ſuoſque imaginibus ludit. Videſis quàm diverſum à Janſeniano errore Noriſii ſententia vultum gerat. In Viodiciis cap. a. pag. 8. lin. 3. col. 1. ait: *Palam fit quoſdam vocanti Deo reſiſtere, quæ etiam ex cap. 11. de Corrept. & grat. deducuntur, cùm adiutorium miniſtratum Angelis antè lapſum, DARI ETIAM IN STATU NATURÆ LAPSÆ quibuſdam, aliis in pœnam peccati non dari ſcribit Auguſtinus; cùm, inquam, iſta docet, de alterâ gratiæ ſpecie debili, incongruâ, & remotè ſufficienti loquitur.* Itaque imponit Paralleliſta ſeribens, Noriſium negare gratiam illam, quam Adamus habuit, tranſiſſe ad ſtatum naturæ lapſæ. Profectò eum Macedo Noriſius concinit; ille enim tom. 2. Collat. 7. differ. 3. ſect. 7. ex profeſſo idem probat, ac ſatis validè pag. 363. col. 2. urget contrà Janſenium idem teſtimonium S. Auguſtini ex cap. 11. de Corrept. & gratiâ. Cùm verò dixiſſet adiutorium ſtatûs innocentiæ fuiſſe *ex æquitate debitum, & veluti connaturale*, ſtatim addit: *Quod aliter eſt in ſtatu noſtro: qui eſt ruinæ, & peccati, cui erat annexa gratiæ privatio.* Idem lib. 3. de Clavibus P. cap. 3. pag. 169. col. 1. ait: *Nam peccatum originale eſt conjunctum cum privatione gratiæ, quâ Deus hominem privare poteſt, non ſolùm ſanctificante ſed etiam excitante, & ſufficiente.* Item in Cortinâ quæſt. 1. art. 9. pag. 125. ſcribens de naturâ lapsâ, ait *in hanc AMISSA GRATIA, & rectiendine incubuiſſe neceſſitatem peccandi, quam ſinè gratia vitare non poſset.* Igitur gratia illa *ſinè quâ non* Adami in ſtatu naturæ ſanæ, demerito peccati ejuſdem, amiſſa fuit, atque ioducta *gratiæ privatio & neceſſitas peccandi.* At beneficio Salvatoris eandem fuiſse homioibus reſtitutam diſertè ibidem Macedus oſtendit, ad quem etiam Noriſius acceſſit, admittens in hoc ſtatu gratiam, cui reſiſtimus, uti proximè recitatis ejuſdem verbis oſtendit. Janſenius ſemel amiſsam illam gratiam, nec unquam oobis reſtitutam, imò etiamſi reſtitueretur, inanem ac prorsùs *perniciofam* vocavit. Totus liber tertius de gratiâ Chriſti adversùs illam gratiæ ſpeciem depugnat. Quod priorem verò hujuſce difformis Germanitatis partem attinet, non ſolùm *non traditur à Noris*, , ut ait Paralleliſta, verùm etiam oppoſitum ab eodem paſſim adſtruitur in Hiſtoriæ Pelagianæ libro ſecundo. Videatur cap. 23. & in Vind. pag. 106. col. 1.

GERMANITAS XVIII.

Circà quintam propoſitionem.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem ſudiſſe.

In hac propoſitione diſcrepat Noris a Janſenio quoad conclusionem, conuenit quoad principium, Non protulit propoſitionem ſupradictam, ſicuti protulit Janſenius. Verùm propoſuit principium, undè illa tanquam conclusio deducitur. Principium autem eſt negare dari ſufficiens auxilium omnibus. Ex hoc enim ſequitur, Chriſtum non fuiſſe mortuum pro omnibùs. Fatetur hoc Janſenius lib 3. de Grat. Chri. Salvat. c. 20. his verbis. *Aliud argumentum pro gratiâ ſufficienti omnium proferri ſolet, quia Chriſtus eſt Redemptor omnium, juxtà illud prima ad Timotheum cap.* 2. Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus *nec enim redemptio omnium ullo modo videtur eſſe poſſe, niſi gratiam ſaltem ſufficientem omnibus præparaverit. Quomodo enim eſt omnium Redemptor, ut ait quidam, ſi non impetravit omnibus auxilium, quo poſſint liberari?* Itaque Janſenius negando gratiam ſufficientem dari omnibus, conſequenter negavit Chriſtum fuiſſe mortuum pro omnibus. Undè ſequitur Norim, qui cùm Janſenio negavit dari omoibus gratiam ſufficientem, teneri ex vi conſequentiæ oegare redemptionem Chriſti pro omnibus. Negaſſe vero utrunque univerſalem iſtam gratiam patet ex ſuperiùs dictis, quæ non oportet repetere; tractando enim de Hebræis, & infidelibus perſpicuè dixerunt: Non omnibus gratiam præſtò fuiſſe Uerum quidèm eſt, Norim metu iſtius conſequentiæ poſuiſſe auxilia quædam remota ſcilicet in Vind. pag. 44. col. 1. & pag. 45. col. 1. Sed iſta auxilia remota poſuit perfunctoriè, ut non excuſaret à peccatis infideles. Nec enim poſſunt eſſe ſufficientia illa auxilia remota, quæ non reponunt voluntatem in actu primo potentem operari.

RESPONSIO P. MACEDI.

Hujus accuſationis nervos non uno loco vir doctus infregit. Hæc ait in Scrinio cap. ultimo pag. 233. *Quintum argumentum à Redemptione univerſali petitum, non indiget ſolutione, cùm toties animadverſum ſit à nobis multum intereſse inter redemptionem univerſalem, & gratiam univerſalem: nam ut Chriſtus ſit mortuus pro omnibus, ſatis eſt obtuliſse mortem ſuam pro omnibus, humanâ ſuâ voluntate: quæ ſi non acceptaretur à Patre, non ſequebatur ex eâ Gratia univerſalis, quæ ex divinâ voluntate pendebat: Undè & ſi admittatur Chriſtus (quod fatemur) omnium eſse Redemptor, non infertur omnibus gratiam conferri, quemadmodum & in Cortinâ ſæpè, & in Mente Innocentii, & ejus apologiá diximus cum Vaſquio 1. p. d. 96. cap. 3. præter alias quas ibi adduximus rationes, quibus ea propoſitio vera ſit, NEC tamen INVOLVAT CONSEQUENTIAM GRATIÆ UNIVERSALIS.* Quæ repetit lib. 3. de Clavibus in calce cap. 3. Vide quàm exactè Macedum Noris imitetur lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 15. pag. 146. lin. 62. col. 1. *Tertia* theſis *ſuccedit:* Chriſtum non eſſe mortuum pro omnibus: *Si explicetur, ita ut homines reapſe futuri ſint participes gratiæ datæ per Chriſtum, non univerſè vera judicatur; etenim plerique nec infimi ſubſellii parvulos in uteris matrum decedentes nullam Chriſti gratiam participare exiſtimant. Si verò meritis infinitis ſanguinis Chriſti, vel humanæ ejuſdem voluntati omnes ſalvare cupienti, derogare velit, prorsùs reiicienda eſt.* Profectò omnia dixit Macedonicè: Non ovum ovo ſimilius eſt. Macedus per plura capita in Scrinio negavit dari omnibus gratiam ſufficientem, ac conſequi inde negavit, Chriſtum non eſſe mortuum pro omoibus. Verùm Noris omnibus auxilia ſaltem remota conceſſit, undè ab illâ conſecutione Paralleliſtæ minus ſibi timen-

mendum putabit. Illa auxilia remota ſunt debiles, ac tenues gratiæ motus, quibus ſi homo infidelis non reſiſtat, majori gratiâ donabitur. Conſtituunt voluntatem in actu primo potentem operari actus debiles, eidem gratiæ proportionatos, quos ſi eliciat, obtinebit potentiam proximam ſervandi mandata, uti docuit Macedus Collat. 10. differ. 3. ſect. 9. ubi fusè de auxiliis iſtis remotis diſputat. At Janſenius lib. 3. de Grat. Salvat. cap. ultimo negat Chriſtum habuiſſe voluntatem ſalvandi omnes: *Vanum*, inquit de reprobis, *pro talibus ſalvandis feriâ voluntate pati ac mori, vanum pro talibus à perditione decretâ liberandis, offerre Patri vota, preces, mortem, ac ſanguinem ſuum.* Hæc Jauſenius.

Paralleliſtæ Epilogus.

Quantum ad hiſtoriam. Contuli quidquid ſcribit Henricus Noris de Hiſtoriâ Pelagianâ, & comparavi cum iis, quæ ſcribit Cornelius Janſenius, & reperi omnia penè eſſe ſimilia, & quamquam auctor de Hiſtoriâ Pelagianâ in quibuſdam diſcreperà narratione Janſenii, ea ſuut pauciſſima, & leuiſſima. Obſervavi enim rarò ab illo citari Janſenium, ideſt octo tantùm vicibus, cùm tamen alios, inter quos eſt Voſſius, & Uſſerius, ſæpius alleget, ue videatur Janſenium tranſtuliſſe, nec mihi iſta ſuſpicio imputanda eſt malevolentiæ, cùm ego ſim procul ab iſto vitio, ſed debui ſuſpicari de cautelâ iſtius Scriptoris, noluiſſe illum argui de transferendo Janſenio, adeò ut in enarrandâ vitâ, deſcribendis moribus, & artibus, & erroribus Pelagii, & Pelagianorum, & Semipelagianorum, appareat ejus librum eſſe breviarium Hiſtoriæ Janſenii, quem item ſequitur tribuendo Origeni ſontem, & originem hæreſis Pelagianæ.

RESPONSIO P. MACEDI.

Fabularem & invidioſam hominis calumniam exufflat Macedus in calce apologetici adversùs notas nobilis Critici pag. 109. *Inſpiciat*, inquit, *inter Patres Auguſtinianos P. Henricum Noris in Scholis Theologicis & Eccleſiaſticis ſpatiis verſatiſſimum, qui ſpes Ordinis altera & Urbis, magna ſuccedit Onuphrio, & nuper INSIGNI edito de Hiſtoriâ Pelagianâ VOLUMINE ingentem ſibi gloriam comparavit.* Item tom. 2. Collat. 10. diff. 2. pag. 579. col. 1. *Accedit illuſtris & recens auctor Auguſtinianus P. Henricus Noris Veronenſis, qui in ſuo* ERUDITO LIBRO *de Hiſtoriâ Pelagianâ &c.* Profectò ſi Janſenii hiſtoriam exſcripſiſſet, turpiſſimi plagii reus, in ſummâ apud eruditos infamiâ verſaretur, ac planè ineptus cenſendus foret Macedus, qui nuperam cornicem alienis plumis ornatam, tam grandi elogio excepiſſet. Quis autem à riſu temperet inaudiens *Noris librum eſse breviarium Hiſtoriæ Janſenii?* Nam Janſenii hiſtoria primo ſtatim libro prioris tomi continetur, ac citrà quadrageſimam paginam ad umbelicum redigitur: Hiſtoria verò Noriſii ad paginam CCCXXVIII. (primæ edit. Pat.) extenditur. Mehercle aut Noriſius verboſiſſimus Epitomiſtes evaſit, qui ſummarium Janſeniani voluminis hoc ipſo quadruplo (ob characteres in Janſenii libro minores quicpiam ſummæ detraho) prolixius concinnavit; aut certè Paralleliſta putida mendacia in Lectorum ora ructatur, qui Noriſii libros tam diffuſos, tam extenſos, unius longè minoris Janſeniani voluminis *breviarium* appellaverit. Hæccine tam palmaris impoſtura *imputanda eſt malevolentiæ?* Ita ſanè qui oculis valent judicabunt, quantumvis clames ac reclames: *ſum procul ab iſto vitio.* Credet Judæus Apella, non ego.

Hiſtoriam Pelagiauam Annalibus Eccleſiaſticis Baronius, vir maximus & incomparabilis inſeruit. Verùm eandem poſtea Spartam aggreſſi ſunt Voſſius, Uſſerius, Janſenius, Rivius, ac Petavius, qui tamen poſterorum ingenia ab eodem retentando opere neutiquam deterruere; etenim diligentiſſimi meſſores eo in campo plurimas, quas alii quoque colligerent ſpicas, reliquas fecere. Et quidèm quàm uberiorem cæteris meſſem tulerint ſeduli & accurati viri Joannes Garnerius, & Henricus Noris, illos ſolùm ignorare puto, qui utriuſque libros ignorant. Cæterùm neque iſtos poſtremam tam vaſto operi manum impoſuiſſe nova P. Paſchaſii Queſnelli V. C. diligentia monſtravit; ſiquidem vir planè eruditus tom. 2. operum Sanctis Leonis Magni diſsert. 3. cui titulus eſt: *De Conciliis Africanis in Pelagianorum causâ celebratis, &c.* Baronii, Uſſerii, Janſenii, Noriſii, ac denique Garnerii ſententiis in examen vocatis, multa ſcitè notavit, quæ memoratos Hiſtoricos ſugère, vel minùs rectè eiſdem deſcripta ſunt; adeo vetuſtioris ætatis cimelia plurium ſæculorum caligine obſita, in obſcuro latent, ut nondum, unâ dicam Baronii manu, ſed nec à tot eruditis poſt Baronium ſcriptoribus in apertam lucem ex integro potuerint revocari. Hìc tamen tuam, Lector optime, fidem, imò ipſius, ſi quam tot mendaciorum concinnator gerit, Paralleliſtæ conſcientiam appello. Quanta meus Noriſius ex Manuſcriptis Vaticanis hactenus ignorata protulit? Vbinam Janſenius ea, quæ Noriſius ſcripſit de Theodoro Mopſueſtieuſi, de Rufini ſcriptis, de Anniano, ejuſque interpretationibus, de Juliani Pelagiani patriâ, nuptiis, Epiſcopali Sede, peregrinationibus, ac libris, de Erote, & Lazaro Epiſcopis, de Primatibus Numidiæ, de Conſtantino Imperatore, de Lirinenſium origine, regulâ, ac doctrinâ, & id genus plurima Noriſio præformauit? Nonne Noriſius integro penè libro ſecundo Hiſtoriæ Pelagianæ res Semipelagianorum complexus eſt, quæ apud Janſenium tertiâ ſtatim paginâ terminantur? Adde exactiorem chronologiam, in quâ ad amuſſim deſcribendâ, tam ſæpè Noris inſudat, cujus tamen curam ſibi levem Janſenius fecit. Dies me, ac ſtylus deficerent, & planè maxima pars Noriſiani voluminis recitanda foret, ſi pluribus tam impudentem, tam prodigioſam, tam ineptam Paralleliſtæ calumniam contunderem, & ſanè Lectorum oculis diffidere viderer, quaſi non ſtatim vel ſolo indice capitum Noriſiani operis luſtrato, hujus à Janſeniano volumine diverſitatem intelligerent. At opponit Janſenium ſcripſiſſe lutulentas Pelagianæ hæreſeos lacunas ex Origenianis fontibus derivaſſe, atque Janſenio ſimiliter Noriſium loquutum eſſe. Verùm hoc ipſum Divus Hieronymus teſtatus fuerat in Epiſtolâ ad Cteſiphontem, his planè verbis Pelagium increpans: *Doctrina tua Origenis ramuſculus eſt.* Videſne Origenem antè duodecim ſæcula in ipſis Pelagiani erroris exordiis, apud Catholicæ Eccleſiæ Doctores eâ infamiæ notâ laboraſſe, quam a Janſenio primùm ima-

Digitized by Google

pactam Origeni, & à Noriſio poſteà exſcriptam mentiris?

Ex his, quæ curſim, & jam jam meas Athenas navigaturus, properante calamo, in literas miſi, ſatìs ſuperque, Lector optime, intelligis ſpurias, quas larvatus Parallelìſta, invidiâ obſtetricante, Germanitates peperit, gerras eſſe germanas, diſtorta parallela, & ſuppoſititiam ſententiarum multis paraſangis diſtantium propinquitatem, ut meherclè cæcutire cenſendus ſit, qui earundem nothiam tam claram, tamque manifeſtam non videat. Ea tamen eſt calumniatorum garrulitas, ut cùm utramque accuſationum manticam excuſſerint, eaſdem cum Lectorum faſtidio cantilenas cantent, ac recantent. Etenim, ut initio præfatus ſum, ille multorum nominum, ac multiplicis patriæ Proteus, qui dudum in ſcenâ Riſbrochium Sarmatam, Hauſenum Germanum, poſteà Guidicciolauum Inſubrem, ac tandem Humbertum Aboriginem luſerat, nuperrimè fratris Hilarii Dalmatæ ſoccos induens, eandem omnino fabulam Illyricis tamen fiſtulis [apage: ne has inſeras, mi doctiſſime Bartoline, tuo erudito, quod modò edis, de tibiis volumini] intercalari carmine: *NOS DICIMUS &c. VOS DICITIS &c.* lepidiſſime mixtam exhibuit.

Nomine mutato, plures cum veſte cucullos
Induis, ut multi ſic videare viri:
Proderis unus homo: Protei ſub imagine ludens;
Dum vario neſcis reddere verba ſono.

Equidem frater Hilarius fabellam, quò nova videatur, à Macedi laudibus exorditur, atque in eaſdem deſinit, quas ſanè non potui non lætis auribus ac cum plauſu excipere, in illas ſubinde voces erumpens: *Euge: Euge:* video enim Macedi, ut potè laudatiſſimi viri, advocationi, quam ſuis in libris Noriſio adeò liberaliter commodavit, plurimum ex tot elogiis auctoritatis pondus accedere. Illud doleo, quòd tantis Macedi encomiis rancidas contrà Noriſium ſatyras inſeruit. Haud tamen vacat veteres calumniarum ſtrophas toties mihi retextas, iterum refutare. Unum quod emiſſitios adverſariis oculos anteà fugerat, intentatum modò Noriſio crimen diſcutiam, quod ejuſdem accuſatoris verbis expono: *NOS DICIMUS: Cæleſtinus Papa indixit Concilium generale Epheſinum: Theodoſius Imperator condixit locum Concilii. VOS DICITIS lib. 2. Hiſt. Pelag. pag. 116. Non Pontifex Cæleſtinus, ſed Theodoſius Imperator indixit generale Concilium Epheſinum;* & ſtatim exclamat: *Hinc eſtis Janſeniani, Bajani, & Noriſiani.* Quòd verò Noris Epiſtolam Theodoſii ad Sanctum Auguſtinum, in quâ dicit Synodum à *S. D. N. Cæleſtino* indictam, apocrypham appellavit, vah quales tragædias excitat, quos ejulatus ſuſtollit! Siquidèm pag. 8. recitatis his Noriſii: *Non Pontifex, ſed Imperator Sacrâ divali Synodum indixit*, ſtatim addit: *Quæ ſinè dolore legi, & ſinè horrore audiri non poſſunt; & tamen iſte liber toleratur, & laudatur à Patronis, & Fautoribus Henrici Noris, cùm debuiſſet proſcribi, & vetari.* Simpliciſſimi adeò viri dolor, & horror riſum mihi, fateor, excutiunt. Quid, mi Lector, hoc homine faciemus, qui tam ſupinâ rerum Eccleſiaſticarum ignorantiâ laborat? Increpabone calumniatoris imperitiam, & tam ineptam, quam Noriſio publico in Piſano Athenæo Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Profeſſori intentat, accuſationem ſeverioribus verbis percellam? Hanc à me ſuperi mentem avertant. Imò in animum induxi chariſſimum fratrem Hilarium, quòd in Eccleſiaſticâ hiſtoriâ totus hoſpes eſt, amicâ manu prehenſum, ad ipſa vetuſtioris Eccleſiæ ſacraria deducere, atque è Sanctis Epheſinæ Synodi codicibus veritatem, quam neſcit, benevolè ac gratis aperire. Da aures, Hilari frater, nam Cœleſtini Papæ verba ſunt in Epiſtolâ ad Theodoſium, qui eundem ad Synodum Epheſinam per literas invitaverat: *Huic Synodo, quam eſſe JUSSISTIS, noſtram præſentiam in his, quos miſimus, exhibemus.* Audin quæ loquatur? Non dixit: *quam eſſe juſſimus;* ſed: *quam eſſe juſſiſtis.* Itaque vides juſſu Imperatoris Synodum coactam. Recitatur hæc Epiſtola act. 2. Synodi Epheſinæ pag. 619. edit. Labbei. Aſcende, quæſo frater Hilari, ad Actionem III. & hoc ipſum Philippus Romanæ Eccleſiæ Legatus ad eandem Synodum à Cœleſtino miſſus, tibi indicabit. *Sanctus*, inquit, *beatiſſimuſque Papa noſter Cæleſtinus Epiſcopus, nos ipſius præſentiam ſupplentes, ad hanc ſanctam Synodum miſit: quam quidèm Synodum convenire JUSSERUNT humaniſſimi, Chriſtianiſſimique IMPERATORES, memoriâ retinentes, & perpetuò cuſtodientes fidem Catholicam, &c: Synodum ergo, ut ſupra diximus, INDIXERUNT, id unum ſpectantes &c.* Pag. 626. edit. citatæ. En Apoſtolicæ Sedis Legatus Synodum ab Imperatore indictam locupletiſſimo teſtimonio pronunciat, ſecus planè aſſerturus, ſi à Cœleſtino, cujus legatum agebat, coacta fuiſſet. Agedum, frater Hilari, quid hac de re ipſi Epheſini Patres pleno ore loquantur, attende. Hęc ſcribunt ad Theodoſium Imperatorem act. 1. pag. 567. *Veſtra maieſtas Sanctas Eccleſias turbari, fideique & veræ pietatis dogmata adulterari non eſt paſſa: verùm ex omni metropoli piiſſimos Metropolitanos qui Epiſcopos adducerent, & aliquos aliarum civitatum Epiſcopos ad diem Pentecoſtes convenire JUSSIT;* & in Synodicâ ad Cœleſtinum Papam pag. 659. *Cùm pia Chriſti amantium Imperatorum edicta, PER QUÆ ſuimus EVOCATI, tempus Sanctæ Synodi conſeſſui præſcriberent diem Sanctæ Pentecoſtes &c.* Credisne ducentis & ampliùs teſtibus oculatis, qui Epiſtolam ad Synodum evocatoriam accepere, quive aſſerunt tum Synodum, tum diem Synodi ab Imperatore indictam? Videſne Pontificiæ evocationis ad Concilium nullam omninò mentionem fieri à Cœleſtino, vel ab ejuſdem Legatis, aut ab ipſamet denique Synodo, ſed omnes conteſtari *Imperatoris juſſu indictam* eſſe? Poſſem te ad Sacram evocatoriam à Theodoſio emiſſam ducere, quæ 1. par. ejuſdem Synodi cap. 32. recitatur. Verùm ipſius Neſtorii, qui in eadem Synodo damnatus eſt, teſtimonium liceat ſubjicere: etenim ex Marii Mercatoris, qui Conſtantinopoli Neſtorium de facie novit, libellis hujus ad Cyrillum Epiſtolam V. C. Garnerius publicavit, in quâ hæc ſcribit: *Placuit verò piiſſimis IMPERATORIBUS, Domino adiuvante, etiam Synodum inexcuſabiliter totius Orbis terrarum INDICERE.* Profectò Theodoſium ipſius Neſtorii inſtinctu, Concilium indixiſse probat P. Garnerius Jeſuita Macedo laudatus ſcriptor. Adeas indicem (nam planè per indices tyrones, qualem te in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ video, ſtudere ſolent) par-

tis

Digitized by Google

tis alterius notarum in M. Mercatorem & lit. T. hæc leges: *Theodoſius junior Neſtorii inſtinctu INDICIT Concilium Epheſim Generale.* Luſtra paginam ejuſdem voluminis 82. & hæc inſuper leges de Epheſinâ Synodo. *Sunt qui credant indictam à Cœleſtino Summo Pontifice.* At neminem deſignat. Viſne, frater Hilari, tibi unum quempiam indigitem, qui in eâ opinione fuerit, quam ibidem validis argumentis vir eruditus impugnat? Is certè Janſenius Iprenſis fuit, qui lib. 2. de Hæreſi Pelag. pag. 30. col. 1. ait: *Coegit neceſſitas Cœleſtinum Romanum Pontificem Epheſi Concilium Oecumenicum indicere.* Jamne vides, jamne ſentis, Hilari, quantam ignorantiam paſſus ſis, dum Noriſio ſcribenti memoratam Synodum ab Imperatore coactam, tuo illo intercalari carmine inſultaſti: *Hinc eſtis Janſeniani*; cùm tu, tu quòd illam opinionem attinet, Janſenio adhæſeris, meus verò Noriſius Sancti Cœleſtini, ejuſdem Legatorum, ac univerſæ Synodi voces exſcripſerit? Igitur reſorbe, ò bone, tuam illam deridiculam cantilenam: *Hinc eſtis Janſeniani*; ac tibi, ſi lubet, occinito. Debueras magnum illum Pontificiæ auctoritatis vindicem Bellarminum conſulere, qui tom. 1. lib. 1. de Conc. & Eccleſ. cap. 12. hoc, unde fons & caput erroris tui, te docuiſſet: *Catholici munus convocandi Concilia generalia, ad Romanum Pontificem propriè pertinere volunt: ſic tamen, ut poſſit etiam alius, Pontifice conſentiente, Concilium indicere, quin etiam ſatis ſit, ſi INDICTIONEM FACTAM ipſe confirmet.* Hoc poſtremo modo habita eſt Synodus Epheſina, uti ſatis evidenter P. Garnerius demonſtravit. Noriſius priori modo à Theodoſio indictam putavit; etenim lib. 2. cit. pag. 115. col. 2. in fine ſcripſit de Theodoſio Auguſto: *Cum Cœleſtino Pontifice egit de Synodo Oecumenicâ cogendâ, quo ANNUENTE, Synodum ad feſtum Pentecoſtes A. 431. apud Epheſum indixit.* Ille tamen ad Garnerii ſententiam forſan accedet.

His de indictâ Synodo adnotatis productas Theodoſii literas ad Auguſtinum diſcutiamus. In primis verborum contextus non unus eſt apud eos Scriptores, qui eaſdem publicarunt. Etenim Ludovicus ab Angelis Luſitanus hocce earundem fragmentum refert: *Decrevimus ad S. D. N. Cœleſtinum totius Eccleſiæ Antiſtitem ſcribere, Concilium cogat, obſervato antiquitatis more, & ut noſtrum pectus agnoſceret, rogavimus: eligeret, quam volet, noſtri imperii civitatem.* At P. Campus Hiſpanus apud Aloyſium Torellum in ſæculis Auguſtinianis A. 431. ita Theodoſium ſcribentem exhibet: *Propoſitum nobis eſt opem ferre S. D. N. Cœleſtino, Epiſcopo univerſali totius Eccleſiæ, nimirum ut ſecundùm receptam à majoribus conſuetudinem, Concilium celebretur. Proin ut hoc votum noſtrum Catholicum planè intelligat, liberum facimus, ut ex omnibus quotquot noſtro parent imperio, civitatem aliquam ſeligat, &c.* Quis hiſce invicem collatis, non ſtatim earundem literarum fidem in dubium vocet? Nequè enim Theodoſius Græcè ſcripſit, ut ea diverſitas interpretibus adſcribi poſſit. Et quidèm titulus *Domini Noſtri* id temporis erat proprius character Imperatoriæ dignitatis, undè Auguſtorum nominibus in nummorum, ac lapidum inſcriptionibus ſub hiſce notis *D. N.* præponebatur. Unus Maximus, qui imperium invaſit, literas ad Siricium inſcripſit: *Domino verè Sancto Apoſtolico viro Siricio S.* At *Dominum Noſtrum* neutiquam appellavit. Ipſe Theodoſius in literis ad Valentinianum, & Auguſtas Leonem magnum nominans, nuſquam Dominum nuncupavit. Deinde quod in priori exemplari legitur: *Concilium cogat*, falſum eſſe monſtravi. At quod in altero ſcribitur: *Propoſitum nobis eſt opem ferre S. D. N. Cœleſtino Epiſcopo univerſali &c.* pari vitio laborat. Etenim Cœleſtinus coactâ Romæ Synodo Neſtorii hæreſim damnaverat, anathema atque depoſitionem eidem interminatus, niſi palinodiam caneret, *intrà decimum*, inquiens, *diem à primo innoteſcentis tibi hujus conventionis die numerandum.* Datæ ſunt literæ A. 430. die 11. Auguſti. Cùm verò Epiſtolam per Poſſidonium ad Cyrillum Alexandriæ Antiſtitem miſiſſet, ut eandem poſteà ad Neſtorium perferendam curaret, Cyrillus *univerſam Ægypti Synodum* indixit, uti legitur act. 1. Synodi Epheſinæ pag. 504. editionis Labbeanæ, in quâ iterùm Patres Neſtorio ſacris interdixerunt. Dum hæc in Ægypto geruntur, Neſtorius rei ſuæ conſulturus, Theodoſium adit, ac Cyrillum livoris ac pravorum dogmatum reum peragens, petit ut rei in Synodo Oecumenicâ diſcutiatur. Annuit Imperator, ac ſacram ad Synodum evocatoriam publicavit. Cœleſtinus in Epiſtolâ ad Conſtantinopolitanos diſertè Neſtorium *petitorem Synodi* fuiſſe pronunciat; & anteà: *Sacerdotale poſtulat, cui non erat interfuturus, examen.* Cæterùm Theodoſius ſacram emiſit die 19. Novembris A. 430. Cyrillus Legatos cum Synodicis literis ad Neſtorium deſtinavit, qui eaſdem Hæreſiarchæ publicè tradiderunt *die Dominico, cùm Synaxis ageretur*: Act. 1. citatâ. Scribit Marius Mercator qui id temporis Conſtantinopoli degebat, Neſtorium accepiſſe *literas denunciationis VII. Idus Decembris*, qui planè fuit Dominicus dies Cyclo Solis XIX. Lunæ XIII. lit. E. At Neſtorius ſacræ Theodoſianæ fiſus, latam in ſe ſententiam contempſit: nam hæc in divalibus literis continebantur: *Nullâ interim antè ſanctiſſimam coactam Synodum, communemque ejuſdem, quæ de omnibus dabitur, ſententiam, factâ privatim innovatione.* Undè Neſtorius futuram Synodum Cyrillo exauctorationem interminanti, objecit. Verba ſuperiùs recitavi. Ipſe etiam Theodoſius Cyrillum acriter per literas increpuit, qui livore actus, tantas Eccleſiæ turbas daret. Leguntur hæ literæ 1. par. cap. 31. Synodi Epheſinæ pag. 433. Ex his conſtat, ſatìs inſulsè in pſeudepiſtolâ hæc Theodoſio ſcripta affingi: *Propoſitum nobis eſt opem ferre S. D. N. Cœleſtino, nimirum ut Concilium generale celebretur.* Cùm potius per indictam Synodum, damnato Neſtorio opem tulerit, ac latæ in eundem à Cœleſtino ſententiæ Hæretici dolis circumventus exequutionem ſuſpenderit. Ex his evidenter etiam evincitur, Synodum, inſcio Cœleſtino, indictam fuiſſe, cùm ejus publicatio antè novemdecim dies contigerit, quàm Cœleſtini, ac Cyrilli literæ Neſtorio traderentur.

Prætereà hæc in pſeudepiſtolâ Theodoſius fingitur ſcribere: *Neſtorius enim Epiſcopus; cùm pietatem omnem, & ſanctimoniam priùs ſimulaſſet, ad extremum malitiam verſipellis ingenii ſui detexit; cùmque Patris eſſet titulo inſignitus, nobis inimicum ſe præbuit, factus ex Paſtore fur, & latro, dum ſeminavit in vulgus nephariam hæreſim in vituperium Redemptoris noſtri ejuſque ſanctiſſimæ Matris &c.* Quis verò neſciat quàm propenſo ergà Neſtorium animo eſſet Theodoſius, antequam in Synodo damnaretur? Etenim & Synodum petenti morem geſſit, & tot turbarum cauſam in Cyrillum devolvit, qui invidus Neſtorium oppugnaret. Imò in literis ad Synodum per Candidianum miſſis, ſcribit Irenæum Comitem nullas eo in conventu partes habere: *ut qui ſolius amici-*

tiæ

tiæ cauſâ cum PIISSIMO Neſtoria Epheſum profectus ſit. Itane piiſſimum vocaſſet, quem ſciret *furem, latronem, ac nephariæ hæreſis* auctorem eſſe? Et hæc quidèm ſcripſit, cùm Neſtorius ad Synodum pergeret.

Denique in eadem pſeudepiſtolâ idem Theodoſius hæc ſcribit. *Rogavimus, eligeret*, nempe Cœleſtinus, *quam volet noſtri imperii civitatem.* Profectò ſecùs loquitur Imperator in Epiſtolâ ad Orientales ſcribens: *Deputavimus enim Epheſiorum civitatem, terrâ marique percommodam.* Pag. 722. edit. citatæ. Verùm ex ſubſcriptione mendacis manus impoſtura dignoſcitur; nam Epiſtola dicitur *Dat. IV. Id. Augusti Baſſo & Antiocho Conſs.* nempè altero menſe poſt abſolutam Synodum Epheſinam, Theodoſius ad eandém Auguſtinum invitaſſet; que quid ineptius ſomniari poſſit non video.

Jam vides, jam ſentis frater Hilari, quibus certiſſimis Epheſinæ Synodi monumentis Theodoſiana illa pſeudepiſtola impoſturæ arguatur. At inquis P. Dionyſium Vuerlenſem Capuccinum rogaſſe per literas Guardianum conventus Patavini, ut vetuſtum illius Epiſtolæ exemplar apud Patres Sanctæ Juſtinæ perquireret, nam indè primùm exſcriptam teſtabatur Lancellotus in libro de Vitâ Sancti Auguſtini. Sed libeat tuis verbis tam bellam hiſtoriam recitare. *Hac Epiſtolâ*, inquis, *acceptâ, miſit idem Guardianus Fratrem quendam nomine Alexandrum, qui ejus exemplum invenit in Patre Torello Eremitâ Auguſtiniano.* Addis eundem poſteà legiſſe Noriſium eandem Epiſtolam reprobantem. *Quod cùm vidiſset*, inquis, *P. Alexander Cappucinus ſcandalizatus manſit... monuitque hac de re ſuum Guardianum, qui zelo, & ſtudio pio & ſancta ſtimulatus ſcripſit Romam ad P. Reverendiſs. Recanatam Concionatorem Summi Pontificis, virum multis inſignem virtutibus Capuccinum &c. Hic eſt eventus Hiſtoriæ.* Mehercle non poſſum quin cùm Martiale reponam.

Bellus Grammaticus; Bellus es Hiſtoricus.

Nolo hìc inquirere quâ fide illa narraveris, Atticâ-ne an Punicâ. Redi interim, redi ſodes ad P. Alexandrum, ac illi meo nomine dicito apud Archivium Benedictini Cœnobii Theodoſianæ Epiſtolæ exemplum inquirendum fuiſſe; non in volumine P. Torelli. Equidèm cùm putarem bonum illum Gamalielem juſſum exemplar reperiſſe in vetuſtiſſimo codice, qui ultrà nongentos annos cum blattis luctatus fuiſſet, tu muſtam chartam producis impreſſionis recentiſſimæ. Addis etiam quòd nullo jure *ſcandalizatus manſit, miratus unum Norim à reliquis omnibus ſuæ familiæ ſcriptoribus diſcordare*; nam Joannes Rivius Auguſtinianus vir planè eruditus, & in ſacrâ ac profanâ Hiſtoriâ ſummâ cum laude verſatus, hæc ſcripſit lib. 4. de Vitâ Sancti Auguſtini cap. 11. §. 9. *Sunt qui ſcribant has literas Theodoſii Imperatoris ad Auguſtinum olim extitiſse, aut etiam nunc extare in Monaſterii Patavini Sanctæ Juſtinæ bibliothecâ, ſed prout editas legi, ſuſpectæ fidei ſunt.* Hæc illi exponito. Teſtaris *P. Guardianum ſcripſiſse Romam ad P. Reverendiſs. Recanatam.* Jam te bellum Grammaticum dixi, qui ſapientiſſimum P. Bonaventuram à Recineto in Picentibus Urbe non Recinetenſem, ſed *Recanatam* nuncupaveris. Cùm fictitia illa Epiſtola omnes mentis tuæ angulos occupaſſet, de facili fictitium illud nomen commentus, Urbem in virum lepidiſſimè commutaſti.

Tres poſtea Epiſtolas ſubnectis, quarum priorem tui Stumelii nullius apud ſcriptores nominis, & alteram Anonymi ad Anonymum nil moror; nolo enim cum larvis luctari. At tertiam luctaris eſſe Illuſtriſſimi Caramuelis, in quâ ſatìs prodigâ manu laudes in Macedum effundit, ac meo Noriſio minùs ſe ſavorabilem præſtat. Hujus hocce initium: *Patres Auguſtiniani & Dominicani (undè undè neſcio) defendere ſolent Janſenium.* Aſt ego probè novi undè adeo ſiniſtram de utraque inſigni familiâ opinionem induerit. Vincentius Baronius Dominicanus, ac Franciſcus Faruacques Auguſtinianus Doctor Lovanienſis piperatis ſcriptis Caramuelem perfricuere. Inde etiam Caramuel Illuſtriſſimo Fagnano quo cum diſſentiebat, Janſeniſmum impegit, quem tamen juratus teſtis affirmem nunquam Janſenii librum vidiſſe. Vio liberè dicam? Illuſtriſſimus Caramuel quòd fœcundiſſimo atque acutiſſimo ingenio pollet, hæc ſcribit in indice ſuorum voluminum ad calcem Theologiæ Moralis Fund. pag. 22. edit. Francofurt Verbo: *PATRES. Non multum ego temporis impendo, aut perdo in veterum libris legendis.* Hinc apud ipſum quicpiam novi ſemper Minerva parturit: Et quemadmodum in cæteris, in præſenti etiam volumine, quod de Architectonicâ ædificat, plurima tradet Vitruvio, quem utì antiquum ſcriptorem fortè non leget, Serliis, Scamozzis, Palladio, aliiſque hactenus ignorata. At Noriſius, cùm probè ſciat quàm curtam domi ſupellectilem habeat, ab antiquis eruditam ſtipem emendicat; neſcit niſi de commentario carioſo loqui; ex vetuſtioris Eccleſiæ monumentis antiquos annales concinnat; cum antiquariis altâ rubigine exeſa numiſmata verſat, reverſatque, Romanas inſcriptiones temporum injuriâ corroſas perluſtrat. Hinc ſtudiorum diverſitas Illuſtriſſimum Caramuelem minùs æquum Noriſio judicem fecit. Quòd verò veluti inſultabundus adjungis: *Videant Patroni & Fautores Noris quem virum habeant adverſarium.* Deſine talibus. Jamdiu eruditi viderunt in Saule Ex Rege doctiſſimi Sinnichii. Tu quoque videſis in laudati operis indice V. *Caramuel*, ita enim te docet libros conſulere. Interim non dubito, quin vir inſignis, & non uno mihi nomine commendandus tibi ſubiraſcatur, qui privatam illam Epiſtolam, ſe inſcio, in vulgus emiſeris, ejuſque nomen tuis hiſce ſcriptiunculis inſerueris, quæ

Sunt Apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis.

Quò tamen te, ò Hilari, demerear, in animum induxi aliud te quicpiam docere; nam inter propoſitiones Noriſii, quas cùm eſſes Risbrochius, inſulſiſſimè ſugillaſti, hanc num. xx. iterum te video in crimen vocare: *Nos dicimus*, inquis, *Papa quà Epiſcopus Romanus, quà Patriarcha Romanus, quà Papa Romanus ſemper habet primatum. Vos dicitis Diſſert. de Synodo V. pag. 65. Papa quà Patriarcha Romanus eſt, non habet primatum ſuper alios Patriarchas. Hinc eſtis Bajani, Janſeniani, & Noriſiani.* Et dudum Dominus Risbrochius pag. 171. uncialibus characteribus eandem theſim Noriſii inſcripſiſti: *CALVINISMUS Henrici Noris.* Hui quale monſtrum! Aſt Noris verba adducamus ex appellatâ Diſſertatione, ubi cum dixiſset tres Sedes Patriarchales, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam à Divo Petro inſtitutas, addit: *Harum Præſules in aliquo conveniunt; in aliis verò plurimùm diſcriminantur. Nam licèt ſpectata jure Patriarchali, tres illi Antiſtites æquali ſint auctoritatis, ac nullus ab altero dependeat, jure tamen Papali uni Sedi Romanæ reliquæ duæ ſubjiciuntur.* Heu quàm longè ab Eccleſiaſticis monumentis, cùm verba recitata Calviniſmi inſimulabas,

deat, jure tamen Papali uni Sedi Romanæ reliquæ duæ ſubijciuntur. Heu quàm longè ab Eccleſiaſticis monumentis, cùm verba recitata Calviniſmi inſimulabas, peregrinabere! Da, quæſo, aures in ditionem meam. Quatuor Eccleſiaſticæ Hjerarchiæ gradus, quorum ſingulis ſpecialis juriſdictio competit, ab eruditis diſtinguuntur; nempè Epiſcopus, dein Metropolita, poſteà Primas ſeu Exarchus, denique Patriarcha. Et hæ quidèm ſacræ poteſtates pluribus communes ſunt. His tamen omnibus Summus Pontifex Romanus, qui Papa dicitur, ſupereminet, ac in reliquos omnes juriſdictionem exercet. Porrò Summus Pontifex Romanus unà ſimul eſt Epiſcopus, Metropolita, Primas, Patriarcha, ac deoique Papa. Utì Epiſcopus Urbis Romæ ſacra adminiſtrat, Clericos ordinat, conficit chriſma, & id genus alia peragit, quæ cæteri etiam Epiſcopi præſtant. Verùm ut Metropolita propriam diœceſim habet, nempe à Flaminiâ uſque ad Siciliam. Hinc omnium illarum provinciarum Epiſcopos conſecrabat, omnes ad provinciæ Synodum evocabat, Oratoria conſecrandi facultatem eiſdem dabat, &c. Hac eadem poteſtate antè initium quinti ſeculi pollebant Metropolitæ Aquilejenſes ac Mediolanenſes; neque enim eorundem provinciarum Epiſcopos Romanus Pontifex conſecrabat, ſed laudati Metropolitæ, quæ veterum Pontificum teſtimoniis probat ibidem Noriſius pag. 67. Item iidem duo Antiſtites ſuas Synodos provinciales unà cum ſubditis ſibi Epiſcopis cogebant, quod ex D. Ambroſii, Hieronymi, aliorumque veterum monumentis intelligitur. Præterea Pontifex Romanus erat Primas ſeu Exarchus totius Italiæ. Hinc cùm Mediolanenſis Metropolita eligendus foret, Romanus Pontifex legatum Mediolanum mittebat, qoi electioni intereſſet. Hoc probat Noris ex D. Gregorio Papa pag. 44. differt. ejuſdem. Prætereà utriuſque Metropolitæ conſecratio ad Romanum Pontificem ſpectabat, licèt ob longioris itineris moleſtias, mutuam utrique conſecrationem indultam fuiſſe teſtetur Pelagius Papa in Epiſtolâ ad Joannem Patricium. Hæc juriſdictio appellatur primatialis, quam Papa cum aliis Orbis Chriſtiani Primatibus Exarchis communem habebat, atque intrà primatialem diœceſim exercebatur. Denique Romanus Pontifex erat Patriarcha totius Occidentis, nempè totius Europæ uſque ad Thraciam, & ſex provinciarum Africæ, quæ ad Imperatores Occidentis pertinebant. Patriarcha Antiochenus diœceſim Orientalem: Alexandrinus Ægyptiacam & Africanam uſque ad confinia Tripolitanæ regionis regebant. In eo conveniebaut tres Patriarchæ, quòd vaſtiſſimis præerant diœceſibus, in quibus plures ſibi ſubjecti Metropolitæ numerabantur; unde & numeroſas Synodos celebrabant, Metropolitas ordinabant, ac celebratas ab iſtis provinciarum Synodos confirmabant. Illorum erat omnes Antiſtitas diœceſeos Patriarchalis ad ſe evocare, judicatas ab eiſdem cauſas retractare, appellationes admittere, Epiſcopos ac Metropolitas in magnâ Synodo deponere, aliaque id genus exequi, de quibus Hallierus eruditiſſimè agit in prægrandi volumine de Hierarchiâ Eccleſiaſticâ. Patriarchæ Alexandriæ, & Antiochiæ omnia illa peragebant, nullâ à Romano Patriarcha priùs facultate impetratâ, ex quo fit ut ad illa exequenda, pari cum Romano Patriarcha auctoritate, ac juriſdictione pollerent. Jam verò attendas, Hilari, Riſbrochi, Humberte, ſeu quocunque nomine appellari velis, nam pari ignorantiâ ac petulantiâ unus homo inſultatis.

Pontifex Romanus *quà Patriarcha* habebat peculiarem diœceſim, intrà quam eam juriſdictionem exercebat, quam ad collegarum Patriarcharum diœceſes non extendebat. Idem ſacra jura toti etiam Illyrico dicebat, Apoſtolicas ibidem vices Antiſtite Theſſalonicenſi ſuſtinente. Hæc patent ex Pontificiis literis, quæ in Romanâ Synodo Bonifacii II. ab Holſtenio inventa, & ab Eminentiſſimo Barberino ſacri Collegii Decano magno Eccleſiaſticæ eruditionis incremento publicata, leguntur. Hæc juriſdictio Patriarchalis fuit ab Apoſtolis ordinata, non autem à Chriſto Domino Romano Pontifici collata. Hinc cùm Atticus C-P. Illyricam diœceſim invaſiſſet, Bonifacius I. Papa ex decretis Patrum, integra ſibi jura in illis provinciis ſervare conatus, Honorii Imperatoris opem imploravit, qui Papę poſtulata Theodoſio exponens: *Petit enim*, inquit, *ut hæc privilegia, quæ dudum à Patribus conſtituta, uſque ad tempora noſtra ſervata ſunt, inconcuſſa perdurent:* Epiſt. 11. laudatæ Synodi. Cui Theodoſius morem gerens, ibidem Epiſt. 12. reſcribit: *Undè omni ſupplicantium Epiſcoporum per Illyricum ſubreptione remotâ, ſtatuimus obſervari, quod priſca Apoſtolica diſciplina, & canones veteres eloquuntur.* Et idem Bonifacius Epiſt. 9. ad Epiſcopos per Theſſaliam Attici rapinas increpans ait: *Leguntur etenim præcepta majorum, & quibus in Eccleſias juris aliquid dederint, invenimus.* Cùm Anatolius Antiſtes C-P. ſecundum ſibi locum inter Patriarchas vindicare conaretur, S. Leo Papa datis ad Imperatorem Marcianum literis, hominis ambitum perſtringens: *Privilegia enim*, inquit, *Eccleſiarum Sanctorum Patrum canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nullâ poßunt improbitate convelli, nullâ novitate mutari.* Cùm verò jam inde à Leonis Iſauri imperio Patriarcha C-P. Illyricum, Siciliam, ac Calabriam in ſuæ Sedis jura tranſcripſiſset, Hadrianus I. ab Imperatore Conſtantino, & Irene Auguſta petiit, ut ablata ſibi redderentur; *Conſecrationes*, inquiens, *Epiſcoporum ſeu Archiepiſcoporum, ſicut alitana conſtat traditio, noſtræ diœceſis exiſtentes penitùs canonicè S. Reſtituantur Eccleſia.* Nicolaus I. Epiſt. 4. ad Michaelem Imp. in fine ait: *Volumus, ut conſecratio Syracuſano Archiepiſcopo noſtrâ à Sede impendatur, ut traditio ab Apoſtolis inſtituta, nullatenus noſtris temporibus violetur.* Notes velim, Hilari, Hadrianum *diœceſim noſtram* dicere, quæ regionem ſignificat, in quam jus *quà Patriarcha* exercebat, ac proinde eum quà Patriarcham, habuiſse particularem diœceſim, ſicuti alii Patriarchæ ſuas etiam peculiares diœceſes poſſidebant; & juriſdictionem tùm Patriarchalem tùm Metropoliticam innixam dici *traditioni ab Apoſtolis inſtitutæ.* Hæc tamen Patriarchica juriſdictio potuit augeri, vel minui; imò nova etiam inſtitui, utì contigit apud Sedem C-P. cujus Antiſtites in Patriarchas evecti, tres autocephalos Primates antiquarunt.

Verùm præter quatuor Eccleſiaſticæ, ſeu ſacerdotalis, ut veteres vocabant, dignitatis gradus, quos Pontifex Romanus cum aliis Epiſcopis, Metropolitis, Primatibus Exarchis, ac denique Patriarchis communes habebat, quibus ſigillatim peculiaris juriſdictio competebat, particulari ac ſibi tantùm proprio honore, atque auctoritate in Petro Apoſtolo à Chriſto Domino decoratus fuit, quâ in Eccleſiam univerſam juriſdictio eidem tradita eſt; undè univerſalis Epiſcopus jure dictus, quamvis humilitatis gratiâ id tituli recuſarit. Hæc ſuprema dignitas papalis

juriſdictionis nomine modò venit, uti & ſolus Summus Pontifex jam indè à tot ſæculis Papa nuncupatur. Hinc Gregorius VII. in Dictato can. 2. decrevit: *Quòd Papa eſt unicum nomen in mundo.* Et in Synodo VIII. act. 10. can. 21. jubentur ſinguli *omni reverentiâ & honore dignos judicare, præcipuè quidèm ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, deinceps autem Conſtantinopoleos Patriarcham, deinde verò Alexandriæ, ac Antiochiæ, atque Hieroſolymorum.* Ita vel ab ipſis Græcis uni Pontifici Romano titulus Papæ, altis Patriarchæ delatus fuit. Hujus papalis juriſdictionis à Patriarchali diſtinctæ egregium teſtimonium habemus in Bonifacii Synodo ſuperiùs memoratâ, in quâ Theudoſius Echinienſis in Theſſaliâ Epiſcopus ſeſſ. 2. his Bonifacium Papam alloquitur: *Conſtat venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes Apoſtolica Eccleſiarum ſibi jure vindicet principatum, & ſolam Eccleſiaſticis cauſis UNDIQUE appellare neceſſe ſit; SPECIALITER tamen gubernationi SUÆ Illyrici Eccleſias vindicaſſe. Et nota ſunt vobis omnium præcedentium ſcripta Pontificum &c.* Ex his habes, frater Hilari, jus papale, ratione cujus *undique* nempè ex univerſo Orbe Catholico licet Apoſtolicam Sedem appellàre, & illa judicatas à Patriarchis cauſas iterùm recognoſcere poteſt, injuriâ damnatos abſolvere, injuſtè abſolutos damnare; Synodalia Patriarcharum decreta reprobare; fidei dogmata definire, atque univerſis aſſenſum imperare; Patriarchas ac cæteros Antiſtites Romam in judicium vocare; quæ ſanè Romanus Præſul exequitur, non uti Epiſcopus Urbani diſtrictus, non quà Metropolita, aut Primas Italiæ, non quà Patriarcha Occidentis, ſed utì Papa per juriſdictionem ſibi in Apoſtolo Petro à Chriſto collatam. Rursùs intelligis Pontifices Romanos quà Patriarchas Illyricum *gubernationi ſuæ vindicaſſe.*

Vin' exemplo hucuſque dicta explicem? Leopoldus Pius, Felix, Auguſtus unus idemque eſt Imperator Germaniæ, Rex Bohemiæ, Archidux Auſtriæ, Comes Tirolis &c. Quà Imperator jus habet in universâ Germaniâ, comitia indicit, militum ſubſidia, annonam, hyberna imperat &c. quo jure etiamſi careret, juriſdictionem tamen haberet in Bohemiâ, aliiſque provinciis quas titulo Ducis, aut Comitis poſſidet. Itane Noriſium Auguſtæ Majeſtatis reum perageres, ſi dixiſſet: *Leopoldus Auguſtus quà Rex Bohemiæ, non habet primatum juriſdictionis in totâ Alemanniâ?* Imò ſi ſecus diceret, ſibilis exciperetur. Audias modò omnium Jeſuitarum poſt Petavium, eruditiſſimum Sirmondum lib. 2. Propemptici cap. 10. pag. 306. *Sic*, inquit, *in Eccleſiæ Romanæ Antiſtite, qui unus omnes Epiſcoporum gradus & titulos amplectitur DISTINGUENDA ſunt JURA uniuſcujuſque poteſtatis: quid nimirum ab illo tamquam Epiſcopo in Urbe, urbiſque paræciâ geratur, quid tanquam à Metropolitano in Provinciâ Romanâ: quid ut Primas juris habeat in Italiâ: quid UT PATRIARCHA in Occidente, quid poſtremò UT PAPA, & ſummus Pontifex in Eccleſiâ univerſâ.* Audin ut vir, qui in Eccleſiaſticis monumentis longiſſimam vitam vixit, Noriſio eo in ſtadio lampadem prætulerit? Nonne, ò bone, rubore ſuffunderis, qui tam ſupinâ in re Eccleſiaſticâ ignorantiâ laborans, certam Catholicis Scriptoribus ſententiam nempè: *Papa Romanus quà Patriarcha Romanus eſt, non habet primatum juriſdictionis* [nam dignitatis nec Hæretici inficiantur] *ſuper alios Patriarchas*, Calviniſmi inſimulaveris; unde ridiculus ille titulus tibi etiam ſomniatus: *CALVINISMUS Henrici Noris è* Lege Hallierum lib. 4. cit. cap. 3. art. 3. Lupum in notis ad cap. 5. Tertulliani pag. 157. ſi uni Sirmondo fortè non credis. Vereor tamen ne quòd debili es ſtomacho, tam multiplici eruditioni concoquendæ ſis. Ubi, ubi eras dum de Calviniſmo Noriſii cogitabas? Certè extrà tuæ Scholæ cancellos longiùs errabas. Tu cum ſodalibus Scotiſtis formalitates, ac diſtinctiones ex naturâ rei propugnas; unde etiam dicis: Homo quà animal ſentit, non intelligit; quà rationalis intelligit, non autem ſentit; licèt una eademque res ſit, quæ & intelligit & ſentit; nam ſentire, quod eſt bruturum, & intelligere, quod competit ſubſtantiæ purè ſpirituali, in uno homine realiter, quamvis non formaliter identificantur. Hæc probè intelligis; his enim vocibus veſtra ſchola perſonat, in quâ tu quoque in limine hujuſce tui trium foliorum voluminis nuncuparis *Lector Generalis.* Agedum cape etiam me magiſtro, quòd cùm jura ſacerdotalia diſtincta ſint, ratione unius aliquid de Romano Pontifice affirmatur, quod ratione alterius negatur; quamvis uni eidemque Antiſtiti ea diverſa jura competant. Ne tamen putes eadem formaliter tantùm diſtingui: nam reapſe potuerunt invicem ſeparari; quâ de re conſule Sirmondum laudato cap. 10. pag. 305. neque enim, cùm hac in paleſtrâ tyro ſis ac nondum Lector Jubilatus, omnia momento doceri potes. Caveſis tamen ne appellatam Sirmondiani voluminis paginam vertas; nam illa leges, quæ te vidiſſe pudebit. Eadem uni tibi in aurem inſuſurrabo: Hæc ipſiſſima contrà Salmaſium Sirmondus ſcribit pag. 307. *Stultum autem ac planè ridiculum, cùm peculiarem Papæ provinciam ſine injuriâ dici & eſſe non abnuas, ſpecialem illi diœceſim ſine univerſalis diœceſis noxâ, tribui non poſſe ſuſpicari.* Itaque tua opinio Salmaſii Calviniſtæ ſomnium fuit, qui negavit Pontificem Romanum *quà Patriarcham* habuiſſe juriſdictionem ſolummodò in Occidente, quod dictum Sirmondus *STULTUM ac planè RIDICULUM* ignominiæ causâ nuncupavit. Si via ipſamet Salmaſii verba, haud neceſſe eſt, te illius Euchariſticon emere; illa tibi gratis exhibet meus Noriſius in eâ ipsâ pag. 126. Diſſert. de Synodo V. ex quâ per ſummam, non dicam impudentiam, ſed inſcitiam, Calviniſmi crimen concinnaſti. Abi ergo jam tandem, Hilari, optimè à me edoctus, ſententiam Noriſii veterum Eccleſiæ monumentorum, ac inſignium Scriptorum Catholicorum teſtimoniis firmari; tua verò opinionem eſſe *ſtultum ac planè ridiculum* Salmaſii Calviniſtæ portentum. Hanc tamen abs te grati animi vicem peto, ut in poſterum ſileas, ac tam imperitas manus ab Eccleſiaſticâ hiſtoriâ abſtineas, ne quemadmodum in præſenti contigit, eruditorum cachinnis excipiare; neque enim cæteri meam in reſpondendo patientiam atque modeſtiam ſervabunt. Hoc age, ſi ſapis. Cæteras quas garris, Riſbrochianas nænias, exufflabo in confutatione pſeudepiſtolæ, quam huic opellæ ſubijciam. Interim ſuperi meliorem tibi mentem duint. Vade ac vale.

Cate-

Digitized by Google

CÆterùm antequam manum de tabula tollo, vos hic compellare libet, Macede, ac Noris, chara mihi capita, ac toties hac in opella laudata nomina. Utrumque veſtrum per ſacra, quæ vos inter tùm Romæ, tùm Patavii tot annos viguit, amictiæ jura oro & obteſtor, ut hancce apologiam grata fronte excipiatis. Enim verò, ni mea me fallit opinio, ſpero fore, ut vobis hoc ſcriptum acceptum ſiet, ſimulque igniculos excitet, quibus mutuus vos inter amor iterùm accendatur. Jam ſatis, Amici, luſiſtis operam; jam ſatis rudibus batuiſtis; jam tandem mutuos in amplexus ruite, qui tanta ſententiarum affinitate invicem copulamini. Noris, ò Noris, quantum gratiarum Macedo debeas, qui cùm ſemel, & iterùm plurium errorum inſimularere, illicò oppidòque editis abs ſe libris, non quidèm ſolatio litis, ſed planè virium auxilio venit, ut unus ille tibi Palladium ſit, ac ſacra anchora in tempeſtate. Macedus impactam tibi Baianiſmi notam, amica manu deterſit. Idem cùm Janſenianæ poſteà conſpirationis à fallaciſſimo ac mendaciſſimo adverſario accuſareris, tam invidioſi hac tempeſtate nominis crimen à te procul excuſſit, ac toties per ſignatas tabulas, tradita abs te doctrina potentiſſimus ſuffragator acceſſit. Tantam quoque animi tui, Macede, fiduciam habeo, ut minimè verear, quin Noriſium mea ad te manu deductum, hilari & ſerena fronte excipias, ac tuo in ſinu tot jam clamoribus obtunſum caput reclinantem foveas, ſimulque in certam, te patrocinante, ſpem victoriæ erectum dimittas. Hic ille Noriſius eſt, tuus

olim Romæ ac Patavii inter paucos amicus, tuus Hoſpes, cùm primùm Athenas Venetas appuliſti; tuus Conſus, cùm ob illud ferè tibi ultimum epigramma, ſummo in diſcrimine verſarere; tuus Encomiaſtes, tuique nominis, ac doctrinæ vocaliſſimus buccinator; tuus ille denique, qui unus tibi omnia erat. Vos, vos iterùm per hoſpitales teſſeras, per ſacrum Amicitiæ Numen, per adoratum utrique Auguſtini nomen, communemque in ejuſdem caſtris militiam, conteſtor, ut literariis hiſce diſſidiis nec veſtro nomine, nec poſterorum dignis memoria, intermiſſis, animum ad pacem revocetis, & ne reſidua ira maneat, præterita oſculis placeat aboleri. Aureis Auguſtini veſtri, imò & mei in Epiſtola decimatertia ad Hieronymum verbis concludo. Hoc magnum & triſte miraculum ex amicitiis talibus ad has inimicitias perveniſſe; lætum erit & multo ampliùs ex inimicitiis talibus ad priſtinam concordiam revertiſſe.



Digitized by Google

CONFUTATIO PSEUDEPISTOLÆ

Sub nomine P. Henrici Noris per dolum publicatæ.

CUm Riſbrochius neſcio quis ficti nominis æque ac multiplicis impoſturæ Auctor, famoſum contrà edita ab Henrico Noriſio volumina, libellum evulgaſſet, idemque graviſſimo ſtatim Eminentiſſimorum Patrum decreto veluti in cunis ſuffocatus fuiſſet, egrè & acerbè latam in ſuum librum ſententiam ferens, non jam aperto Marte, ſed inſidiis Noriſium iterum oppugnandum ſuſcepit. Itaque Epiſtolam quandam mendaci manu exaravit, eique Noriſii in titulo nomen, quaſi ab eodem ſcripta eſſet, affixit. Porrò in hac doloſâ ſcriptiunculâ Noriſius ob damnatum Riſbrochii libellum, quaſi juveniliter tripudians inducitur; quippe qui ſibi in Romano decreto victoriam canat, ac Auguſtinianos ſodales ad epinicia grandioribus tibiis unà ſecum modulanda invitet. Fingit ipſum jactare eâdem Riſbrochii confixione non tàm iſtius hominis aſſertiones damnatas eſſe, quàm ſuas ipſius, quas ille perſtrinxerat, theſes albis Romanorum judicum calculis adprobatas, omni cenſurâ immunes evaſiſſe. Næ meus Noriſius adeò inſigniter hallucinari potuit, ut tam præpoſterè judicaret? Nemo enim ignorat apologias non tam ob errores, quàm ob effrænam conviciandi licentiam plerumque damnari. Cæterùm impoſtor quò imperitis, vel etiam doctis, ſed harumce rerum incurioſis, fucum faceret, indicem plurium propoſitionum Riſbrochii ſubnexuit, quibus totidem ex Noriſii libris antitheſes oppoſuit, eâ planè fide, quâ Epiſtolam concinnavit. Equidèm huic bipedum mendaciſſimo non modò non indignor, verùm etiam neſcio quid illi gratiarum me debere fateor; Etenim ne longiuſculæ Riſbrochianæ ſatyræ lectione fatigarer, univerſas ejuſdem impoſturas in ſuppoſititiam illam Epiſtolam, veluti in ſummarium, redegit; quamvis eo conſilio id doli eum feciſſe puto, ut ſparſa toto volumine venena, in valentiorem brevioris Epiſtolæ ſuccum contraheret, quo ſtatim Lectores tot errorum monſtris deterritos, in Noriſianarum theſium odium atque execrationem excitaret. At maximo tibi, ò mi Noris, ſolatio ſit, quòd optimè noris ſummos plerumque viros ficititiis hiſce literis in honoris, imo etiam in capitis periculum vocatos, qui tamen fraude calumniatorum detectâ, majori quàm anteà famâ illuſtres evaſere; ea enim eſt vis veritatis, ut cum mendaciis penè oppreſſa, ſuccumbere videatur, vehementiori impetu doloſa quæque adverſariorum machinamenta dejiciat. Enimverò ſpero fore ut Noriſii ſententiæ eruditorum judicio probentur, ubi palam fecero eaſdem dolis tantùm ac præſtigiis oppugnari, ac adverſarios eaſdem ſemper cantilenas cum lectorum nauſeâ repetere: cujus ſanè vitii ne reus fiam, decrevi Lectores ad priores à me editas apologias remittere, ac paucis mentitæ hujus Epiſtolæ ſtrophas confutare, quod ut breviùs exequar Noriſii tantùm propoſitionum ſeriem, uti ab adverſario deducta eſt, recitabo.

Propoſitio Prima. *Evidens ſit concupiſcentiam ſecundùm propriam eſſentiam eſſe malam, non verò ob imperfectionem annexam.* In Vind. cap. 3. §. 2. Lege quæ ſcripſi in reſponſione ad Germanitatem tertiam.

II. *S. Auguſtinus admiſit Manichæis hypotheſim de concupiſcentiâ ſecundùm propriam eſſentiam malâ, & in eo ſenſu conceſſit Manichæis Deum eſſe laudandum, ſi cum eâ hominem condidiſſet.* Ibidèm. Hac de re dictum eſt ad Germanitatem III. Et quidèm dato quòd homo non potuiſſet condi ſinè concupiſcentiâ, ita ut hæc eſſet proprietas inſeparabilis, adhuc laudandum Deum tradit Auguſtinus, quia homo quamvis neceſſitate naturæ haberet concupiſcentiam, nullâ tamen neceſſitate eidem conſentiret, cùm divinâ gratiâ contrà illius impetus muniretur.

III. *Concupiſcentia ſecundùm propriam eſſentiam mala, prout eſt pœna, intenditur à Deo ſicuti mors.* In Vind pag. 16. lin. 8. col. 1. Ita planè docuit Sanctus Auguſtinus lib. 4. Oper. Imperf. cap. 32. & 33. Mors & concupiſcentia ſunt pœnæ peccati originalis, ac mala homini Dei judicio ob culpam inflicta. Mors tollit eſſe hominis: concupiſcentia bonum eſſe ejuſdem. Lege Aureolum S. R. E. Cardinalem 2. ſent. diſt. 32. art. 2. ad 1. Neque conſequens fit ut Deus dicatur velle peccata, quorum cauſa eſt concupiſcentia, uti Riſbrochius objicit. Eſt Juliani ſophiſma lib. 4. cit. cap. 35. quod optimè diſſolvit Auguſtinus exemplo ſubtractionis divini auxilii in pœnam præcedentium peccatorum; non enim quæ tunc conſequuntur peccata, in Deum referuntur. His adde concupiſcentiam inclinare tantùm ad peccatum, quod tamen, niſi accedat liber conſenſus voluntatis, non perpetratur. Et Deus gratiâ ſivè proximâ, ſivè remotâ nos contrà eandem concupiſcentiam adjuvat.

IV. *Niſi intercederet concupiſcentia, quæ eſt cauſa incurrendi peccatum originale, per ſimplicem concubitum maris & fœminæ non contraheretur peccatum.* In Vind. pag. 38. Eſt mera impoſtura Noriſio affícta, quam exufflavi ad Germanitatem VI.

V. *In ſtatu naturæ lapſæ non omnibus datur, nec præſto eſt adjutorium gratiæ ſufficientis ad operandum urgente præcepto.* In Vind. pag. 42. Mutilat per dolum periodum; nam paginâ illâ 42. lin. 21. col. 2. ſcribit Noris: *PROXIME ſufficiens adjutorium non ſemper præſto eſſe.* Repete dicta ad Germanitatem XIV.

VI. *Non datur gratia proximè ſufficiens etiam in occaſionibus ſervandi præceptum, niſi antecedat oratio actualis.* In Vind. pag. 42. 43. Nuſquam hæc dixit Noris; imò oppoſitum luculenter demonſtravit ex S. Auguſtino, uti patet ex dictis in fine reſponſionis ad Germanitatem XIV.

VII. *Rejicienda eſt ſententia illorum, qui dicunt gratiam ſufficientem ſemper adeſſe, cùm lex obligat.* Pag. 43. lin. 31. col. 1. Corrumpit textum; nam

apud Noriſium legitur: *qui dicunt gratiam PROXIME ſufficientem, &c.*

VIII. *Lex obligat, etiamſi non adſit gratia proximè ſufficiens.* At hæc eſt communis Theologorum ſententia, qui ſcribunt ſufficere gratiam remotam. Ita Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 7. Poncius 1. p. ſelect. de grat. cap. ult. Suarez lib. 4. de grat. cap. 2. Macedus cap. 8. Sceinii pag. 81. Decamps lib. 3. de Hæreſi Janſ. diſp. 8. cap. 11. Gonetus diſp. 5. de reprob. art. 6. §. 2. &c. Plura habes in reſp. ad Germanitatem XIII.

IX. *Fides non poteſt movere hominem ad petendum divinum auxilium, niſi Deus infundat gratiam.* In Vind. pag. 43. in calce col. 2. Et hæc eſt communior Theologorum ſententia. Conſule dicta ad Germanitatem XIV.

X. *Nullis niſi volentibus & petentibus per actualem orationem, datur gratia excitans, & vocans ad benè operandum.* Pag. 42. 43. Eſt pura puta impoſtura, ut oſtendi ad Germanitatem XIV. in fine.

XI. *Homo antequam petat, & dum petit, ſtat ſub lege præcipiente, & nondum habet gratiam ſufficienter adjuvantem, nec poteſt facere quod jubetur, & pro tunc eſt illi præceptum impoſſibile.* Pag. 43. Mutilat periodos, & poſteà addit de ſuo. Scribit Noris *ibi.* lin. 27. col. 1. *Dum petis, ut poſſis; profectò ſentis te urgeri præcepto, & ſimul cognoſcis te deſtitutum gratiâ PROXIME neceſſariâ ad opus implendum: undè oras, ut Deus eandem tibi largiatur.* Vide notata ad Germanitatem XIV. Nuſquam dixit Noriſius: *Et pro tunc eſt illi præceptum impoſſibile.*

XII. *Soli gratiæ debili noſtra libertas reſiſtit.* Pag. 7. Vind. Cùm quis ab alio vincitur, debilis apparet cum fortiori victore comparatus. Relege reſponſum ad Germanitatem XV.

XIII. *Peccatum originale, & actuale, quod eſt pœna peccati caret libertate indifferentiæ, & committitur cum neceſſitate.* Pag. 39. Nugas loquitur, quas Noriſius nec ſomniavit. Patet ex dictis ad Germanitatem XII.

XIV. *Adamus in ſtatu integro non debuit orare Deum, ut ſibi miniſtraret vires ad mandata facienda, & poſitâ tentatione inaniter petiiſſet vires eidem reſiſtendi.* In Vind. pag. 42. Ita docuit S. Auguſtinus, ita Macedus, ut patet ex utriuſque teſtimoniis laudatis ad Germanitatem II.

XV. *Omnia opera infidelium ſunt peccata.* Pag. 21. & 44. Vind. Eſt mera calumnia, quam contudi ad Germanitatem X.

XVI. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt* Pag. 56. uſquè ad 58. Repete dicta ad objectiones Guidicciolanas, & ad Germanitatem X. Legas, quæſo, P. Contenſonum inſignem Ord. Prædicatorum Theologum tom. 5. diſſert. 2. de grat. ſpecul. 2.

XVII. *Capitale Maſſilienſium dogma fuit: communem omnibus eſſe gratiam.* Lib. 2. Hiſt. Pelag. pag. 125. lin. 33. col. 2. Detruncat ſententiam, verbis ſequentibus omiſſis; eſt enim apud Noriſium propoſitio complexa, & ly *dogma* cadit ſuper periodum, quam omittit. Lege plura ad Germanitatem XIII.

XVIII. *Homo juſtificatus in pœnam peccati originalis incurrit privationem potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum in ſemel acceptâ gratiâ ſanctificante.* In Vind. pag. 65. lin. 19. col. 2. Nata ob peccatum in homine concupiſcentia, quæ etiam in juſtis reperitur, potentiam proximè ad bonum expeditam, quâ fruebatur Adamus, ſuſtulit. Repete dicta ad Germanitatem XIII.

XIX. *Semipelagianus eſt qui non ſequitur ſententiam Auguſtini de conſilio Dei prædeſtinantis ad gloriam, ſinè ullâ prævisione meritorum.* Pag. 45. Mentitur inſigniter. Nil tale in loco appellato legitur. Noris ſcribit Semipelagianos prædeſtinationem gratuitam averſatos fuiſſe, non verò illorum opinionem ab Eccleſiâ explicatâ definitione damnatam fuiſſe. Lege Gonetum diſp. 2. de prædeſt. art. 1. §. 5. & quæ indicavi in reſponſo ad objectionem XIII. Guidicciolanam.

XX. *Satis eſt potentia remota cum gratiâ remotâ ad merendum, & demerendum.* In Vind. pag. 42. Ita communiter Theologi, quorum aliquos laudavi ſuperiùs ad propos. 8.

XXI. *Pueri decedentes, in peccato originali, puniuntur pœnâ ignis.* In Vind. pag. 24. col. 2. Eſt ſententia S. Auguſtini, ac plurimorum Patrum, & non pauci Theologi eandem ſequuntur. Adeas Germanitatem VII.

XXII. *Peccatum originale introducitur per corpus in animam.* In Vind. pag. 38. lin. 56. col. 1. Dixit Noris carnem eſſe *veluti vehiculum peccati originalis.* P. Macedus egregiè hanc ſententiam defendit tom. 2. Collat. 8. differ. 3. ſect. 5, pag. 448. Ejuſdem verba recito in reſp. ad Germanitatem VI.

XXIII. *Papa Romanus quà Epiſcopus Romanus, quà Patriarcha Romanus non habet primatum ſuper alios Epiſcopos, & Patriarchas.* In diſſert. de Synodo V. pag. 65. Hæc ſatis explicui in calce reſponſionum ad Germanitates pag. 92. & 93.

XXIV. *Imperatoris erat tempore Schiſmatis vocare Epiſcopos ad Concilium.* Lib. 1. Hiſt. Pelag. pag. 51. Hìc pariter detruncat periodum, ut invidiam augeat. Hæc Noriſius ait: lin. 26. col. 1. *Cujus*, nempè Honorii *Imperatoris, tantùm erat, oborto Schiſmate, Epiſcopos ad Synodum vocare; non verò Conſtantii privati adhuc viri.* Audiatur Card. Baronius Anno 418. in calce rem ita deſcribens: *Tunc quod Imperatoris erat munus, perſolvit, & judicium, ut decebat, exercuit. Sed num pro arbitrio ipſe ex duobus electis Epiſcopis, quem vellet, ſedere juſſit? Minimè gentium. Verùm potiùs convocatis Epiſcopis, rem voluit ab ipſis cognoſci, &c.* Noris ſcribit, *cujus erat;* Baronius: *Imperatoris munus erat.* Apage igitur inſulſam cenſuram. Tunc Imperator in ſubſidium Eccleſiæ Sacram ad Synodum evocatoriam emiſit.

XXV. *Patres Sextæ Synodi Africanæ ſtudio ambitionis, interdixerunt appellationibus ad Papam Romanum.* Lib. 1. Hiſt. Pelag. pag. 57. Hæc Patrum Africanorum verba ſunt can. 125. Cod. Africani: *Non provocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates provinciarum ſuarum: ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intrà Africam in communionem ſuſcipiatur.* Cuinam major fides habenda, ipſimet Synodo, an hodierno fictitiæ Epiſtolæ ſcriptori? Scribit Baronius A. 419. pag. 440. edit. Rom. *Ut planè liqueat Zoſimum minimè probaſſe, quod ab Africanis Epiſcopis fuerat definitum, ne presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi appellarent judicia transmarina.* Nuſquam illa verba *ſtudio ambitionis* Noriſius effutiit. Mendaci impoſtoris manu inſerta ſunt. Dixit Africanos conatos fuiſſe *jura ſua extendere* interdicentes inſuper appellationibus Epiſcoporum, quod non ambitionis, ſed juſtitiæ meliùs exercendæ causâ ſe facere iidem Patres teſtati ſunt in Epiſtolâ ad Cœleſtinum Papam. Porrò appellationibus Epiſcoporum in priori illo canone non fuerat interdictum; undè jura ſivè ex privilegio, ſivè ex tolerantiâ

Apoſto-

Apoſtolicæ Sedis apud Afros inolita, poſteà extendere conabantur.

XXVI. *Solum meritum naturale de condigno reſpectu gratiæ ſupernaturalis ſemper fuit prohibitum ab Eccleſiâ.* In Epiſtolâ MS. Romam miſsâ.

Item XXVII. *Semipelagianiſmus fuit permiſſus ab Eccleſiâ per ſæculum, & ampliùs antè Concilium Arauſicanum II.* Lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 23.

Hac de re plura dixi in confutatione Palinodiæ Noriſio affictæ pag. 52. & 53. Haud vacat ſerram per eandem lineam reciprocare. Scribit Sirmondus Semipelagianorum opiniones in Arauſicanâ primùm Synodo damnatas fuiſſe: *Cæterùm*, inquit, *gravi ac diuturnæ contentioni, quæ Sanctiſſimos & doctiſſimos utrimque viros in Galliâ centum & amplius annis exercuit, finem poſteà tandem attulit Synodus Arauſicana II. quæ totam de gratiâ & libero arbitrio controverſiam ex S. Auguſtini ſententiâ compoſuit.* Tomo 1. Concil. Galliæ A. 529. Lege Raynaudum cap. 3. Apologiæ pro Valeriano Cemelenſi, Cellotium lib. 2. Hiſt. Gotteſcalchi cap. 4. & dicta in confutatione pſeudopalinodiæ pag. 53.

XXVIII. *Semipelagiani non fuerunt damnati in Pelagianis: in Epiſt. MS.* Brevi Noriſii etiam ſomnia in crimen vocabunt, qui Epiſtolas ejuſdem manu exaratas, non tamen typis editas, carpunt. Sub lite diutiùs fuit, an bona opera naturæ viribus elicita, non quidèm ut merita de condigno, ſed ut purè occaſiones & anſulæ à Deo quandoque expectarentur, quò gratiæ donum congruentiùs largiretur. Hoc gratiæ repugnare cum Auguſtino diſcipuli aſſerebant; negabat Caſſianus cum ſectatoribus. Synodus Arauſicana publicâ ſententiâ Auguſtino tandem cauſam adjudicavit. Ita in controverſiâ de auxiliis Patres Dominicani probabant Molinæ opiniones in Semipelagianis confixas fuiſſe ab Eccleſiâ; id Jeſuitæ inficiabantur. Lis ſub judice pendebat; nec hucuſque deciſa eſt.

XXIX. uſque ad XXXIV. *Sanctum Vincentium Lirinenſem, ac Hilarium Arelatenſem cum Maſſilienſibus contrà S. Auguſtinum ſenſiſſe.* In eâdem ſententiâ ſunt de Vincentio Poncius, Fraſſenius, Garnerius, Lupus, Queſnellus, quos laudo in confutatione pſeudopalinodiæ. De Hilario affirmant Sanctus Proſper in calce Epiſtolæ ad Auguſtinum, Raynaudus cap. 4. citati operis Henao ſect. 28. de Scientiâ mediâ, Sammarthani in Galliâ Chriſtianâ V. Hilarius, Maguinus, Queſnellus, Florentinus cum Holſtenio in notis ad Martyrologium die 5. Maii, Sirmondus apud Labbeum tom. 2. Concil. pag. 1818. & alii.

XXXV. *Cardinalis Sadoletus fuit Semipelagianus* In Vind. pag. 74. uſquè ad 76. Nuſquam hæc in Noriſii libro leguntur. Dixit pag. 75. lin. 44. col. 2. Sadoletum *incautè & inſcienter* in opinionem Semipelagianorum incidiſſe. Si *incautè & inſcienter*, non igitur fuit hæreticus Semipelagianus. Videſis dicta in confutatione pſeudopalinodiæ pag. 13.

XXXVI. *Cardinalis Cajetanus contradicit Epiſtolæ Cœleſtini.* In Vind. pag. 76. Noris ibidem cap. 8. cum Baronio, Suario, Sirmondo, & aliis probat illam Epiſtolam ſecundùm duo tantùm priora capita eſſe Cœleſtini; at Cajetanus contradicit iis, quæ in aſſutâ germanæ Cœleſtini Epiſtolæ appendice recitantur. Præterquam quod id non pertinet ad dogma, ſed ad honorificum de S. Auguſtino teſtimonium, quòd nempè perperam diceretur exceſſiſſe in in controverſiis de divinâ gratiâ.

XXXVII. *Cardinalis Baronius erravit centies tricies, & ſæpiùs in ſuâ Hiſtoriâ.* Num toties Noriſius in vaſto volumine à Baronii ſententiâ diſceſſerit, ut impoſtor exactè ad calculos ſtuduit revocare, ipſe viderit, ac de aſſertorum veritate eruditi judicent. Illa certè propoſitio ſatìs invida apud Noriſium non legitur. Lego lib. 2. Hiſt. Pelag. in titulo cap. 8. *Cardinalis Baronii ſententia ab objectis à Chriſtiano Lupo erroribus vindicatur.* Ita pro eruditiſſimo Cardinali diſputat cum Sodali & amiciſſimo Lupo. Pater Petavius tom. 2. in Sanctum Epiphanium in notis ad Hæreſim 73. Semi-Arrianorum ex profeſſo Baronii errores corrigit, præfatus: *Pergam de hiſtoriis & annalibus Eccleſiaſticis benè mereri.* Huetius vir planè eruditiſſimus in præambularibus Origenianis in omnibus ferè paginis quoſdam Baronii lapſus notat. Valeſius V. C. ideo hiſtoriam Donatiſtarum ſcripſit, quò admiſſos in eadem Baronio errores, emendaret. Lege notata in calce reſponſionum ad Germanitates.

XXXVIII. *Papa Zoſimus erravit in publico judicio abſolvendo ad tempus Cœleſtium.* Pag. 39. 40. Lib. 1. Hiſt. Pelag. Mentitur impoſtor. Oppoſitum Noris affirmat ea pag. 39. lineâ 52. col. 2. ſcribens. *Zoſimus Cœleſtium adeò promptam Innocentii literis obedientiam atque aſſenſum profitentem, haud damnandum judicavit; ſed ne illum abſolvendum duceret, judicium utriuſque Synodi Carthaginenſis & Milevitanæ remorabatur; quarè eundem anathemati Carthagine antè quinquennium in ipſum lato NON EXEMIT.* O te miſerum, Noris, qui mendaciſſimi impoſtoris ſtylo fingeris ea abſurda exarare, quæ tuo dudum calamo confixeras.

XXXIX. *Hormiſdas Papa injuſtè egit contrà Maxentium.* Lib. 2. Hiſt. Pel. pag. 153. & 157. Mentitur ſolitâ fide. Illa ne quidèm Noriſius ſomniavit. Scribit pag. 159. lin. 29. col. 1. de Maxentio: *inſimulare Pontificem homo petulantis ingenii non veretur, &c.* Legantur quæ addit initio, pag. 162. Pauca eâ de re idem ſcripſit, quæ non anteà notaverint Petavius lib. 1. de Incar. cap. 18. & lib. 5. cap. 2. & Vaſquez diſp. 15. de Incarnatione, quibus planè ſimiliter de Maxentii cauſâ Noriſius diſſeruit.

XXXX. *Papa Vigilius imprudenter ſe geſſit in Synodo V.* Pag. 41. diſſert. de Synodo V. Peream ſi hæc apud Noriſium leguntur. Dixit Vigilio verti vitio inconſtantiam (erat ea quæſtio facti, non dogmatis) cui tamen querelæ adductis verbis doctiſſimi Marchæ obviam ivit.

XLI. *Doctores Scholaſtici ſunt reprehendendi, non commendandi.* Pag. 7. 19. 20. 24. 28. 33. 35. 36. Nænias ac fabulas narrat. Lege reſponſionem ad Germanitatem I. Quòd Noriſius pleroſque Scholaſticos deſerit, S. Auguſtini ac plurium Patrum ſententiæ adhæſurus, ridiculam illam æquè ac falſam propoſitionem Noriſio appingit.

XLII. *In libro Henrici Noris nullæ ſunt contradictiones, quam ego nunc affirmo & confirmo uti abſolutam & approbandam.* O capitulum lepidiſſimum! Adeone mentis inops tibi Noriſius videtur, ut ex proſcriptione libri Riſbrochii, in quo plurium contradictionum inſimulatur, ſe omni earundem ſuſpicione abſolutum putet? Non eſt Romanis judicibus curæ, num quis ſibi, ſed num quis fidei Catholicæ, aut Chriſtianæ diſciplinæ contradicat. Scio Riſbrochium viginti antilogias Noriſio apponere. Sed, Deus bone, quàm mendaciter, imò quàm ineptè! Unam & alteram excutiam, ne rerum fabularium nar-

Digitized by Google

narratione Lectori ſerio faſtidium ingeram. Risbrochius pag. *356.* num. *6.* ait Noriſium in Hiſt. Pelag. lib. a. cap. 11. ſcribere Vincentium Lirinenſem detorſiſſe literas Cœleſtini in favorem Lirinenſium; at in Vindiciis pag. 106. oppoſitum docuiſſe. Audias, quæſo te, Noriſii verba paginâ illâ 106. lin. 4. col. 2. nam hic teſtatur Vincentium *eaſdem ſibi faventes jactaſſe.* Ideò ſenſum detorſit in favorem Maſſilienſium, ut ſibi, qui Maſſilienſibus ſimiliter ſentiebat, eaſdem favere jactaret. Hæccine eſt Noriſii antilogia, an potiùs concors, conſtanſque ſententia? Ibidem Num. 17. ſcribit Noriſium in Hiſtoriâ Pelagianâ affirmare libros de peccatorum meritis & remiſſione nuncupatos fuiſſe Marcellino; at ibidem pag. 25. Noriſium aſſerere librum de naturâ & gratiâ dicatum fuiſſe ipſimet Marcellino. Vah putidas impoſturas! In primis ſi Noriſius affirmat Auguſtinum utrumque opus Marcellino nuncupaſſe, non eſt antilogiæ incuſandus, cùm idem de eodem haud ſimul & neget & affirmet. Verùm nuſquam dixit librum de naturâ & gratiâ Marcellino dicatum fuiſſe. Hæc ſcribit lib. 1. cap. 6. pag. 21. lin. 27. col. 2. *Statim juſtum eidem volumen oppoſuit, quod de naturâ & gratiâ inſcriptum, iiſdem adoleſcentibus, qui Pelagianum librum prodiderant, nuncupavit:* Nempe Timaſio & Jacobo. At pag. 25. lin. 66. col. 1. ſcribit: *Cùm Marcellinus occiſus fuerit, antequàm Oroſius in Africam appelleret, & Auguſtinus librum de naturâ & gratiâ elucubraverit, profectò paulo antè ex Africâ in Palæſtinam Oroſio, &c.* Itaque dicit obiiſſe Marcellinum, antequàm Sanctus Doctor ſcriberet librum de naturâ & gratiâ. Et tamen Noriſius fingitur ibidem affirmare Auguſtinum laudatum volumen inſcripſiſſe mortuo antè annum Marcellino. Hac planè arte fallaci poterat impoſtor non tantùm viginti, ſed vicies mille antilogias Noriſio affricare. Eâdem mendaci manu ceteræ contradictiones confutæ ſunt.

Propoſitio XLIII. *Henricus Noris in ſuo tomo nullas hæreſes, nec errores Sancto Auguſtino attribuit, nec eum cum Calvino & aliis hæreticis interpretatur.* Hoc planè de ſe Noriſius jure ac merito prædicare poteſt; nam quæ illi errorum ſomnia imputantur, in reſponſis ad Germanitates diſſlavi. Hæc de Noriſio ſcribit P. Paſchaſius Queſnellus non quidèm palpans, ſed cum Noriſium erroris incuſat tom. 2. in notis ad Epiſt. Sancti Leonis pag. 848. col. 2. *Integram porrò* Epiſtolam *vel non vidit, vel non attendit, vir doctiſſimus Henricus de Noris inter primos Sancti Auguſtini diſcipulos & defenſores, etſi ſcriptorum tempore poſtremus, meritò numerandus.* Næ ſi Noriſius hæreſes Sancto Auguſtino impegiſſet, inter Sancti Doctoris diſcipulos ac defenſores eruditorum judicio cenſeretur?

Quis hiſce lectis, non intelligat quantâ iſti homines invidiâ, imò rabie æſtuent, dum Notiſium tot mendaciorum plauſtra eructantem inducunt? Meherclè invictam illius Scriptoris cauſam produnt, quam niſi dolis, præſtigiis, ac impoſturis oppugnant. Ita hanc pſeudepiſtolam, hinc fictitiam palinodiam, hinc ridiculæ Apologiæ frontiſpicium Noriſii nomine per dolum incruſtantes, evulgarunt, quo deteſtabili facto frontem ac conſcientiam; imò Dei, hominumque timorem ſe poſuiſse monſtrarunt, ut ſummo mihi jam dedecori eſse putem, qui cum hiſce fallaciſſimis ac mendaciſſimis impoſtoribus manum conſerens, teterrimo, quem tot undique calumniis exhalant, fœtore memet infecerim. Quarè ex tam lutulento cœno pedem jam tandem retrahens, adversùs pſeudepiſtolæ fictorem Hieronymi in altero in Rufinum libro verbis concludo. *Stylum* Noriſii *qualiſcumque eſt, & formam eloquii vir* mendaciſſimus *exprimere non valuit; ſed inter ipſas præſtigias, & alterius perſonam, quâ ſe fraudulenter induerat, quis eſſet, oſtendit.*

HISTORICA
DISSERTATIO
De uno ex Trinitate carne paſſo.
ACCEDUNT
HISTORIÆ PELAGIANÆ
HENRICI NORIS
Ab Anonymi Scrupulis Vindiciæ.

Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem?
S. Auguſtinus lib. 2. Oper. Imperf. contrà Julianum num. 103.



Digitized by Google

AD LECTOREM.

PAUCIS te volo, Lector optime, ſiquidèm ſingulæ præfationes quibuſque hujuſce operis Diſſertationibus præpoſitæ prolixioris in limine proœmii onus imminuunt. Annus agitur alter & viceſimus, ex quo Hiſtoria Pelagiana ac Vindiciæ Auguſtinianæ auctore Henrico de Noris Auguſtiniani inſtituti viro in lucem prodiere. Utrumque opus anno *1672.* ſupremæ Romanæ Inquiſitionis decreto à viris doctiſſimis Romæ diligenti & accurato examine expenſum, ac probatum, rantam ſtatim Auctori grariam apud Eminenriſſimos Patres conciliavit, ur eorundem rogatu Clemens X. Noriſium inter Romanæ Inquiſitionis, uti vocanr, Qualificatores adlegerit. Cùm anno proximo *1673.* urrumque opus Paravinis typis excuſum, ac dein iterùm ac tertiò extrà Italiam impreſſum, per ora manuſque Eruditorum volitaret, nonnulli, quorum nomina appellare exemplo nihil, ſilere humanitatis plurimùm refert, utrique volumini primùm quidèm clanculariò genuinum infigere cœperunt; dein animoſiores facti, eadem apud Romanæ Inquiſirionis tribunal plurium errorum accuſantes, alrerum de iiſdem examen imperrarunt. Ita anno *1676.* laudati libri plurium Cenſorum judicio expenſi, indemnes, nullaque Theologicâ notâ perſtricti, æmulorum impetum ſtructaſque inſidias feliciter evaſerunt. Interim Noriſius in Piſanâ Academiâ Eccleſiaſticæ hiſtoriæ profeſſorem agens, inducias in annum uſque decimum ſextum ab adverſariis obtinuit. Cùm verò anno *1692.* INNOCENTIUS XII. Pontifex Opr. Max. Noriſio Varicanæ Bibliorhecæ Præfecturam detuliſſet, novus honor Auctori deſtinarus, ejuſdem libros in nova rursùs diſcrimina adduxir. Nam adverſarii ſparſis quaquaversùs libellis, vereres accuſationes reſtaurantes, eundem prędamnatæ Janſenii doctrinæ inſimularunr. Tum Summus Pontifex plures Theologos, qui procul à partium ſtudio erant, delegir, iiſque librorum Noriſii examen commiſit. Er hi quidèm doctiſſimi ac eruditiſſimi Viri diligenter arque accuratè injuncto munere perfuncti, nullam in Noriſii libris ſentenriam cenſorio ſtigmate confixerunt; cujus quidèm judicii, licèt ſecretis ſuffragiis peracti, exitus indè apparuir, quòd Summus Pontifex Noriſium in collegium Conſultorum Romanæ Inquiſitionis cooptavit. Ita ſinè exemplo, quod ſciamus, unus idemque liber ſemel, iterùm, ac tertiò in tremendo illo tribunali cenſurę ſubjectus, ac totidem eriam vicibus omni cenſurâ immunis evaſir. Cùm verò triplex judicium tam ſincerum, tam grave, tamque circumſpectum toties reſtauraris accuſationibus jam randem finem impoſuiſſe putarerur, invenrus eſt novus criminandi modus, quo non tam Noriſii volumina, quàm exercitum de iiſdem judicium in invidiam vocaretur. Nam quidam quò ſuam ergà ſupremum Quæſitorum fidei tribunal reverentiam in ſpeciem ſaltem præferre videretur, quoſdam ipſiſmet librorum Noriſii Cenſoribus libellos, *Scrupulorum* titulo præſignatos, inſcribit,

ſcripſit, ut ad eos ſcrupulos veluti ad ſcopulos eorumdem Cenſorum judicium alliderctur. Hæc ille præfatur; *Nemini videbor inverecundè ſcripſiſſe, qui iſtas qualeſcumque animadverſiones non alio, quàm ſcrupulorum titulo donaverim.* Ferrandus inſignis Carthaginenſis Eccleſię Diaconus in Parænetico ad Reginum Comitem cap. 12. ſcribit: *Si quando aliquis ſcrupulus mentem movet, non ſequaris facilè ſententiam propriam, nec aliis perſuadere coneris.* At bonus ac ſimplex homo ſuos ſcrupulos in diſſeminatis ac diſperſis quaquaverſùm libellis publicavit, ut ſiniſtra, quam de lato à Romanis Cenſoribus judicio ipſe conceperat, opinio per omnium animos longè lateque pervaderet. Hinc ſubinde, Optimi Cenſores, ut Ciceronis in Oratione pro Roſcio Amerino verbis utar, *Hunc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies noctesque ſtimulat, ac pungit, ut evellatis, poſtulat.* Verùm cùm Cenſores nulli præhabiti abs ſe judicii rationem ſcripto prodere teneantur, imò nec citrà perjurium publicè reddere poſſint, eorum partes in me recipiam, daboque operam, ut adverſarii paſſim & ubique *alienorum dictorum ſcrupuloſiſſimi & calumnioſiſſimi diſcuſſores* appareant, uti olim Facundus Epiſcopus Hermianenſis lib. 10. de tribus Capit. cap. 7. ſcribebat.

DISSER-

DISSERTATIO I.
IN HISTORIAM CONTROVERSIÆ
DE UNO EX TRINITATE PASSO.

DIuturniori ſchiſmate, quo Orientalis Eccleſia ab Apoſtolicâ Romanâ Sede ſejuncta fuerat, Hormiſdæ Pontificis Maximi operâ, ac Juſtini Imperatoris pietate compoſita, veteres potiùs diſcordias deſiiſſe, quàm pacem cœpiſſe, nova rursùs ſuborta controverſia monſtravit. Illa quidèm in angulo Scythiæ Europeæ apud Tomos à paucis Monachis excitata, Orientem ſimulque Occidentem, ac Meridiem uno veluti momento inſtar incendii pervagata, per quinque ferè luſtra Orthodoxos varias in partes diſtraxit. Quamvis autem Romanorum Pontificum, ac Imperatoris Juſtiniani edictis magnus tot litigiis dies impoſitus tandem fuerit, non defuere noſtrâ ætate tùm Sectarii, qui variatæ eâ in causâ ſententiç Romanos Pontifices impudenti calumniâ accuſarunt; tùm ſcriptores quoque, qui Catholici & eſſe, & haberi volunt, qui ex antiquitùs eâ in causâ geſtis, quibuſdam prædamnatis famoſis propoſitionibus defenſionem comparare pertentarunt. Indè etiam duo nuperi Auctores ex deſcriptâ eâ ipsâ ab Henrico Noris controverſiâ, eundem utì Romani Pontificis in definiendo infallibilitati obnoxium traducere conati ſunt. Denique non una eademque eſt de ejuſdem quæſtionis auctoribus inter Hiſtoricos ac Theologos ſententia; ſiquidèm nonnulli Monachos illos Scythas in ſpeciem quidèm Catholicos, Eutychianæ tamen hæreſi occultis artibus ſtudentes obtrudunt, quos alii doctiſſimi Scriptores ab omni prorsùs Eutychiano errore alienos locupletiſſimis teſtimoniis oſtendunt. Induxi animum in hanc totam cauſam deſcendere, ac diu controverſæ propoſitionis ſtatum, ejuſque varios tùm apud Catholicos, tùm etiam apud Eutychianos ſenſus exponere. Hoc ut enucleatè exequar, illius originem, progreſsum, ac denique exitum in optimo, utì ſpero, lumine collocabo, quo poſteà illata à quibuſdam Hiſtoriæ caligo facilè diſſipabitur.

CAPUT I.

S. Proclus propoſitionem, Unus è Trinitate eſt incarnatus, & paſsus, *omnium primus contrà Neſtorianos aſſeruit. Juſtinianus Imperator aliique contendunt eandem in Synodo Calchedonenſi approbatam fuiſse. Quidã eã in Synodo damnatã putant. Neutra opinio probatur.*

DAmnato in Synodo Epheſinâ Neſtorio, Theodoſius Imperator impios ejuſdem libros igne abſumendos, emiſſo edicto, decrevit, *ita ut*, inquiens, *nemo in religionis diſputatione aliquam ſupradicti nominis mentionem faciat. L.66. de Hæret.* Cod. Theod. At Neſtorianæ hæreſeos ſectatores, quò damnatæ à Synodo doctrinç majorem aliunde auctoritatem adiicerent, id conſilii cçperunt, ut eandem à Theodoro Epiſcopo Mopſueſtiæ in Ciliciâ dudum traditam publicarent. Nam Theodorus in ore famæ toto paſſim Oriente verſabatur, quippe qui decem millium voluminum ſcriptor laudaretur, ac quindecim præſertim libros contrà Apollinarium exaraſſet, in quibus universa Neſtorii ipſius quondam diſcipuli doctrina tradebatur. Hac fraude Neſtoriani uſi ſunt, ut recèns dejecta hæreſis ſub magni nominis umbrâ vires reſumeret, ac ſub Theodori larvâ incautis illuderet. Verùm Orthodoxi Epiſcopi, ac Abbates majoris Armeniæ, quò præſentiſſimo malo ſtatim occurrerent, ſyllabum errorum ex Theodori libris colligentes, eoſdem S. Proclo Patriarchæ Conſtantinopolitano damnandos, per legatos obtulere. Proclus Cyzici nomine tenus Epiſcopus, omnium primus, tum ſedente in Regiâ Urbe Neſtorio, in celebri ibidem Eccleſiâ contrà ipſius adversùs Deiparam voces claſſicum cecinerat in elegantiſſimâ, quæ extat, homiliâ. Erant duo veluti fulmina belli contrà Neſtorium Cyrillus Alexandriæ, & Proclus Conſtantinopoli. Hic ergo legens delata ſibi capitula, eadem utì Neſtorianâ peſte infecta damnavit, datis eâ de re literis tùm ad Armenios, tùm ad Joannem Patriarcham Antiochiæ, utrique ſcripto ſubjiciens anathemata con. ſingulas Theodori propoſitiones. Has inter erat hæc ex Epiſtolâ ad Armenios Collat. V. Synodi V. recitata: *Homo homini conſubſtantialis; Deus autem Deo conſubſtantialis. Quomodo ergo Deus, & homo unum per unitatem eſſe poſſunt?* Hinc in Chriſto duo ſuppoſita, ſive perſonas commentabatur, ita ut B. Virgo purum hominem pepererit, quem poſteà Deus affectu voluntatis ſibi copulavit. In laudatâ Synodo Collat. IV. in ſyllabo errorum Theodori n.45. hæc illius dicta recenſentur: *Et duas nativitates Deus Verbum non ſuſtinuit: unam quidèm antè ſæcula, alteram autem in poſterioribus temporibus.* Quarè negabat B. Virginem eſſe Dei genitricem, ibidem num.43. Denique num.38. ſcripſiſse dicitur: *Quòd Deitas ſeparata quidèm erat ab illo, qui paſsus eſt ſecundùm mortis experimentum.* Proclus in Epiſtolâ ad Armenios, utì ſcribit Liberatus Diaconus cap.10. Breviarii, *Poſuit ad interimendas Neſtorianorum verſutias, qui duas in Chriſto inducunt perſonas, unum de Trinitate incarnatum.* Sententia Procli interprete Dionyſio Exiguo in hæc verba concipitur: *Nec enim dicentes Filium paſsum, ratione Deitatis eum paſsum ſentimus, ſed confitentes Dei Verbum unum ex Trinitate incarnatum, tribuimus intelligendi materiam iis, qui fideliter ſciſcitantur, cur incarnari dignatus ſit.* Idem in Epiſtolâ ad Joannem Antiochenum ait: *Dicentes autem iterùm paſſibilem Deum, ideſt, Chriſtum, confitemur eum non eo paſsum, quod erat; ſed quod factum eſt, ideſt, propriâ carne, & ita prædicantes, nullo modo fallimur; quoniam quidèm & unum ex Trinitate ſecundùm carnem crucifixum fatemur, & divinitatem paſſibilem minimè blaſphemamus.* Hoc teſtimonium recitant Facundus Hermianenſis initio lib. 1. de tribus Capitulis, & laudato loco Liberatus. Joannes II. Pontifex in Epiſt. 3. ad Senatores hanc aliam Procli ſententiam refert: *Quid enim eſt, quod nos ſapimus. In hac ipsâ eſſentiâ, quâ conſtat, & unitus eſt Filius Patri, & Spiritui, non dicimus eum paſsum; ſed carne, quæ ex nobis, & pro nobis eſt factus. Non autem alius eſt factus, niſi unus de Trinitate, & crucifixus eſt carne, quâ paſſus eſt &c.* Maxentius in profeſſione fidei hçc recitat tanquam excerpta ex epiſtolâ ad Armenios, in quâ tamen non leguntur; unde Petavius arbitratur Proclum alteram ad Armenios epiſtolam miſiſſe, quæ interciderit. Ipſe tamen puto,

Digitized by Google

Proclum datis ad Armenios,& ad Joannem literis eadē Theodori capitula cū ānexis confutationibus ſubjeciſſe,uti proximè Oriētales ſacerēt,refellētes duodecim capitula Cyrilli,& ipſe etiā Cyrillus arguēs ejuſdem Theodori errores. Extant inſerta collat. V. Synodi V. fragmenta literarum Procli ad Joannem Antiochenum,in quibus *ſuppoſita ad Armenios epiſtolæ capitula* Theodori memorantur; idemque Proclus in alterâ epiſtolâ ad eundem Patriarcham Antiochiæ ſcribit: *Et illa capitula, quæ ſubjecta ſunt, repuli*, apud Facundum Hermianenſem lib. 8. cap. 2. Quarè cùm eadem Theodori capitula cum redargutionibus annexa fuerint tomo ad Armenios, ac pariter literis ad Orientalem ſub Antiocheno Antiſtite Synodum, utroque ex ſcripto confutationes Procli recitantur.

Ex hactenus laudatis S. Procli teſtimoniis duæ iſtæ propoſitiones ab eodem contrà Theodori, ac Neſtorii ſectatores ſtatutæ colliguntur: *Unus de Trinitate eſt incarnatus*, & altera: *Unus de Trinitate crucifixus eſt carne*; de quibus theſibus Catholici poſteà acerrimè ſecum invicem diſputarunt. Prior propoſitio deſignat pro ſubjecto ipſam perſonam Verbi Dei, qui ſuamet ſubſiſtentiâ perſonali humanam naturam in unitatem ſuppoſiti verè ac phyſicè aſſumens, dicitur incarnatus, quod eſt ejuſdem propoſitionis prædicatum. Altera verò propoſitio verificatur tantùm ſecundùm communicationem idiomatum, ſecundùm quam crucifixio ſeu paſſio affirmari poteſt de Verbo uno ex Trinitate, cùm non ipſum, ſed caro tantùm aſſumpta verè ac phyſicè paſſionem ſubjerit, Verbo manente impaſſibili. Prior theſis reduplicativè vera eſt: altera tantùm ſpecificativè, ut inquiunt Scholaſtici, quia Chriſtus, qui ſecundùm naturam humanam paſſus eſt, unus eſt de Trinitate. Synodus Calchedonenſis in proſphonetico ad Marcianum Auguſtum, cùm dixiſset Cyrillum in literis ad Orientales fidei dogmata declaraſſe, addit: *Et magnum Proclum, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentiâ deſtinavit.* Porrò hocce Synodi elogio tantum auctoritatis epiſtolæ ſive tomo Procli ad Armenios acceſſiſſe putarunt, ut laudatum aſſertum *De uno ex Trinitate incarnato*, ab eâdem Synodo approbatum fuiſse Juſtinianus publicâ lege ſuo Codici *tit. de Summâ Trinit.* inſerta promulgaverit. Eſt epiſtola ad Epiphanium Patriarcham, in quâ ait: *Eadem verò ſancta Calchedonenſis Synodus & magni Procli ad Armenios ſcriptam epiſtolam de eo, quòd oportet dicere Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, & Deum noſtrum* unum ſanctæ Trinitatis, *per ſuam relationem ſuſcepit, & confirmavit.* Facundus Hermianenſis initio operis laudati ad eundem Juſtinianum, cùm Procli epiſtolam à Synodo Calchedonenſi commendatam dixiſſet, ac recitatâ latâ per eundem Principem lege, ait: *Apparuit igitur, religioſe Imperator, quòd ſecundùm ſententiam ipſius magnæ Synodi confeſſus es*, unum de Trinitate *pro nobis crucifixum.* Idem tradit Ephreemius Patriarcha Antiochiæ apud Photium Cod. 228. Vigilius Papa in Conſtituto loquens de eâdem relatione Synodi ad Marcianum, hæc ſcribit ad Juſtinianum: *Quam vos quoque veſtris legibus, dum Orthodoxâ profeſſione* unum de ſanctâ Trinitate *Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum confitendum adſtruitis, ad teſtimonium laudabiliter adduxiſtis.* Verùm quamvis magna Synodus epiſtolam Procli ad Armenios laudaverit, haud inde ſit conſequens, ut omnes ibidem aſſertæ propoſitinnes cenſeri poſſint ſpeciali approbatione Synodi confirmatæ. Unum tamen evincitur, videlicet nullum in eo Procli ſcripto errorem contineri. In Concilio Romano ſub S. Gelaſio Papâ una S. Leonis ad Flavianum epiſtola in omnibus *uſque ad unū jota* recipiēda jubetur, ut nihil illius citrà læſæ fidei piaculum, in dubium à quoquam poſſit revocari.

Uti verò varia ſunt hominum judicia, non defuere qui eam propoſitionem, *Unus è Trinitate paſſus eſt*, non modò a Synodo Calchedonenſi probatam negaverint, verùm etiam contenderint in eâdem potiùs damnatam fuiſſe. Nam in Actione IV. Dorotheus Monachus Eutychetis ſectator dixit ſe credere in Chriſtum, addens: *Hunc ex Trinitate eſse fatemur*, & ſtatim; *Credimus ergo illum paſsum ex Trinitate eſſe.* Hinc Dioſcorus Hormiſdæ Papæ ad Imperatorem Juſtinum Legatus, in ſuggeſtione ad eundem Pontificem, quò oſtenderet propoſitionem *de uno ex Trinitate paſso*, eſſe erroneam, ait: *Iſtud & Eutychetis diſcipuli in Synodo Calchedonenſi propoſuerunt.* Trifolius etiam id temporis in epiſtolâ ad Fauſtum Senatorem ſcribit, Dorotheum Eutychianum, ac Caroſum ejuſdem ſectæ Monachum dixiſſe in Synodo memoratâ: *Unum de Trinitate eſſe paſsum*, additque: *Talia dicentes ſupraſcripti Archimandritæ acceperunt damnationem cum Eutychete, & omnes hæretici.* Verùm non ob eam prolatam propoſitionem iidem Archimandritæ damnati ſunt, ſed quia ibidem Eutychetis errorem de unicâ in Chriſto naturâ ſequebantur, ac de Hæreſiarchâ dixere: *Quia orthodoxus eſt is homo, & fit ei calumnia.* Ferrandus Diaconus Carthaginenſis in doctiſſimâ epiſtolâ ad Anatolium R. E. Diaconum cap. 16. ait; *Nec movere quempiam debet, ſi verè hanc ſententiam, ſicut à quibuſdam dicitur, Eutychetis protulit apocriſarius in Calchedonenſi Concilio. Sæpè etiam per ignorantes loquitur veritas.* Rectè autem monet, Patres noluiſſe eam propoſitionem Synodicis definitionibus inſerere, *Ne viderentur intellectum loquentis potiùs adprobaſſe, quàm verba.* Uti enim Catholici ea verba congruo ac dextro ſenſu accipiebant, ita Eutychiani eadem depravatè interpretabantur, utì mox exponemus.

CAPUT II.

Propoſitio: Unus è Trinitate eſt paſſus, *à Petro Fullone Eutychiano ſenſu expoſita. S. Felix Pontifex Romanus fatetur Chriſtum unum de Trinitate: eundem non in Deitate, ſed carne paſſum. Imperator Zeno unum è Trinitate in Henotico publicat. Hoc edictum Patriarchæ Græci recipiunt; at Eccleſia Romana condemnat. S. Euthymius ac Sabas Chriſtum unum de Trinitate contrà Neſtorianos prædicant. Imperator Anaſtaſius in pſeudoſynodo damnandos curat negantes unum de Trinitate paſſū. Id adiicit Triſagio. Severiani eâdem propoſitione abuſi: quam Catholici recto ſenſu profeſſioni fidei inſerūt.*

Eutychiani Neſtorianam hæreſim oppugnantes, quodam veluti pugnæ furore abrepti, in extremos errores deciderunt, dum in myſterio Incarnationis Dominicæ utrique ea dogmata renovarunt, quæ dudum Eccleſia in Sabellio atque Ario, in arcano Trinitatis exponendo, damnaverat. Etenim Neſtorius ex duplici naturâ Chriſto inexiſtente, duas quoque in eodem perſonas obtruſerat. Ex adverſo Eutyches ex unitate perſonæ in Chriſto, unam quoque naturam commentus eſt. Equidem Eutychiani in Synodo Calchedonenſi proſcripti, quò damnatæ hæreſi fidem facerent, binas propoſitiones à ſanctis Patribus contrà Neſtorianos ſtatutas, magno apud ſectarios plauſu, Catholicis objectabant. Prior erat mutuata ex S. Cyrilli libris ſententia; *Una Dei Verbi natura*

Digitized by Google

incarnata. Alteram ex Procli epiſtolis deſumpſerant: *Unus è Trinitate eſt paſſus.* De theſi Cyrilli quædam opportuniori inferiùs loco ſubnotabo. De Procli pronuntiato juxtà ſuſceptum argumentum, ſermonem tantùm inſtituam. Petrus Fullo Eutychianorum peſſimus, Antiochenæ ſedis invaſor, cùm unicam eamque divinam in Chriſto naturam adſtrueret, eandem quoque paſſam fuiſſe affirmabat, ea ſe tradere teſtatus, quæ magni in universâ Eccleſiâ nominis Proclus paulò antè docuerat. Ita homo vafer & perditus ſub pulchriori larvâ hæreſis turpitudinem occulere tentabat. Nam S. Patriarcha hæc disertè in Epiſtolâ ad Armenios ſcribit: *Nec enim dicentes Filium paſſum, ratione Deitatis eum paſſum ſentimus; divina ſiquidèm natura nullam prorsùs recipit paſſionem: ſed confitentes Deum Verbum unum ex Trinitate incarnatum* &c. Ubi docet ideò Verbum hominem factum, ut qui Deus nulli poterat paſſioni ſubjectus eſſe, homo factus, paſſionem ſubiret. Idem autem Fullo quò ſuam cunctis hæreſim inſtillaret, ſacro hymno Triſagii: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, appendicem inſeruit: *qui paſſus es pro nobis*, ſperans ſceleratæ adjectionis cantilenâ Clerum, ac populum ad impiæ blaſphemiæ profeſſionem compellere. Cùm verò paſſim argueretur, quòd Trinitatem, quæ eo hymno invocabatur, paſſam mentiretur, novo errore priorem commutans, Triſagium ſoli Verbo Deo cani autumavit, qui ſolus paſſus eſt pro nobis, ac proinde non tota Trinitas, ſed *unus è Trinitate paſſus*, ſæpiùs eidem pro concione dicebatur. Horum teſtis eſt idem qui ſupremus Eccleſiæ judex ſententiam contrà eundem Fullonem pronuntiavit Felix III. hæc illimet exprobrans Epiſt. 3. *At verò tu in Eccleſiâ auſus es dicere, quòd unus increatæ, atque individuæ Trinitatis paſſionem ſubiit: & per hoc conſubſtantialem quoque ſolvere niteris, ac Deum ſubjicere numero.* Etenim cùm in Chriſto uno ex Trinitate unicam naturam divinam ſtatueret, conſubſtantialem Dei naturam negabat, unàque tres Deos impiè inducebat; ſiquidem Fullo dicebat, *Unum de Trinitate paſſionem pro nobis pertuliſſe in ſubſtantiâ Deitatis*, teſte eodem Felice Epiſt. 5. ad Zenonem Auguſtum. Nam ſubſtantia paſſibilis non eſt idem cum ſubſtantiâ *in*trinſecè impaſſibili; undè cùm ſubſtantia ſeu natura Filii juxtà Fullonem, eſſet paſſibilis, natura verò Patris ac Spiritûs Sancti impaſſibilis, una eademque natura eſſe nequibant; ac proinde divinæ perſonæ non poterant dici conſubſtantiales, ſed diſtinctæ naturæ, atque adeò plures Deos inducentes, juxtà Fullonis errorem.

Idem Felix in laudatâ Epiſtolâ 3. ad Petrum Fullonem ſcribens, ait: *Quâ igitur parte unigenitus Filius conſubſtantialis Patri, & unus individuæ Trinitatis, increatus, atque inviſibilis, impaſſibilis, & immortalis permanſit. Quod ergo increatum, atque immortale eſt, creaturæ ne applices, neque Deorum pluralitatem confirmare pergas, dicens* Unum ſanctæ Trinitatis mortuum eſſe. *Rursùs quâ parte ex muliere natus eſt, & ſubſtantiæ noſtræ, ac generationis eſt particeps, abſque peccato, ſuſtinuit paſſionem.* Duo in hiſce verbis notanda ſunt. Nam Filius quatenùs unigenitus Patris, dicitur *unus individuæ Trinitatis*, quæ formula loquendi, uti poſteà demonſtro, in reprehenſionem proximo ſæculo vocata fuit, ita ut magnis etiam Viris aut odioſa, aut ſaltem ſuſpecta fuerit, & longiori etiam examine diſcuſſa, priuſquam ab Apoſtolicâ Sede probaretur. Rursùs ex laudato Pontificis teſtimonio patet, Petrum Fullonem blateraſſe unum ſanctæ Trinitatis, quà Deum, paſſionem ac mortem ſubiiſſe, non autem quatenùs homo erat, uti Proclus contrà Eutychianos, jam jam erupturos, in laudatis epiſtolis præmonuerat. Scio nonnullis laudatam epiſtolam haud legitimam videri; ſed ſecùs dicendum puto ex Anaſtaſio Bibliothec. in Epiſtolâ ad Joannem Diaconum tom. XII. Bibl. PP. edit. ult. pag. 834. lit. F.

Cùm Zeno, devicto, ac deinde occiſo Baſiliſco tyranno imperium recuperaſſet, quò graſſantes paſſim de religione diſcordias ſopiret, anno vulgaris Epochæ 482. edictum de fide, quod Henoticum dixere, publicans, univerſos eidem Epiſcopos ſubſcribere imperavit. In eo laudata hactenùs Procli ſententia in hæc verba concepta, legebatur: *Trinitas enim manſit Trinitas, & incarnato uno de ſanctâ Trinitate Deo Verbo.* Hocce edictum recitant Liberatus cap. 18. Breviarii, & Evagrius lib. 3. cap. 14. At Henotico recipiendo tùm Hæretici, tùm etiam Catholici repugnabant. Imò Severus Eutychianorum primipilus illud programma non ἑνωτικὸν, *unitivum*, ſed κενωτικὸν i. e. *inane* irriſionis cauſâ appellabat. Nam cùm in eodem legeretur: *Eos autem qui dividunt, aut confundunt, aut phantaſiam introducunt, omnino non recipimus*, pari ſententiâ & Neſtoriani Chriſtum in duas perſonas dividentes, & Eutychiani duas Chriſti naturas partìm in unam confundentes, partìm phantaſticum ejuſdem corpus aſſerentes, damnabantur; unde ibi etiam legebatur: *Anathematizamus præcipuè verò prædictos Neſtorium, & Eutychen, & quæ eorum ſunt ſapientes.* Hinc utraque hæreticorum factio, contrariis licèt erroribus addicta, pari tamen conſenſu Henotico refragabatur. Prætereà Catholici animadvertentes in eo edicto tres tantùm Synodos ſervandas juberi, omiſſo Concilio Calchedonenſi, ac S. Leonis Magni ad Flavianum epiſtolâ, quibus velut invictis armis Orthodoxa religio de utrâque hæreſi hactenus triumphaverat, Henoticum in Occidente unanimi cum Eccleſiâ Romanâ conſenſu reſpuerunt. Cæterùm magna pars Antiſtitum Orientis partim amittendarum Sedium metu, partim occupandarum ambitione ducti, Henoticum admiſerunt. Acacius omnium primus Zenonis edictum, cujus etiam auctor ferebatur, approbavit, ac Petrum Moggum Alexandrinæ Sedis incubatorem, abs ſe anteà damnatum, in communionem admiſit, ubi is pari perfidiâ Henotico conſenſit. Petrus Fullo ex Antiochenâ cathedrâ ſemel & iterùm ejectus, eandem Henotici ſubſcriptione recuperavit, Calendione Patriarchâ Catholico expulſo. Horum exemplo plurimi minorum gentium Epiſcopi Imperatoris edictum in ſuis quique Eccleſiis publicarunt. Hinc toto paſſim Oriente præſcripta verba reſonabant: *Trinitas enim manſit Trinitas, & incarnato uno de Trinitate Deo Verbo.*

Hanc ſententiam à Proclo primùm inductam, ſoli Neſtoriani averſabantur, cùm ea tamen ab Orthodoxis in Oriente tanquam Catholici dogmatis ſymbolum, contrà eoſdem hæreticos prędicaretur. Auctor eſt Cyrillus Scythopolitanus S. Euthymium inſignem in Palæſtinâ Monachorum inſtitutorem, in ſubjectis ſibi cœnobiis Catholicam fidem inter furentes circumquaque hæreticos illibatam ſervaſſe: *Ex quo*, inquit, *etiam circà Chriſti myſterium Neſtorii diviſionem, & Eutychis confuſionem rejiciebat: piè confitens unum ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis divinum Verbum in ultimis diebus carnem factum &c.* Obiit Euthymius die 20. Januarii, anno 473. Idem Cyrillus in libro de Vitâ Sanctæ Sabæ Abbatis, ait, duos Monachos ad

Proclum datis ad Armenios,& ad Joannem literis eadē Theodori capitula,cū ānexis confutationibus ſubjeciſſe,utì proximè Oriētales facerēt,refellētes duodecim capitula Cyrilli,& ipſe etiā Cyrillus arguēs ejuſdem Theodori errores. Extant inſerta collat. V. Synodi V. fragmenta literarum Procli ad Joannem Antiochenum, in quibus *ſuppoſita ad Armenios epiſtolæ capitula* Theodori memorantur; idemque Proclus in alterâ epiſtolâ ad eundem Patriarcham Antiochiæ ſcribit: *Et illa capitula, quæ ſubjecta ſunt, repuli*, apud Facundum Hermianenſem lib. 8. cap. 2. Quare cùm eadem Theodori capitula cum redargutionibus annexa fuerint tomo ad Armenios, ac pariter literis ad Orientalem ſub Antiocheno Antiſtite Synodum, utroque ex ſcripto confutationes Procli recitantur.

Ex hactenus laudatis S. Procli teſtimoniis duæ iſtæ propoſitiones ab eodem contrà Theodori, ac Neſtorii ſectatores ſtatutæ colliguntur: *Unus de Trinitate eſt incarnatus*, & altera: *Unus de Trinitate crucifixus eſt carne*; de quibus theſibus Catholici poſteà acerrimè ſecum invicem diſputarunt. Prior propoſitio deſignat pro ſubjecto ipſam perſonam Verbi Dei, qui ſuamet ſubſiſtentiâ perſonali humanam naturam in unitatem ſuppoſiti verè ac phyſicè aſſumens, dicitur incarnatus, quod eſt ejuſdem propoſitionis prædicatum. Altera verò propoſitio verificatur tantùm ſecundùm communicationem idiomatum, ſecundùm quam crucifixio ſeu paſſio affirmari poteſt de Verbo uno ex Trinitate, cùm non ipſum, ſed caro tantùm aſſumpta verè ac phyſicè paſſionem ſubierit, Verbo manente impaſſibili. Prior theſis reduplicativè vera eſt: altera tantùm ſpecificativè, ut inquiunt Scholaſtici, quia Chriſtus, qui ſecundùm naturam humanam paſſus eſt, unus eſt de Trinitate. Synodus Calchedonenſis in proſphonetico ad Marcianum Auguſtum, cùm dixiſſet Cyrillum in literis ad Orientales fidei dogmata declaraſſe, addit: *Et magnum Proclum, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentiâ deſtinavit.* Porrò hocce Synodi elogio tantum auctoritatis epiſtolæ ſive tomo Procli ad Armenios acceſſiſſe putarunt, ut laudatum aſſertum *De uno ex Trinitate incarnato*, ab eâdem Synodo approbatum fuiſſe Juſtinianus publicâ lege ſuo Codici *tit. de Summâ Trinit.* inſerta promulgaverit. Eſt epiſtola ad Epiphanium Patriarcham, in quâ ait: *Eadem verò ſancta Calchedonenſis Synodus & magni Procli ad Armenios ſcriptam epiſtolam de eo, quòd oportet dicere Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, & Deum noſtrum* unum ſanctæ Trinitatis, *per ſuam relationem ſuſcepit, & confirmavit.* Facundus Hermianenſis initio operis laudati ad eundem Juſtinianum, cùm Procli epiſtolam à Synodo Calchedonenſi commendatam dixiſſet, ac recitatâ latâ per eundem Principem lege, ait: *Apparuit igitur, religioſe Imperator, quòd ſecundùm ſententiam ipſius magnæ Synodi confeſſus es*, unum de Trinitate *pro nobis crucifixum.* Idem tradit Ephreemius Patriarcha Antiochiæ apud Photium Cod. 228. Vigilius Papa in Conſtituto loquens de eâdem relatione Synodi ad Marcianum, hæc ſcribit ad Juſtinianum: *Quam vos quoque veſtris legibus, dum Orthodoxâ profeſſione* unum de ſanctâ Trinitate *Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum confitendum adſtruitis, ad teſtimonium laudabiliter adduxiſtis.* Verùm quamvis magna Synodus epiſtolam Procli ad Armenios laudaverit, haud inde fit conſequens, ut omnes ibidem aſſertæ propoſitiones cenſeri poſſint ſpeciali approbatione Synodi confirmatæ. Unum tamen evincitur, videlicet nullum in eo Procli ſcripto errorem contineri. In Concilio Romano ſub S. Gelaſio Papâ ura S. Leonis ad Flavianum epiſtola in omnibus *uſque ad unū jota* recipiēda jubetur, ut nihil illius citrà læſæ fidei piaculum, in dubium à quoquam poſſit revocari.

Utì verò varia ſunt hominum judicia, non deſuere qui eam propoſitionem, *Unus è Trinitate paſſus eſt*, non modò à Synodo Calchedonenſi probatam negaverint, verùm etiam contenderint in eâdem potiùs damnatam fuiſſe. Nam in Actione IV. Dorotheus Monachus Eutychetis ſectator dixit ſe credere in Chriſtum, addens: *Hunc ex Trinitate eſſe fatemur*, & ſtatim: *Credimus ergo illum paſſum ex Trinitate eſſe.* Hinc Dioſcorus Hormiſdæ Papæ ad Imperatorem Juſtinum Legatus, in ſuggeſtione ad eundem Pontificem, quò oſtenderet propoſitionem *de uno ex Trinitate paſſo*, eſſe erroneam, ait: *Iſtud & Eutychetis diſcipuli in Synodo Calchedonenſi propoſuerunt.* Trifolius etiam id temporis in epiſtolâ ad Fauſtum Senatorem ſcribit, Dorotheum Eutychianum, ac Caroſum ejuſdem ſectæ Monachum dixiſſe in Synodo memoratâ: *Unum de Trinitate eſſe paſſum*, additque: *Talia dicentes ſupraſcripti Archimandritæ acceperunt damnationem cum Eutychete, & omnes hæretici.* Verùm non ob eam prolatam propoſitionem iidem Archimandritæ damnati ſunt, ſed quia ibidem Eutychetis errorem de unicâ in Chriſto naturâ ſequebantur, ac de Hæreſiarchâ dixere: *Quia orthodoxus eſt is homo, & fit ei calumnia.* Ferrandus Diaconus Carthaginenſis in doctiſſimâ epiſtolâ ad Anatolium R. E. Diaconum cap. 16. ait: *Nec movere quempiam debet, ſi verè hanc ſententiam, ſicut à quibuſdam dicitur, Eutychetis protulit apocriſarius in Calchedonenſi Concilio. Sæpè etiam per ignorantes loquitur veritas.* Rectè autem monet, Patres noluiſſe eam propoſitionem Synodicis definitionibus inſerere, *Ne viderentur intellectum loquentis potiùs adprobaſſe, quàm verba.* Utì enim Catholici ea verba congruo ac dextro ſenſu accipiebant, ita Eutychiani eadem depravatè interpretabantur, utì mox exponemus.

CAPUT II.

Propoſitio: Unus è Trinitate eſt paſſus, *à Petro Fullone Eutychiano ſenſu expoſita. S. Felix Pontifex Romanus fatetur Chriſtum unum de Trinitate: eundem non in Deitate, ſed carne paſſum. Imperator Zeno unum è Trinitate in Henotico publicat. Hoc edictum Patriarchæ Græci recipiunt; at Eccleſia Romana condemnat. S. Euthymius ac Sabas Chriſtum unum de Trinitate contrà Neſtorianos prædicant. Imperator Anaſtaſius in pſeudoſynodo damnandos curat negantes unum de Trinitate paſſū. Id addit e Triſagio. Severiani eâdem propoſitione abuſi: quam Catholici recto ſenſu profeſſioni fidei inſerūt.*

EUtychiani Neſtorianam hæreſim oppugnantes, quodam veluti pugnæ furore abrepti, in extremos errores deciderunt, dum in myſterio Incarnationis Dominicæ utrique ea dogmata renovarunt, quæ dudum Eccleſia in Sabellio atque Ario, in arcano Trinitatis exponendo, damnaverat. Etenim Neſtorius ex duplici naturâ Chriſto inexiſtente, duas quoque in eodem perſonas obtruſerat. Ex adverſo Eutyches ex unitate perſonæ in Chriſto, unam quoque naturam commentus eſt. Equidem Eutychiani in Synodo Calchedonenſi proſcripti, quò damnatæ hæreſi fidem facerent, binas propoſitiones à ſanctis Patribus contrà Neſtorianos ſtatutas, magno apud ſectarios plauſu, Catholicis objectabant. Prior erat mutuata ex S. Cyrilli libris ſententia: *Una Dei Verbi natura*

incar-

Digitized by Google

incarnata. Alteram ex Procli epiſtolis deſumpſerant: *Unus è Trinitate eſt paſſus.* De theſi Cyrilli quædam opportuniori inferiùs loco ſubnotabo. De Procli pronuntiato juxtà ſuſceptum argumentum, ſermonem tantùm inſtituam. Petrus Fullo Eutychianorum peſſimus, Antiochenæ ſedis invaſor, cùm unicam eamque divinam in Chriſto naturam adſtrueret, eandem quoque paſſam fuiſſe affirmabat, ea ſe tradere teſtatus, quæ magni in universâ Eccleſiâ nominis Proclus paulò antè docuerat. Ita homo vafer & perditus ſub pulchriori larvâ hæreſis turpitudinem occulere tentabat. Nam S. Patriarcha hæc diſertè in Epiſtolâ ad Armenios ſcribit: *Nec enim dicentes Filium paſſum, ratione Deitatis eum paſſum ſentimus; divina ſiquidem natura nullam prorsùs recipit paſſionem: ſed confitentes Deum Verbum unum ex Trinitate incarnatum* &c. Ubi docet ideò Verbum hominem factum, ut qui Deus nulli poterat paſſioni ſubjectus eſſe, homo factus, paſſionem ſubiret. Idem autem Fullo quò ſuam cunctis hæreſim inſtillaret, ſacro hymno Triſagii: *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, appendicem inſeruit: *qui paſſus es pro nobis*, ſperans ſceleratæ adjectionis cantilenâ Clerum, ac populum ad impiæ blaſphemiæ profeſſionem compellere. Cùm verò paſſim argueretur, quòd Trinitatem, quæ eo hymno invocabatur, paſſam mentiretur, novo errore priorem commutans, Triſagium ſoli Verbo Deo cani autumavit, qui ſolus paſſus eſt pro nobis, ac proinde non tota Trinitas, ſed *unus è Trinitate paſſus*, ſæpiùs eidem pro concione dicebatur. Horum teſtis eſt idem qui ſupremus Eccleſiæ judex ſententiam contrà eundem Fullonem pronuntiavit Felix III. hæc illimet exprobrans Epiſt. 3. *At verò tu in Eccleſiâ auſus es dicere, quòd unus increatæ, atque individuæ Trinitatis paſſionem ſubiit: & per hoc conſubſtantialem quoque ſolvere niteris, ac Deum ſubjicere numero.* Etenim cùm in Chriſto uno ex Trinitate unicam naturam divinam ſtatueret, conſubſtantialem Dei naturam negabat, unàque tres Deos impiè inducebat; ſiquidem Fullo dicebat, *Unum de Trinitate paſſionem pro nobis pertuliſſe in ſubſtantiâ Deitatis*, teſte eodem Felice Epiſt. 5. ad Zenonem Auguſtum. Nam ſubſtantia paſſibilis non eſt idem cum ſubſtantiâ intrinſecè impaſſibili; undè cùm ſubſtantia ſeu natura Filii juxtà Fullonem, eſſet paſſibilis, natura verò Patris ac Spiritùs Sancti impaſſibilis, una eademque natura eſſe nequibant; ac proinde divinæ perſonæ non poterant dici conſubſtantiales, ſed diſtinctæ naturæ, atque adeò plures Deos inducentes, juxtà Fullonis errorem.

Idem Felix in laudatâ Epiſtolâ 3. ad Petrum Fullonem ſcribens, ait: *Quâ igitur parte unigenitus Filius conſubſtantialis Patri, & unus individuæ Trinitatis, increatus, atque inviſibilis, impaſſibilis, & immortalis permanſit. Quod ergo increatum, atque immortale eſt, creaturæ ne applices, neque Deorum pluralitatem confirmare pergas, dicens* Unum ſanctæ Trinitatis mortuum eſſe. *Rursùs quâ parte ex muliere natus eſt, & ſubſtantiæ noſtræ, ac generationis eſt particeps, abſque peccato, ſuſtinuit paſſionem.* Duo in hiſce verbis notanda ſunt. Nam Filius quatenùs unigenitus Patris, dicitur *unus individuæ Trinitatis*, quæ formula loquendi, uti poſteà demonſtro, in reprehenſionem proximo ſæculo vocata fuit, ita ut magnis etiam Viris aut odioſa, aut ſaltem ſuſpecta fuerit, & longiori etiam examine diſcuſſa, priuſquam ab Apoſtolicâ Sede probaretur. Rursùs ex laudato Pontificis teſtimonio patet, Petrum Fullonem blateraſſe unum ſanctæ Trinitatis, quà Deum, paſſionem ac mortem ſubiiſſe, non autem quatenùs homo erat, uti Proclus contrà Eutychianos, jam jam erupturos, in laudatis epiſtolis præmonuerat. Scio nonnullis laudatam epiſtolam haud legitimam videri; ſed ſecùs dicendum puto ex Anaſtaſio Bibliothec. in Epiſtolâ ad Joannem Diaconum tom. XII. Bibl. PP. edit. ult. pag. 834. lit. F.

Cùm Zeno, devicto, ac deinde occiſo Baſiliſco tyranno imperium recuperaſſet, quò graſſantes paſſim de religione diſcordias ſopiret, anno vulgaris Epochæ 482. edictum de fide, quod Henoticum dixere, publicans, univerſos eidem Epiſcopos ſubſcribere imperavit. In eo laudata hactenùs Procli ſententia in hæc verba concepta, legebatur: *Trinitas enim manſit Trinitas, & incarnato uno de ſanctâ Trinitate Deo Verbo.* Hocce edictum recitant Liberatus cap. 18. Breviarii, & Evagrius lib. 3. cap. 14. At Henotico recipiendo tùm Hæretici, tùm etiam Catholici repugnabant. Imò Severus Eutychianorum primipilus illud programma non ἑνωτικὸν, *unitivum*, ſed κενωτικὸν i. e. *inane* irriſionis causâ appellabat. Nam cùm in eodem legeretur: *Eos autem qui dividunt, aut confundunt, aut phantaſiam introducunt, omnino non recipimus*, pari ſententiâ & Neſtoriani Chriſtum in duas perſonas dividentes, & Eutychiani duas Chriſti naturas partìm in unam confundentes, partìm phantaſticum ejuſdem corpus aſſerentes, damnabantur; unde ibi etiam legebatur: *Anathematizamus præcipuè verò prædictos Neſtorium, & Eutychen, & quæ eorum ſunt ſapientes.* Hinc utraque hæreticorum factio, contrariis licèt erroribus addicta, pari tamen conſenſu Henotico refragabatur. Prætereà Catholici animadvertentes in eo edicto tres tantùm Synodos ſervandas juberi, omiſſo Concilio Calchedonenſi, ac S. Leonis Magni ad Flavianum epiſtolâ, quibus velut invictis armis Orthodoxa religio de utrâque hæreſi hactenus triumphaverat, Henoticum in Occidente unanimi cum Eccleſiâ Romanâ conſenſu reſpuerunt. Cæterùm magna pars Antiſtitum Orientis partim amittendarum Sedium metu, partim occupandarum ambitione ducti, Henoticum admiſerunt. Acacius omnium primus Zenonis edictum, cujus etiam auctor ferebatur, approbavit, ac Petrum Moggum Alexandrinæ Sedis incubatorem, abs ſe anteà damnatum, in communionem admiſit, ubi is pari perfidiâ Henotico conſenſit. Petrus Fullo ex Antiochenâ cathedrâ ſemel & iterùm ejectus, eandem Henotici ſubſcriptione recuperavit, Calendione Patriarchâ Catholico expulſo. Horum exemplo plurimi minorum gentium Epiſcopi Imperatoris edictum in ſuis quique Eccleſiis publicarunt. Hinc toto paſſim Oriente præſcripta verba reſonabant: *Trinitas enim manſit Trinitas, & incarnato uno de Trinitate Deo Verbo.*

Hanc ſententiam à Proclo primùm inductam, ſoli Neſtoriani averſabantur, cùm ea tamen ab Orthodoxis in Oriente tanquam Catholici dogmatis ſymbolum, contrà eoſdem hæreticos prædicaretur. Auctor eſt Cyrillus Scythopolitanus S. Euthymium inſignem in Palæſtinâ Monachorum inſtitutorem, in ſubjectis ſibi cœnobiis Catholicam fidem inter furentes circumquaque hæreticos illibatam ſervaſſe: *Ex quo*, inquit, *etiam circà Chriſti myſterium Neſtorii diviſionem, & Eutychis confuſionem rejiciebat: piè confitens unum ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis divinum Verbum in ultimis diebus carnem factum &c.* Obiit Euthymius die 20. Januarii, anno 473. Idem Cyrillus in libro de Vitâ Sanctæ Sabæ Abbatis, ait, duos Monachos ad

eundem veniſſe, quos inquit, *Cùm videret eadem ſentire quæ Neſtorius, & neque Chriſtum unum eſſe ſanctæ Trinitatis, neque rursùs B. Virginem confiteri Deiparam, valdè angebatur.* Hæc ille narrat Sabæ contigiſſe antequàm Anaſtaſius imperium iniret. Ex his patet Catholicos Leone, ac Zenone imperantibus, communi conſenſu cecidiſſe Chriſtum unum de Trinitate dicendum eſſe, quod ipſum omnes etiam hæretici Henoticum admittentes, fatebantur, ſolis eam theſim Neſtorianis negantibus, contrà quos illam met Proclus inclamaverat. Theodorus Lector lib. 2. Collectan. ſcribit: *Cùm omnes, ut fertur, alii Patriarchæ Henoticum Zenonis approbarent, ſolus Felix Romanus illi non communicavit.*

Felice Pontifice defuncto, ac ejuſdem ſucceſſore Gelaſio, Anaſtaſius pontificatum ſuſcepit, cujus ſibi primas curas poſuit, ut Orientalem Eccleſiam cum Occidentali, ſchiſmate ſublato, conjungeret. Hinc Germanum ac Creſconium Epiſcopos Legatos deſtinavit ad Anaſtaſium, qui defuncto antè quadriennium Zenone, imperabat. Cùm autem Legati doloſâ Anaſtaſii arte, longiores in regiâ urbe moras trahere cogerentur, Apocriſarii Eccleſiæ Alexandrinæ libellum eiſdem obtulerunt, quò in communionem à Romanâ Eccleſiâ Ægyptii admitterentur. In eo libello brevior fidei profeſſio continebatur, in quâ hæc cætera inter legebantur: *Quia incarnatio illa, quam Dei genitrix ſecundùm veritatem ex ſe edidit, augmentum filii non effecit. Manſit enim Trinitas, etiam incarnato, quod unum ex Trinitate eſt, Verbo Dei.* Omnes Patriarchas Alexandrinos Henoticum recepiſſe, teſtatur Leontius Act. V. de Sectis. Feſtus Senator Romanus Anaſtaſio Imperatori ſpopondit, perſuaſurum ſe Anaſtaſio Papæ ut Henoticum etiam Romæ publicaret. Verùm ubi Feſtus Romam rediit, Pontifex vivendi finem fecit; & quamvis ille emptis multorum ſuffragiis, Laurentium contrà Symmachum eligendum curaſſet cum eo, ut Henoticum approbaret, Symmachus ſopito ſchiſmate, Eccleſiam regendam ſuſcepit. Hæc Henotici in Latinâ Eccleſiâ repudiatio fecit, ut propoſitio *De uno ex Trinitate incarnato* in Occidente neutiquam uſurparetur, cujus vice Latini *Unam de Trinitate perſonam* dicebant; cùm tamen prior formula eſſet per Orientem vulgatiſſima.

Anaſtaſius Eutychianæ ſectæ addictus, ſacra omnia perfidus peſſum dabat, eòque res Catholicorum adductæ erant, ut ſecum invicem Neſtorianorum & Eutychianorum factionibus colliſis, dubii cæteri hærerent, quâ ſecuriori demum viâ tot inter hoſtes incederent. Extat Orientalium epiſtola ad Symmachum Papam, in quâ penè deploratum in Oriente Catholicæ rei ſtatum deſcribentes, *Inter duas*, inquiunt, *diabolici vias erroris, Eutychetis atque Neſtorii: tertiam imò mediam nobis oſtendas expreſſiùs veri rectique dogmatis viam. Dubiam eam fecerunt noſtra peccata, æſtimantibus quibuſdam non poſſe inter Neſtorii, & Eutychetis ſalutis viam mediam reperiri, ſed quòd omnino neceſſe ſit illius eſſe quempiam, aut illius.* Neſtoriani ubi quempiam ſibi ipſis contradicentem audiebant, eundem Eutychianum ignominiæ causâ appellabant. Ex adverſo Eutcyhiani cæteris licèt Catholicis, Neſtorianæ hæreſeos notam inurebant. Vigilius Tapſenſis Epiſcopus initio ſtatim libri primi ſcribit, ita utriuſque hæreſeos dogmata ſibi adverſa conſiſtere, *Ut utrumque ſinè alterius periculo plerique vitare non poſſint; dum ſi quis Neſtorii perfidiam damnat, Eutychetis putatur errori ſuccumbere. Rursùs dum Eutychianæ hæreſis impietatem deſtruit, Neſtorii arguitur dogma erigere.* Idem tradit Facundus lib. 1. cap. 2. Cæterùm Anaſtaſius defuncti Petri Fullonis veſtigiis inſiſtens, ejuſdem errores ſummo quo poterat imperio, parique perfidiâ promovit. Hæc pluribus narrantur in magnis Eccleſiæ Annalibus. In præſentiâ ea tantùm, quæ ad inſtitutum faciunt, expono. Victor Tunonenſis in Chronico ad Joannis Gibbi conſulatum, quo in Faſtis ſignatur annus vulgaris Epochæ 499. ſcribit Anaſtaſium Auguſtum Synodum congregaſſe contrà Diodorum Tarſenſem, Theodorum Mopſneſtiæ, Theodoretum Cyrrhi, *Cæteroſque alios, qui in Chriſto duas prædicabant naturas, duaſque formas, & qui non confitentur unum de Trinitate crucifixum, unà cum Leone Epiſcopo Romano, & ejus tomo, & Synodo Calchedonenſi inferri anathema perſuaſit.* Hinc illa propoſitio: *Unus è Trinitate crucifixus eſt*, utì ab Imperatore Eutychiano, & ejuſdem ſectæ Epiſcopis Synodali ſententiâ comprobatâ, & ab iiſdem hæreticis veluti ſuæ ipſorum factionis teſſera plenis buccis decantata, malè olere cœpit apud Catholicos in Occidente; undè poſteà Dioſcorus Hormiſdæ legatus de eodem effato ad Pontificem ſcripſit: *Iſtud Anaſtaſius Imperator magnoperè Catholicis imponere feſtinavit.* Proclus in Epiſtolâ ad Joannem Antiochenum ſcripſerat: *In hac ipsâ eſſentiâ, quâ conſtat, & unitus eſt Filius Patri & Spiritui, non dicimus eum paſſum, ſed carne, quæ ex nobis & pro nobis eſt factus. Non autem alius eſt factus, niſi unus de Trinitate, & crucifixus eſt carne, quâ paſſus eſt.* At Anaſtaſius cæterique Eutychiani malo dolo, vocem *carne* omittebant, ut Chriſtum in ipsâ divinâ naturâ paſſum obtruderent, cùm juxtà placitum ſectæ, unicam tantùm in Chriſto naturam eſſe contenderent. Enimverò Anaſtaſius quò populum Conſtantinopolitanum in eandem hæreſim traheret, ingens facinus aggreſſus eſt. Annus agebatur Æræ Chriſtianæ 512. idemque viceſimus ſecundus imperii Anaſtaſii, cùm die Dominico pridie Nonas Novembris, in Eccleſiâ Sancti Archangeli magnâ frequentiâ populi, canentibus pſaltibus hymnum Triſagii, Marinus ac Plato, juſſu Imperatoris in pulpito conſiſtentes, altiori voce Eutychianam Petri Fullonis appendicem: *Qui crucifixus es pro nobis*, cecinere, quibuſdam etiam popularibus eam in rem mercede conductis, eandem clauſulam repentibus. Hinc in ipsâ Eccleſiâ ſtatim orta ſeditio, ac plebe pro avitâ religione tumultuante, dejectæ Anaſtaſii ſtatuæ, Ariobinda conclamatus Imperator. Mulierum, puerorum agmina, ac Monachorum turmæ diu noctuque per urbem diſcurrebant, Triſagium excluſâ impiâ additione, pleniori voce concinentes, & Anaſtaſium ſanctæ Trinitatis hoſtem inclamantes. Ille verò intrà occluſas palatii fores latitans, ſolitis perjuriis, ac doloſis verbis populum placavit, jurans nihil deinceps ſe in ſacris Eccleſiæ ritibus innovaturum.

Eodem anno Flaviano Patriarchâ expulſo, Severus jubente Imperatore Anaſtaſio, Antiochenam ſedem invaſit. Hominis Eutychiani flagitia ac ſacrilegia fuſiùs deſcribunt Clerici Antiochiæ in literis ad Joannem Patriarcham, Act. V. Synodi C.P. ſub Mennâ, & Cyrillus Scythopolitanus in libro de Vitâ S. Sabæ. Cùm Eutychiani ſecum invicem diſſiderent, Severus retento communi ſectæ dogmate de unicâ in Chriſto naturâ, ac variis deceſſorum opinionibus rejectis, quoſdam veluti peculiares canones procudit, qui cùm non paucis Sectariorum in Syriâ placuiſſent, hi paſſim de magiſtri nomine *Severiani* vocabantur. Sanctus Anaſtaſius Sinaita Patriarcha Antiochenus, qui eodem deſinente ſæculo floruit, in

libro,

Digitized by Google

libro, cui titulus: *Viæ dux*, cap. 9. ſcribit Severianos dicere: *In myſterio Incarnationis Chriſti, qui eſt unus de Trinitate, unum & idem eſſe naturam & hypoſtaſim ſive perſonam.* Cùm verò una tantùm natura divina in Chriſto à Severianis adſtrueretur, in obiectum à Catholicis abſurdum decidebant, ut naturam divinam paſſam dicere cogerentur, ac in pejorem indè blaſphemiam detruſi, totam Trinitatem paſſam ac crucifixam blaterarent. Hæc ſcribit laudatus Anaſtaſius cap. 15. *Ego dico*: Chriſtus carne paſſus eſt. *Severiani dicunt*: Trinitas paſſa eſt. *Eccleſia dicit*: Chriſtus mortuus eſt. *Severiani aggerunt*: Trinitas mortua eſt, *quia omnia quæ dicuntur de Chriſto, in Trinitatem redundant.* Catholici tamen in Syriâ ac Palæſtinâ ducibus Flaviano, ac Eliâ Patriarchis, ac S. Saba Abbate, ita Chriſtum unum ex Trinitate fatebantur, ut duas in eodem naturas in unâ Verbi Dei ſubſiſtentiâ contrà Neſtorianos atque Eutychianos conſtanter aſſererent. Extat libellus profeſſionis fidei, quem Clerici & Abbates diœceſium Antiochiæ, Jeroſolymorum, & ſecundæ Syriæ ſtatim poſt extinctum Anaſtaſium, Juſtino novo Imperatori obtulerunt. In eo ſcripto inquiunt: *Nunquam per Chriſti gratiam à traditis nobis rectis dogmatibus deviavimus, ſicut rerum teſtatur probatio, & tempore neceſſitatis fidei conſtantia demonſtrat*; quâ ſcilicet illatam Orthodoxis perſecutionem ab Anaſtaſii Præſidibus, nec non à Severo ceteriſque Eutychianis, Deo favente, non tantùm ſuſtinuerant, verùm etiam fortiter ac feliciter ſuperaverant. Hæc rurſus iidem profitentur: *Hoc enim verè magnum pietatis myſterium, quia unus ex ſanctâ unius eſſentiæ Trinitate incarnatus, & homo factus Deus Verbum in utraque naturâ Deitatis & humanitatis indiviſè & inconfuſè cognoſcitur &c.* Legitur eâ fidei profeſſio antè Epiſt. 75. Hormiſdæ, & inferiùs aliâ occaſione iterùm memorabitur. Interim colligimus famoſam S. Procli propoſitionem *De uno ex Trinitate incarnato* à Catholicis in Oriente in profeſſione fidei recitatam fuiſſe; quamvis ex eâdem fraudulenter decurtatâ, Eutychiani ſuorum errorum portenta impiè deduxerint.

CAPUT III.

Juſtino ad imperium evecto: Hormiſdas Pontifex per Legatos, Orientalem Eccleſiam cum Romanâ concordem facit. Monachi Scythæ diſputant de uno ex Trinitate coram Legatis, qui recuſant novam illam loquendi formulam adprobare. Eorundem Monachorum profeſſio fidei, Apologia, ac capitula. Profeſſio Maxentii ex definitione Synodi Calchedonenſis exſcripta. Idem theſim de uno ex Trinitate Patrum teſtimoniis, ac validis ratiociniis confirmat. Acœmetæ Monachi Maxentio ac collegis contradicunt. Variæ eâ in controverſiâ Magnatum ſententiæ. Monachi Scythæ Romam ſe conferunt.

Anaſtaſius Imperator plenam ſacrilegiis ſenectutem anno 518. improviſo fulmine afflatus, abſolvit, ac vacuam imperii ſedem eâ ipſâ nocte antè diem decimum Julii, Juſtinus Procerum quorundam, ſed Prætorianorum præcipuè militum operâ indeptus eſt. Nulla illi cum extincto Principe affinitas erat, nullæ majorum imagines, ſed agreſti genere ortus, ac dein caſtra ſecutus, per omnes militiæ gradus ad inſignes præfecturas evaſerat. Orthodoxæ religioni addictus, eidem non tam reparandæ, quàm ab hæreticorum oppreſſionibus vindicandæ, primas ſuſcepti recèns imperii curas impendit, ita ut ejuſdem conſilio, Joannes Patriarcha ſexto ſtatim novi principatûs die, coram quibuſdam Epiſcopis, univerſo Clero, ac maximâ populi frequentiâ publicè in Eccleſiâ ſanctam Synodum Calchedonenſem, ac S. Leonis Magni nomen in ſacris diptychis recitaverit, acclamante populo: *Exhumentur oſſa Neſtorianorum; exhumentur oſſa Eutychianiſtarum &c. Synodica Romana modò valeant. Digne Trinitate Juſtine Auguſte; tu vincas &c.* Act. V. Synodi C-P. ſub Mennâ. Hæc ubi celeri famâ per Romani imperii provincias vulgata ſunt, Catholici in ſpem certam erecti, Deo vota ſolvere, optimo Auguſto felicitatem comprecari, ac totius Eccleſiæ concordiam augurari. Ceteros inter Epiſcopos initio imperii Juſtini in regiam urbem advenerat Paternus Tomorum in provinciâ Scythiâ Metropolitanus, quem è veſtigio quidam Monachi cum eodem diſſidentes inſecuti ſunt, eo forſan conſilio, ut coram Joanne Patriarchâ cauſa diſceptaretur. Juſtinus Acaciano ſchiſmati profligando intentus, literas ad Hormiſdam Romanum Pontificem miſit, ſignificans ſibi imperium delatum fuiſſe, ſimulque rogans, ut Legatos Conſtantinopolim deſtinaret, quorum operâ abrupta dudum Orientalem inter ac Occidentalem Eccleſiam, concordia repararetur. Hormiſdas nil cunctatus, quinque Legatos decrevit, quibus juſſit, ut exſcenſione factâ in Epiro, eam Provinciam, aliaſque proximas in ipſo itinere cum Romanâ Eccleſiâ ſociarent. Eâ legatione functi ſunt Germanus Capuæ, ac Joannes Epiſcopi, nec non Blandus Presbyter, ac Felix Diaconus, quibus additus Dioſcorus patriâ Alexandrinus, ac in eâ Eccleſiâ ordinatus, non tam ob agendarum rerum, quàm ob Græcæ linguæ peritiam, ad id muneris in Græciâ obeundi maximè idoneus.

Legati Pontificii anno 519. die 25. Martii, feriâ ſecundâ majoris hebdomadis, decimo ab urbe milliario à Vitaliano Magiſtro militum, Juſtiniano nepote Imperatoris, multiſque Senatoribus ſplendidâ pompâ excepti, Conſtantinopolim pervenerunt. Joannes Patriarcha oblatam ſibi à Legatis profeſſionem fidei libello inſerens, ac ſubſcribens, ab iiſdem in communionem cum Romanâ Eccleſiâ receptus eſt, eoque pacto diuturniori ſchiſmate ſublato, ſummâ totius populi lætitiâ die 31. Martii feſta Paſchalia celebrarunt. Verùm illatam Legatorum operâ pacis ſerenitatem excitatæ à memoratis Scythiæ Monachis quæſtionis nubilum obumbravit, quo etiam latiùs ſeſe brevi effundente, Occidentalis quoque Eccleſia turbata eſt. Victor quidam Diaconus antè Legatorum adventum controverſiam habuerat cum memoratis Monachis *de uno de Trinitate crucifixo, et de Chriſto compoſito, & de aliis capitulis*, ut ait Dioſcorus in ſuggeſtione ad Hormiſdam Tom. 4. Conc. pag. 1519. Et illi quidèm accuſationis libellum cont. Victorem Legatis, & Joanni Patriarchæ obtulerunt. Victor in judicium vocatus reſpondit recipere ſe Synodum Calchedonenſem, ac Synodicas ſanctorum Leonis Papæ, ac Cyrilli Alexandrini epiſtolas: *Scythæ è contrà inchoaverunt dicere: Addatur & unus de Trinitate.* Legati interlocuti repoſuerunt: *Quod non eſt in quatuor Conciliis definitum, nec in Epiſtolis beati Papæ Leonis, nec nos dicere poſſumus, nec addere.* Scythæ enim contendebant effatum illud *unus è Trinitate*, tanquam fidei dogma ad evertendas Neſtorianorum verſutias neceſſarium, à nemine poſſe ſinè piaculo denegari. Ex his patet, Monachos eâ in cauſâ actores fuiſſe, eorumque inſtantiam Legatos nullatenùs adprobare

voluiſſe, quòd ea loquendi formula in Synodo Calchedonenſi non legebatur. Legati probam aliàs propoſitionem, improbâ tamen ab Eutychianis larvâ deturpatam, horrebant. Hærebat oculis peſſima imago, quam olim Petrus Fullo, ac nuper Anaſtaſius Imperator, ambo Eutychiani, eidem propoſitioni induxerant. Cùm Monachi intelligerent ſeipſos in invidiam paſſim vocari; quòd theſim *de uno ex Trinitate*, utì neceſſarium ſupplementum Synodo Calchedonenſi adiiciendam proponere dicerentur, eruditam ſanè apologiam Legatis obtulerunt, quâ illatam ſibi ab adverſariis calumniam ſolidè confutarunt. Hæc legitur inſerta Bibliothecæ Patrum tom. ix. ultimæ editionis pag. 534. à Joanne Maxentio ac Scythis Monachis, ipſiſmet quinque Legatis nominatim inſcripta. Ejus ſcripti ſumma eſt: Nullum ſe augmentum magnæ Synodo adiicere, nullamve illius periodum retractare, ſed aſſerta Synodi adversùs Neſtorianorum technas deſumptis ex libris ſanctorum Patrum teſtimoniis, corroborare. Hæc inter erat theſis de uno ex Trinitate incarnato à S. Proclo in Epiſtolâ ad Armenios ſtatuta. Superfluò ſibi obiici: *Quod Synodus non dicit, nullatenus dici debere*; quia multa in Synodis non leguntur, quæ tamen cùm ratio cogit, proferre minimè dubitamus. Hæc ex uno Auguſtino lib. 5. de Trinitate cap. 7. ſcribente, confirmant: *Non eſt in rebus conſiderandum quid vel ſinat, vel non ſinat dici uſus ſermonis noſtri, ſed quis rerum ipſarum intellectus eluceat.* Ipſa ſanè Synodus Calchedonenſis Monachorum diligentiæ favet: ſiquidèm ubi in proſphonetico ad Marcianum Auguſtum notaſſet poſt novos quoſque errores ab hæreticis inductos, Symbolo Nicæno adjectiones aliquas ab aliis poſteà Synodis factas, non tanquam novas fidei regulas, ſed veluti novas vetuſtę fidei explanationes, ait: *Quia & nunc licet, ut ambiguitate quæſtionis exortâ, Patrum interpretationibus noſtram confeſſionem adiungere, ac docere, quòd in nulla diſcordem intelligentiæ eorum detulerimus animum, ſed his utamur teſtibus ad noſtræ fidei firmitatem.* Ubi poſteà commendatur laudata Epiſt. Procli ad Armenios. Cùm verò circà finem libelli oblati Legatis, Monachi ſcribant: *Nunc jam qualiter de Incarnatione tantùm Dominicâ, ſivè quid de gratiâ Dei &c. ſapiamus, neceſſariò vobis credimus facere manifeſtum*, palàm deſignant annexa capitula, quæ aut eadem, aut ſimilia fuere iis, quæ eo tomo Bibl. PP. pag. 537. recitantur cum adjectis anathematiſmis. Illorum quinque quę ad inſtitutū maximè faciunt hìc adpono.

I *Si quis non confitetur in Domino noſtro Ieſu Chriſto duas naturas unitas, hoc eſt divinitatis & humanitatis, ac ſic unam naturam Dei Verbi incarnatam, ſicut duas unitas in unâ ſubſiſtentiâ, atque perſonâ, ſecundùm quòd nobis tradidit veneranda Synodus Calchedonenſis, anathema ſit.*

II *Si quis non confitetur propriè & verè ſanctam Mariam Dei genitricem, ſed propter honorem tantùm hoc ei nomen tribuit, quia peperit hominem, qui ſecundùm gratiam dicitur Deus, non autem quia peperit Deum incarnatum, & hominem factum, anathema ſit.*

IV. *Si quis non acquieſcat confiteri Chriſtum unum de Trinitate, etiam cum carne propriâ, qui pro nobis paſſus eſt in carne, quamvis ſecundùm carnem non ſit de ſubſtantiâ Trinitatis, ſed ſit idem ex nobis, anathema ſit.*

VI. *Si quis dicit Chriſtum paſſum carne, Deum verò paſſum carne, dicere non acquieſcit, quòd ipſum intelligitur, Chriſtum paſſum carne, anathema ſit.*

IX. *Si quis non confitetur compoſitum Chriſtum poſt incarnationem, anathema ſit.*

In tribus inſequentibus capitulis Pelagianorum errores condemnantur. Novem autem priora contrà Neſtorianos ſtatuuntur, & in primo famoſa S. Cyrilli propoſitio de unâ Verbi Dei naturâ incarnatâ adſtruitur, in quâ ſiniſtro ſenſu, & ab ipſo Auctore Cyrillo diſertè damnato, à Dioſcoro Patriarchâ Alexandrino intellectâ, Eutychiani ſuam poſteà hæreſim fundarunt. Extat etiam alia profeſſio Maxentii, in quâ memorata capitula ſanctorum Patrum teſtimoniis, & acutis etiam ratiociniis egregiè comprobantur. Illius initium eſt: *Igitur ſequentes in omnibus fidem Sanctorum Patrum &c.* & legitur à p. 534. tom. ix. laudatæ Bibliothecæ. Ibi autem ait: *Unum eundemque Chriſtum Filium Dei unigenitum, in duas naturas, inconfuſè, incommutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter cognoſcendum. In nullo naturarum diverſitatem propter unitatem perimendam, ſalvâ potiùs proprietate utriuſque naturæ in unâ perſonâ unaque ſubſiſtentiâ concurrente.* Concilium Calchedonenſe in fidei definitione hæc decernit: *Unum eundemque Chriſtum, Filium, Dominum, unigenitum, in duabus naturis, inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter agnoſcendum. Nuſquam ſublatâ differentiâ naturarum propter unitionem, magiſque ſalvâ proprietate utriuſque naturæ, & in unam perſonam, atque ſubſiſtentiam concurrente.* Quis autem non ſtatim videat Maxentium ipſiſſimas magnæ Synodi ſententias, iiſdem omninò verbis, exſcripſiſſe, & ſi quæ minima ſit verbi alicujus diverſitas, eandem diverſæ interpretationi adſcribendam, cùm ea definitio Græcè à Patribus prolata fuerit? Cùm verò ea apud Synodum ſententia Eutychianam hæreſim profliget, apud Maxentium ſimiliter eadem hæreſis damnata apparet. Proximè in profeſſione Maxentii Neſtorii quoque error hiſce proſcribitur: *Non in duas perſonas partiendum, aut dividendum, ſed unum eundemque Filium unigenitum, Deum verbum, Dominum Jeſum, ſicut ab initio nobis Prophetæ dixerunt de Deo, & ipſe nos Chriſtus erudivit.* An non hæc quoque ſunt ſacræ ibidem Synodi verba? *Non in duas perſonas partitum, aut diviſum; ſed unum eundemque Filium, & unigenitum, Deum Verbum, Dominum Jeſum Chriſtum, ſicut antè Prophetæ de eo, & ipſe nos Jeſus Chriſtus erudivit &c.* Dein Maxentius tradit S. Flavianum Patriarcham C-P. ac Martyrem, in libello de fide ad Theodoſium Imperatorem, deſumptam ex Cyrillo ſententiam poſuiſſe; *Unam naturam Dei Verbi incarnatam*, de quâ aliàs ſermo redibit. His veluti procemii loco præmiſſis, ad ſpecialam theſim id temporis acri, ac vehementi contentione diſputatam, deſcendit, ac contrà Theodorum Mopſueſtenſem, ejuſque diſcipulum Neſtorium, Chriſtum quaſi quid extrà Trinitatem ponentes, ait: *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui pro nobis paſſus eſt carne, unum de tribus ſubſiſtentiis unius divinitatis eſſe credimus.* Hanc loquendi formulam ſanctorum Auguſtini ac Procli teſtimoniis confirmat. Nam Auguſtinus in Enchiridio cap. 38. ait: *An & quando unus trium in aliquo opere nominatur, univerſa operari Trinitas intelligitur?* Unus trium idem eſt, ac unus è Trinitate. Alterum teſtimonium appellat ex lib. 2. de Trinitate cap. 10. ubi ait: *Neque hìc ergo evidenter apparet, utrùm aliqua ex Trinitate perſona, an Deus ipſa Trinitas &c. viſus ſit Abrahæ.* Porrò aliqua perſona ex Trinitate idem eſt ac unus ex Trinitate indiſcretè nominatus. Dein addenſat locupletiſſima S. Procli teſtimonia in confutatione capitulorum Theodori annexa Epiſtolæ ad Armenios, quæ tamen capitula interciderunt. Quædam teſtimonia ejuſdem ſuperiùs cap. 1. recitavi.

Unum

Digitized by Google

Unum & alterum adiiciam, quòd ipſammet propoſitionem non contineant tantùm, ſed duplici etiam argumento demonſtrent. *Ego autem*, inquit, *è contrario obiicio tibi, & quæro: Unus è Trinitate eſt, qui crucifixus eſt, an alius aliquis extrà Trinitatem? Et ſi quidèm unus, ſolutum eſt jurgium. Si autem alius aliquis præter Trinitatem, quartus eſt ſinè dubio gloriæ Dominus, & ab illâ glorificatione, quâ Seraphim glorificant, exiſtit extraneus &c.* Hinc Auguſtinus tract. 78. in Joannem ait: *Agnoſcamus geminam ſubſtantiam Chriſti, divinam ſcilicet, quâ æqualis eſt Patri: humanam, quâ major eſt Pater. Utrumque autem ſimul, non duo, ſed unus eſt Chriſtus, ne ſit quaternitas, non Trinitas Deus.* Egregiè hoc ipſum argumentum tractans Ferrandus Diaconus in Epiſtolâ ad Anatolium cap. 10. ait: *Hoc ergo dicit, qui unum de Trinitate paſſum dicit: Non eſt quarta perſona qui paſſus eſt, ſed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei Filius impaſſibilis ſecundùm divinitatem, per ſuſceptionem naturæ paſſibilis paſſioni ſubjacuit &c. non alius eſt impaſſibilis, & alius paſſus eſt.* Alterum Procli argumentum ex ipſo ſymbolo deducitur, in quo Filius Dei dicitur incarnatus, & crucifixus, & paſſus. Ex his firmat Proclus intentum: *Si autem quod incarnatum eſt, crucifixum eſt, Pater autem & Spiritus non eſt crucifixus, unus ergo de Trinitate eſt crucifixus. Divinitatem verò quâ communicat Patri & Spiritui, ſervavit impaſſibilem. Carne autem, qua ipſe ſolus eſt factus, ipſâ & ſolus eſt paſſus.* Hæc Proclus apud Maxentium.

Aliud argumentum urget ibidem Maxentius: *Quia*, inquit, *ſi non Trinitatem, quæ unus eſt Deus, ſed Deum, qui ſubſtantialiter ex Deo eſt, genuit ſecundùm carnem virgo Maria, ſinè dubio unus ex Trinitate eſt, qui ſecundùm carnem ex ipſâ natus eſt.* Et inculcans non totam Trinitatem natam fuiſſe ex B. Virgine, ſed unum ex Trinitate Verbum Deum, ait: *Sed ſi eam verè & propriè Dei crederent genitricem, utique Deum Verbum unum eſſe crederent de Trinitate.* Ex hac poſtremâ ſententiâ id, quod fuſiùs poſteà proſequor, colligimus, nempè adverſarios Monachorum Scytharum negaſſe Deum Verbum dici poſſe unum ex Trinitate, ac quæſtionem agitatam fuiſſe independenter etiam à myſterio Incarnationis; ita ut in hac propoſitione: *Unus è Trinitate crucifixus eſt carne*, præcipua difficultas in ipſo ſubjecto propoſitionis verſaretur; cùm plerique contenderent, Deum Verbum neutiquam dici poſſe unum ex Trinitate, quin ipſa individua omninò Deitas divideretur, quam objectionem Maxentius ibidem refellit. Et illi quidèm quamvis falsò, congruenter inductæ ſemel abs ſe opinioni ſentiebant, cùm negarent Chriſtum unum eſſe ex Trinitate, quod planè affirmandum illis fuiſſet, ſi eam de Deo Verbo propoſitionem admiſiſſent, quod hoc ſyllogiſmo conficitur: Deus Verbum Filius Dei, eſt unus è Trinitate; ſed Chriſtus eſt Deus Verbum Filius Dei; ergo Chriſtus eſt unus è Trinitate. Minor eſt dogma fidei, nec à Catholicis cum Monachis Scythis diſputantibus, negari poterat; undè ne iiſdem manus darent, priorem, ſive utì vocant, majorem propoſitionem inficiari cogebantur.

Denique Maxentius, ut invidiam, quâ veluti illâ theſi, de uno ex Trinitate, ſupplens Synodum Calchedonenſem, onerabatur, ab ſe removeret, in eodem libello conteſtatur ſe quatuor Oecumenicas Synodos recipere, ac venerari, de quartâ hæc ſcribens: *Nec non etiam, quam ſequimur & amplectimur venerandam Synodum Calchedonenſem &c. Anathematizamus autem omnes, ſi quis dubitat, aut retractat, aut imperfecta judicat &c.* Damnata declarat Theodori ſcripta, ac Neſtorii; his adiicit Eutychem, Dioſcorum, Timotheum Ælurum, Petrum Moggum, Petrum Fullonem, & Acacium, cum omnibus eorundem ſectatoribus, nec non communicatores, & complices, ac illorum memorias in ſacris Eccleſiæ tabulis celebrantes. Quâ quidèm Eutychianorum deteſtatione tam manifeſtâ, ac expreſſâ omnem abs ſe ejus hæreſis ſuſpicionem excuſſit. Hinc factum eſt, ut Viri eruditiſſimi ac doctiſſimi ex memoratis libellis, Monachos Scythas ab illatâ ipſis Eutychianæ hæreſeos notâ plenis ſuffragiis abſolverint. Hæc ſcribit Dionyſius Petavius tom. 4. Dogm. Theol. lib. 5. de Incarnatione cap. 3. num. 2. *Sed qui profeſſiones fidei ab illis editas, ac cetera eorundem ſcripta; quæ extant, diligenter expenderit, nullum ibi veſtigium deprehendet hæreſis illius.* Gabriel Vaſquez tom. 1. in 3. par. diſp. 15. de Incarnatione cap. 3. juſtam pro Monachis Scythis apologiam procudens, cùm ex laudatis eorundem libellis ſententias recitaſſet, numer. 44. exclamat: *Quâ igitur ratione dicemus eos Eutychianos fuiſſe?* Hactenus de libellis fidei à Monachis Scythis conſcriptis.

Intereà litigia latiùs Conſtantinopoli diſſeminata, non modò regiæ urbis monaſteria, ſed ipſos etiam imperii atque aulæ Proceres in partes traxerant. Monachi Acœmetæ religioſæ diſciplinæ famâ præ ceteris in regiâ urbe eminebant. Degebant in monaſterio Dii, de conditoris S. Dii Abbatis nomine nuncupato. Flavius Studius, qui anno 454. conſulatum geſſerat, inſigne templum ſub titulo Sancti Joannis Baptiſtæ cum monaſterio extruens, Monachos Acœmetarum inſtituti illuc induxerat; undè iidem vulgò Studitæ dicebantur. In Synodo C.P. ſub Mennâ anno 536. inter Archimandritas nominantur Agapetus Dii, & Coſmas Sancti Joannis ad Studium. Monachi Acœmetæ adversùs Anaſtaſium Imperatorem, ac Patriarchas Synodum Calchedonenſem reiicientes, impavidi ſteterunt. Haud ſibi Abbatem paſſi ſunt ordinari à Timotheo Antiſtite C.P. niſi is priùs Synodum Calchedonenſem reciperet. Unus Acœmeta ſcriptum anathema contrà Acacium, ejuſdem pallio intrepidè affixit, cùm ille ad ſacra obeunda procederet. Hinc eorundem monaſteria erant in regiâ urbe tutiſſima contrà Eutychianos caſtra, ac Romanæ Sedis præſidia, ita ut Legati à Romanis Pontificibus illùc deſtinati, in mandatis haberent, nihil inconſultis Acœmetis peragere. Horum teſtes veniunt Evagrius lib. 3. ac Theophanes in Chronico. Enimverò Acœmetæ Monachi ſententiam Monachorum Scytharum acriter oppugnabant, quos etiam Eutychianæ hæreſeos incuſabant. Hinc Acœmetæ negabant Chriſtum dici poſſe unum de Trinitate, ac Beatam Virginem verè & propriè appellari Dei genitricem, utì tradunt Juſtinianus in Epiſtolâ ad Joannem II. Papam, & Liberatus Diaconus cap. 20. ſui Breviarii. Juſtinianus Imperatoris Juſtini nepos, ac poſteà ſucceſſor, Monachis Scythis initio cœperat contradicere. At Vitalianus Magiſter militum, ac ob res pro Orthodoxâ fide contrà Anaſtaſium fortiter, & feliciter geſtas, ubique gentium celebratus, ac de Sede Apoſtolicâ Romanâ benè meritus, conterraneis ſuis Scythis ſummo ſtudio patrocinabatur, totuſque ad eorum partes tranſgreſſus, paulò poſt in eandem ſecum ſententiam Juſtinianum traxit. Imò Leontius unus Monacho-

Digitized by Google

nachorum Vitaliano affinitate junctus erat; ceteri etiam à Dioſcoro Legato dicuntur *de domo Vitaliani magiſtri militum*, in ſuggeſtione poſt Epiſt. 65. Hormiſdæ pag. 1513. quòd advenæ, à Vitaliano fortaſſis liberali hoſpitio recepti fuerant. Cùm verò Scythæ hanc propoſitionem: *Chriſtus qui pro nobis paſſus eſt carne, eſt unus de Trinitate*, tanquam Catholicam, ac ad convincendum Neſtorianos neceſſariò adſtruendam, inculcarent, legati Apoſtolici eandem approbare recuſantes, hæc conſtanter reponebant; *Extrà Synodos quatuor, extrà epiſtolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus. Quidquid non continetur in prædictis Synodis, aut quod non eſt ſcriptum à Papa Leone, non ſuſcipimus.* Ex quibus iterùm apparet Monachos Scythas eâ in causâ non utì cujuſpiam hæreſis aſſertores à Legatis rejectos fuiſse; ſed eorum tantùm inſtantiam repulſam, quâ omni arte ac conatu curabant, memoratam theſim tanquam Orthodoxæ fidei canonem à Legatis ceteriſque comprobari. Et ſanè Monachi Scythæ, ubi ſemel ea loquendi formula à Legatis tanquam Catholicæ fidei congrua, declarata fuiſset, id unum ad victoriam eâ in causâ conclamandam ſatis ſibi eſse exiſtimabant. Hinc ipſiſmet Legatis enixiùs inſiſtebant, ut eâ propoſitione ad probatâ, controverſiæ finem imponerent. Hæc Legati in proximè laudatâ ad Hormiſdam epiſtolâ ſcribunt: *Quoniam hæc illi nituntur aſſerere, eo modo ſibi ſatisfacere cupientes, ita ut PROFITEAMUR & DICAMUS unum de Trinitate paſſum eſſe, quod nec Patres, nec Synodi dixerunt.* Ita legati illam theſim non utì hæreticam, & à Patribus aut Synodis damnatam, rejiciebant, ſed utì novam, nec à Synodis uſpiam aſſertam admittere recuſabant. Monachi cùm animadverterent, nullam ſibi propoſitionis Legatorum ſententiâ confirmandæ ſpem eſſe reliquam, inito conſilio, decreverunt, integram cauſam ad Hormiſdam Pontificem deſerre. Itaque ex regiâ urbe clanculum diſcedentes, Romam iter intenderunt.

CAPUT IV.

Status controverſiæ. Num Chriſtus poſſet dici unus de Trinitate. *Hoc locupletiſſimis teſtimoniis Monachorum Scytharum, Maxentii, Severi Scholaſtici, Ferrandi Diaconi, Dionyſii Exigui, Juſtiniani Imperatoris, Joannis II. Papæ, ac Synodi V. demonſtratur. Ab illâ theſi principali, hæ aliæ à Monachis illatæ:* Unus è Trinitate carne paſſus eſt. *Rursùs:* Beata Virgo eſt verè & propriè Dei genitrix. *Denique:* Chriſtus eſt compoſitus. *Quædam de hac ultimâ propoſitione ſubnotantur. Cur una illa theſis* de uno Trinitatis paſſo *Monachis objecta?*

NOnnulli illotis, ut ajunt, manibus hanc controverſiam deſcribere aggreſſi, tam procul à veritate abjere, ut ne quidèm ipſiuſmet cauſæ ſtatum intellexerint, id inter litigantes certum ac compertum adſtruentes, in quo tamen totius contentionis cardo verſabatur. Horum unum appellabo Brunonem Neuſſer, qui in Prodromo Velitari, parte primâ cap. 3. & 4. & iterùm par. 2. cap. 8. hanc ipſam controverſiam ingenti verborum ſtrepitu retractans, cetera inter pag. 134. col. 1. ſcribit: *Nunquam negavit Hormiſdas, nunquam Dioſcorus, nunquam ullus Catholicus, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſse unum de Trinitate.* Imò, ò bone, hic planè fuit celeberrimæ quæſtionis ſtatus. Hoc ipſimet litigantes aſſerunt: hoc ipſorum advocati ac patroni conteſtantur: hoc denique ipſi, qui eâ de re decretoriam tandem ſententiam tulerunt, Romani Pontifices ac Oecumenicæ Synodi Patres pronuntiarunt. Hæc propoſitio: *Chriſtus eſt unus de Trinitate*, erat totius cauſa quæſtionis, hæc reliquarum diſsenſionum fons & origo. Nam Monachi cum Sancto Proclo eâ loquendi formulâ Neſtorianam hæreſim refellebant. Cùm enim Neſtorius Chriſtum purum hominem obtruderet, Deo Verbo eidem per affectum ſolummodò unito, Proclus ad hunc errorem profligandum, hanc theſim poſuit: *Chriſtus eſt unus è Trinitate*, utì cap. 1. oſtenſum eſt. Ea verò propoſitio non poteſt, ut Logici loquuntur, verificari in primo modo dicendi per ſe; niſi Chriſtus ſit phyſicè ac realiter unus de Trinitate, ſecùs ac Neſtorius commentabatur, qui perſonam Chriſti cum perſonâ Verbi copulatam autumabat unione tantùm morali, & ejuſdem omnino ſpeciei quamvis excellentiori gradu, cum illâ, quâ Deus mediante gratiâ, cum ceteris hominibus juſtis conjungitur, iique filii Dei adoptivi nuncupantur. Jam verò natura humana aſſumpta à Deo Verbo in unitatem ſuppoſiti, ſive utì, Cyrillo voces præformante, ceteri poſteà dixere, unione ſecundùm hypoſtaſim, facit, ut realiter ac phyſicè vera ſit propoſitio: *Chriſtus eſt unus è Trinitate.* Unio affectiva hoc præſtare nequit; ſiquidèm quamvis Petrus & Paulus ſummo ſecum invicem amore juncti ſint, falsò tamen diceretur: *Petrus eſt Paulus*; cùm realiter ac phyſicè abs ſe diſtinguantur. Itaque jure optimo Monachi, ut inquit Liberatus Diaconus, Proclum Patriarcham ſecuti, *ad interimendas Neſtorianorum verſutias*, dixerunt, Chriſtum eſse unum de Trinitate. Sanctus Sabas duos Monachos Neſtorianos ex eo ſtatim agnovit, quòd negabant, *Chriſtum unum eſse ſanctæ Trinitatis*, utì cap. 2. prænotabam. Itaque Monachi Scythæ hanc præcipuam cum Neſtorianis quæſtionem habebant: *Utrùm Chriſtus eſset unus de Trinitate.* Hinc cùm apud Legatos Pontificios cum Victore Diacono diſputarent; & is teſtaretur Calchedonenſem Synodum ſe recipere, Monachi repoſuerunt: *Addatur & unus de Trinitate*; quòd horum trium tantùm verborum expreſſione Catholica fides contrà Neſtorianam hæreſim aſſerebatur. Joannes Maxentius in Monachorum Scytharum partes tranſgreſsus, in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ ſcribit Poſseſsorem Epiſcopum Africanum tum Conſtantinopoli degentem, *non ſolùm non confiteri Chriſtum Filium Dei vivi unum ex individuâ Trinitate, ſed adverſari eis, qui hoc fiducialiter confitentur.* Et longè inferiùs addit velle ſe demonſtrare, *qualiter & cur hæretici, ex quibus unus Dioſcorus, unam perſonam Chriſtum prædicantes ex Trinitate, unum ex Trinitate Chriſtum confiteri nullatenus acquieſcant.* Et tamen Bruno Neuſſer firmiſſimè aſſeverat nunquam Dioſcorum, nunquam Poſſeſſorem negaſſe Chriſtum eſſe unum de Trinitate. Præterea hæc ibidem Maxentius ſcribit: *An fortè non eſt Catholicum,* Chriſtum Filium Dei vivi unum confiteri ex ſanctâ & individuâ Trinitate? *Pro hac etenim SOLA ſententiâ Scytharum Monachos conſtat ad Romanum fuiſſe profectos Epiſcopum, ſicut omnibus penè non ſolùm in hac Regiâ Urbe, verùm etiam in univerſâ Italiâ Catholicis notum eſt.* Num repones Maxentio, qui palàm Monachorum partis erat, & publicus adverſantium accuſator, nullam fidem adhibendam? At ibidem eam in rem non unum aut alterum teſtem citat, ſed omnes Regiæ Urbis cives, atque univerſam etiam Italiam

appel-

appellat, adeò res illa erat omnibus & ſingulis manifeſta, ac pervulgata.

Juſtinianus, qui illis ſe totum litigiis immiſcuit, in epiſtolâ ad Hormiſdam Pontificem ſcribit: *Quidam aſſerunt, Chriſtum Filium Dei Dominum noſtrum pro noſtrâ ſalute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari: quod ſi ſuſcipiendum ſit, paternâ proviſione reverentia veſtra cautiſſimo ſuo reſcripto, quid ſequi, quidve ſuper hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur.* Et paulò inferiùs: *Quia verò dictum eſt Scythicos Monachos hac ratione ad ſedem veſtram acceſſiſſe pro traditione Patrum &c.* Itaque ſumma ac caput totius controverſiæ id temporis tantâ animorum contentione agitatæ, in eo erat: *Utrùm Chriſtus qui paſſus eſt carne, dici poſſet unus de Trinitate.* Hanc ille unicam quæſtionem Hormiſdæ decretoriâ ſententiâ ſolvendam proponit. Eadem in aliis quoque epiſtolis ad eundem Pontificem datis perſcribit. Num Juſtiniani etiam fides indubium vocabitur, quòd Monachorum partes impenſiùs fovebat? At adeòne eâ in causâ idem prævaricatus dicetur, ut non ipſiſſimum quæſtionis ſtatum Hormiſdæ propoſuerit, ſed illud potiùs quod eſſet extrà quæſtionem?

Cùm ea diſſenſio Conſtantinopoli in longum traheretur, Severus Scholaſticus, ita advocatos nuncupabant, Ferrandum Diaconum Carthaginenſem per literas eâ in quæſtione ſententiam rogavit, qui eidem reſpondens, Epiſtolam hiſce exorditur: *Magnorum virorum mihi negotium conaris adjungere, propter eos, qui Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negant unum eſſe de ſanctâ & individuâ Trinitate: quid ſentiam delectatus audire.* Et cùm eruditè demonſtraſſet rectè aſſeri Chriſtum unum de Trinitate, cap. 9. ait: *Proinde illi quos negare aſſeris Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unum eſſe de ſanctâ & individuâ Trinitate, &c.* Et ſtatim: *Videndum potius reor, & conſiderandum diligentiùs, cur Dominus Jeſus Chriſtus unus eſſe de ſanctâ & individuâ Trinitate nimis cautè à quibuſdam negetur.* Severus in neutram litigantium partem tranſierat. Hærebat animi dubius, utri ſententiæ accederet. Et quamvis advocatus aliàs conſilia clientibus vendere ſuetus, in hac Theologicâ controverſiâ ſui inops conſilii, in aliâ Orbis parte degentem doctiſſimum Diaconum conſultabat. Et ille quidèm profeſſione advocatus, optimè norat, ipſum quæſtionis ſtatum exponendum eſſe illi, à quo conſilium ac ſententiam exquireret. Huic ſupparem teſtem dabo, qui tum Romæ florebat Dionyſius Exiguus, qui in præfatione ad Epiſtolam ſancti Procli ad Armenios, ſcribit ſe eas literas Latio donare: *Non parum*, inquiens, *præſentibus æſtimans profuturas: quando eam nunc Eccleſiis moveat quæſtionem tunc repulſa temeritas, quæ ſub colore religionem molitur evertere.* Addit temeritatem fuiſſe Theodori Mopſueſteni, ejuſque ſectatorum, qui *Beatam Trinitatem ſic unius eſſentiæ prædicantes, ut Chriſtum Dominum noſtrum conditorem univerſitatis unum ex Trinitate nullatenus faterentur.* Et poſteà: *Et quia nunc ab aliquibus injectum ſcrupulum, de verâ fide trepidatur: unum quemlibet ex beatâ Trinitate pronuntiare diffugiunt.* Cùm famoſa illa controverſia Conſtantinopoli, ac Romæ præſertim agitata fuerit, in quo eadem præcipuè verſaretur, duo id temporis in laudatis Urbibus degentes, quive eâ de re non tantùm diſputationes, ſed rumores etiam ſuiſmet auribus exceperunt, locupletiſſimè ac luculentiſſimè conteſtantur. Tertius quoque teſtis accedit Triſolius Presbyter, Monachorum ſententiæ adverſarius, qui in literis ad Fauſtum Senatorem pluribus eandem argumentis impetit, quæ eò collimant, ut evincant Chriſtum nullâ ratione dici poſſe unum de Trinitate. Eadem inferiùs propono, ac confuto, ſivè veriùs à doctiſſimis iiſque ſynchronis Scriptoribus validè refutata demonſtro. Unum hìc in anteceſſum referam. *Qui unum*, inquit, *de Trinitate dicunt paſſum, ſi Ariani non ſunt, dicant de quibus tribus unus paſſus eſt. De tribus Patribus; aut de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus ſanctis, aut vertè de tribus Diis, ſicut dicit Arius.* Quo paralogiſmo contendit Chriſtum carne paſſum, non poſſe adſtrui unum de Trinitate. Facilè tamen reſpondemus unum de tribus ſubſiſtentibus, qui ſunt beata Trinitas, paſſum eſſe. Vel quod idem eſt, paſſum unum de tribus, qui ſunt tres individuæ Trinitatis perſonæ.

Sed omittamus quid utraque litigantium pars protulit, quidve etiam teſtes dixere, audiantur ſuprema judicum decreta, qui auditis partibus, earumque rationibus accuratè ac diligenter expenſis, decretoriam tandem ſententiam proferentes, diuturniori contentioni finem impoſuerunt. Imperator Juſtinianus ægrè ac moleſtè ferens tot jam annos uni illi controverſiæ abſolvendæ nequicquam impenſos, Legatos ad Joannem II. Pontificem miſit, rogans, ut Apoſtolica Sedes ſpeciali decreto, tot tandem lites abſolveret. Equidem laudatus Pontifex in Epiſtolâ ad Senatores ſcribit: *Juſtinianus ſiquidèm Imperator filius noſter, ut ejus Epiſtolæ tenore cognoviſtis, de his tribus quæſtionibus orta certamina fuiſſe ſignificavit: Utrùm unus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit.* Dein: *An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibile Deitate.* Denique: *An propriè & veraciter mater Domini Dei noſtri Chriſti Maria ſemper Virgo, debeat appellari.* En principalis quæſtio, ac proinde primo ſtatim loco propoſita, erat *de Chriſto uno ex Trinitate.* Ibi verò Pontifex definit: *Unum ex ſanctâ Trinitate Chriſtum eſſe*, quâ de re iterùm ſermo erit. Denique Synodus V. canone X. hæc definit: *Si qui non confitetur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne, Deum eſſe verum, & Dominum gloriæ, & unum de ſanctâ Trinitate, talis anathema ſit.* In quo canone tanquam dogma Catholicum ſtatuitur hæc propoſitio: *Chriſtus eſt unus de ſanctâ Trinitate*, de quâ juxtà varios ſenſus expoſitâ, Catholici per quinque luſtra acerrimas ſecum invicem contentiones exercuerunt. Porrò ea controverſia agitabatur de Deo Verbo, num eſſet unus de Trinitate, etiam ſinè conſideratione Incarnationis aut paſſionis; & ſi quæ ab ipſâ paſſione argumenta illuc trahebantur, eò collimabant, ne Chriſtus paſſibilis unus de impaſſibili Trinitate crederetur. Hinc Dionyſius Petavius inſignis Theologus ac doctrinæ Patrum peritiſſimus, lib. 5. de Incarnat. cap. 2. eruditè obſervat, binas propoſitiones in quæſtionem vocari potuiſſe. Harum una eſt: *Utrum qui incarnatus eſt, unus ſit è Trinitate.* Altera verò: *Utrùm unus è Trinitate mortem ſubierit.* In priori propoſitione Chriſtus eſt ſubjectum; ipſa autem unitas perſonalis Dei Verbi eſt prædicatum. In poſteriori fit ſubjectum, quod erat prædicatum in priori theſi, ac de illo paſſio prædicatur.

Equidèm optimâ ratione Maxentius ac collegæ Monachi Scythæ omnes conatus ad priorem illam propoſitionem ſtabiliendam intendebant, ſicut ex adverſo Acœmetæ Monachi eandem præcipuè oppugnabant, quòd cætera controverſa capitula indè pendebant. Hoc unum erat capitulum: *Unus è Trinitate paſſus eſt.* At hæc propoſitio per ſyllogiſmum expoſitorium ex illâ priori deducitur, videlicet: *Chriſtus*

eſt

Digitized by Google

eſt unus è Trinitate, ſed Chriſtus carne paſſus eſt, ergo unus è Trinitate carne paſſus eſt. Minor propoſitio eſt dogma fidei, ſcribente Petro Apoſtolo in priori epiſtolâ, initio cap. 4. *Chriſto igitur paſſo in carne.* Hinc adverſarii Monachorum Scytharum, quò vim illatæ ultimæ propoſitionis declinarent, cogebantur primam inficiari. Hunc ſyllogiſmum in favorem ſententiæ Scytharum jure laudat Gabriel Vaſquez in 3. par. diſp. 15. cap. 3. num. 59.

Tertium Monachorum capitulum erat: *Beatam Virginem verè & propriè eſſe Dei genitricem.* Auctor eſt Facundus in lib. 1. de tribus capitulis ad Imperatorem Juſtinianum cap. 4. quoſdam Catholicos eandem propoſitionem negaſſe. Verba ejus ſunt: *Inſinuandum verò eſt, quòd hanc quoque confeſſionem, quâ beatam Mariam verè & propriè dicimus matrem Dei, quidam etiam communicantes Eccleſiæ, putent non debere ſuſcipi, cùm Neſtorium fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuiſse damnari.* Sed hi vellent, nollent in damnatam Neſtorii hæreſim delabebantur.

Liberatus Diaconus cap. 20. Breviarii narrat ſe tum Romæ præſente à Joanne II. Papâ damnatum fuiſſe Cyrum & Eulogium Legatos Monachorum Acœmetarum, *negantes eſse confitendum beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem; & unum de Trinitate incarnatum & carne paſsum.* Cùm Acœmetæ unius propoſitionis cum alterâ connexionem neceſſariam intelligerent, utramque ex æquo coacti ſunt inficiari. Verùm ex illâ principali theſi horum error pari ſyllogiſmo refellitur: *Chriſtus eſt unus è Trinitate, ſed beata Virgo eſt verè & propriè mater Chriſti, ergo eſt verè & propriè mater unius è Trinitate*; ac proinde eſt verè ac propriè Deipara. Hinc Maxentius in libello profeſſionis fidei, ait: *Quia ſi non Trinitatem, quæ unus eſt Deus, ſed Deum, qui ſubſtantialiter ex Deo eſt, genuit ſecundùm carnem virgo Maria; ſinè dubio unus ex Trinitate eſt, qui ſecundùm carnem ex ipſâ natus eſt.* Quamvis enim in Chriſto Domino duæ ſint naturæ; divina, quam accepit à Patre; & humana, quam accepit à matre; cùm una tamen ſit hypoſtaſis Verbi, quæ in unitatem perſonæ humanam naturam aſſumpſit, non eſt unus Filius Patris, & alter Filius Matris, ſed ut cum cæteris Patribus loquitur Auguſtinus in Enchiridio cap. 35. *Unus Dei Filius, idemque hominis Filius. Unus hominis Filius, idemque unus Dei Filius; non duo filii Dei, Deus & homo, ſed unus Dei Filius, Deus ſinè initio: homo à certo initio, D. N. Jeſus Chriſtus.* Eadem in aliis etiam libris inculcat.

Quartum capitulum aſſertum à Monachis Scythis erat de Chriſto compoſito, quod in libello fidei ipſorum in nono anathematiſmo hiſce verbis expreſſum legitur: *Si quis non confitetur compoſitum Chriſtum poſt incarnationem, anathema ſit.* Dioſcorus Legatus ad Hormiſdam Pontificem ſcribit, Monachos cum Victore Diacono habuiſſe contentiones *de uno de Trinitate crucifixo, & de Chriſto compoſito.* Unum illud verbum de uno ex Trinitate incarnato affirmantes, uno veluti ictu ſecum invicem pugnantes Neſtorii atque Eutychetis hæreſes conficiebant. Ludovicus Thomaſſinus in doctrinâ Patrum verſatiſſimus, lib. 3. de Incarnatione cap. 6. num. 4. ſcribit: *Etenim compoſitio viſa eſt ſanctis Patribus maximoperè opportuna jugulandis Neſtorii æquè, ac Eutychetis erroribus, & vindicandæ in Chriſto tùm naturarum diſtinctioni, tùm perſonæ unitati.* Hìc aliquantiſper hærebo; ſiquidèm ex hac theſi à Monachis aſſertâ, omnis Eutychianæ hæreſeos ſuſpicio, quâ à quibuſdam laboraſſe dicuntur, ab eiſdem longè amovebitur. Neſtorius duas in Chriſto perſonas adſtruebat, nullam divinæ perſonæ cum humanâ naturâ unionem phyſicam ac realem admittens, ſed moralem ſolummodo ac per affectum. Ex adverſo Eutyches putavit tantam inter utramque naturam unitionem extitiſſe, ut una in Incarnatione natura ex duabus effecta fuerit. Hæc erat tota blaſphemia Eutychetis: *Confiteor ex duabus naturis fuiſſe Dominum noſtrum ante adunationem; poſt adunationem verò unam naturam confiteor.* Act. 1. Synodi Calchedonenſis pag. 226. E. Cui conſentiens Dioſcorus Alexandrinus dicebat: *Ex duabus ſuſcipio, duas non ſuſcipio.* Ibidem pag. 186. D. quod ipſum alii Eutychiani exprimebant, dicentes Chriſtum eſſe ex duabus, non autem in duabus naturis. Itaque concedebant Chriſto, ut dicunt Scholaſtici, duas naturas in fieri; unam in facto eſſe; ea ratione quâ plerique philoſophi de mixto loquuntur. Etenim concedunt in ejuſdem compoſitionem ſivè generationem reapſe elementa venire, ipſumque fieri ex ſubſtantiis elementorum; at ipſa poſteà ſecundùm propriam ſubſtantiam & naturam non ineſſe reapſe eidem mixto, quod eſt tertia quædam natura à naturâ elementorum ſpecie diverſa. At ſancti Patres præeunte Leone Magno in ſacrâ Epiſtolâ ad Flavianum, validè Eutychianos confutabant, quòd una tantùm in Chriſto natura adſtrui nequiret; niſi divina in humanam, vel hæc in illam verſa fingeretur; vel ex utraque corruptâ, tertiam quandam naturam conflatam obtruderent, cujuſmodi eſt natura mixtorum; quæ quidèm omnia impia portenta erant, & execrabiles blaſphemiæ.

Monachi Scythæ contrà Neſtorium & Eutychem theſim hanc ſtatuerunt. *Chriſtus eſt quid compoſitum poſt Incarnationem.* Hanc verò deducebant ex alterâ jam ab ipſis ſtabilitâ propoſitione: *Unus è Trinitate carne paſſus eſt.* Nam cùm prædicatum *paſſus* dicatur de uno ex Trinitate, non alius eſt qui de Trinitate, & alius qui paſſus eſt, ſed una & eadem perſona unigeniti filii Dei & ex Trinitate, & paſſa affirmatur, ac dualitas perſonarum à Neſtorio ficta refellitur. Atqui unus è Trinitate quatenùs habens naturam divinam, non eſt paſſus; quoniam quà talis, eſt omninò immutabilis & impaſſibilis; eſt ergo paſſus carne animatâ, ſeu quatenùs habens ſecum unitam naturam humanam ſecundùm hypoſtaſin. Omnis autem unio compoſitum conflat, ac compoſitum à modo ac qualitate unionis denominatur. Si enim ſit unio accidentis cum ſubjecto, reſultat compoſitum accidentale, album, nigrum &c. Si ſit unio artificioſa, compoſitum itidem artificioſum conflatur, domus, navis &c. Sin verò fiat unio partium ſubſtantialium, compoſitum evadit pariter ſubſtantiale, ac reſultat tertia natura, ut in omnibus compoſitis ſubſtantiis apparet. At in myſterio Incarnationis uti unio eſt ſuperioris ordinis, ita ſublimiori pariter gradu compoſitum exſurgit. Cùm enim unio divinam inter & humanam naturam ſit ſecundùm hypoſtaſim, ſit Chriſtus compoſitus ſecundùm hypoſtaſim. Hinc patet ratio, quâ ex illa theſi Monachorum Eutychianorum error confutatur, ac à Ferrando Diacono hiſce proponitur cap. 12. Epiſtolæ ad Anatolium: *Expugnari magis Eutychianos, quàm foveri, quando* unus de Trinitate paſſus *adſeritur, velis, nolis, adverte. Sinè dubio enim ſub his verbis etiam prædicator unius in Chriſto ſubſtantiæ confutatur. Ut ſit enim Chriſtus unus de Trinitate, ad divinitatem pertinet; ut credatur paſſus, ad humanitatem. Non eſſet qui paſſus eſt unus de Trinitate, niſi unam haberet cum*

Pa-

Digitized by Google

Patre & Spiritu ſancto divinitatem. Non eſſet paſſus, qui unus eſt de Trinitate, niſi conſubſtantialem matri haberet humanitatem. Sileat ergo nuius naturæ in Chriſto prædicator. Enimverò natura, quâ Chriſtus eſt unus de Trinitate, eſt unita phyſicè ac realiter mediante ſubſiſtentiâ Verbi cum naturâ humanâ, quâ paſſus eſt; ergo ex illâ unione hypoſtaticâ Chriſtus eſt quid compoſitum; cùm non ſit ſimplex una tantùm natura, ſed naturam humanam & ſubſiſtentiam verbi Dei eſſentialiter includat, ex quibus componitur. Maxentius egregiè hæc proſequitur lib. 2. contrà Neſtorianos, ſcribens: *Quapropter dum non vis poſt Incarnationem Chriſtum fateri compoſitum, aut divinitatis ejus naturam compoſitam, & paſſibilem convinceris credere, aut certè Chriſtum, quem etiam poſt Incarnationem ſimplicem & incompoſitum, ut erat antea, aſſeris, nullatenus paſſum pro humanâ ſalute teſteris.* Ibidem recitat adverſarii objectionem, cujus vis in eo eſt, quòd ſi dicamus Chriſtum eſſe compoſitum, partes ejuſdem erunt Verbum & humanitas, & cùm partes ſint imperfectiores toto, Verbum erit imperfectius Chriſto, cujus eſt pars. Reſpondet, Verbum unitum naturæ humanæ, non ut aliquam indè perfectionem reciperet, ſed ut eandem perficeret. *Nihil enim*, inquit, *illi contulit, aut detraxit aſſumpta pro noſtrâ ſalute humana natura, quam unitione ſuâ ipſe potiùs ineffabiliter glorificavit &c. Alioquin ſi & poſt incarnationem negatur Chriſtus eſſe compoſitus, manſit ergo quod antea erat, ſimplex & incompoſitus. Et quia res ſummè ſimplex & incompoſita nullam omnino in ſe recipit paſſionem, ſicut ſuperiùs etiam ipſe profeſſus es, non eſt ergo juxta vos Chriſtus pro humanâ ſalute perpeſſus.* Scholaſticorum magna pars affirmat Chriſtum dici debere compoſitum cum S. Thomâ 3. par. quæſt. 2. art. 4. ita tamen, ut unio hypoſtatica ipſam tantùm humanam naturam perficiat, ac proinde illam immutet, & illa uniatur paſſivè ut purè recipiens, & nullam conferens Verbo perfectionem, quòd non exercet rationem actus informantis, ſed ſolummodò terminantis per ſuammet ſubſiſtentiam eandem humanam naturam. Juſtinianus in Edicto contrà tria Capitula, ait: *Quoniam Dei Filius, cùm eſſet ſecundùm ſubſiſtentiam alter præter Patrem, eundem autem naturam habens Patris, in ſuâ ſubſiſtentiâ plaſmavit ſibi carnem animatam animâ rationali & intellectuali, quod ſignificat, humanæ naturæ unitum eſſe Deum Verbum &c. Et ideò rectiùs dicat aliquis unam ſubſiſtentiam Dei Verbi compoſitam.* Quæ omnia Synodus V. Collat. VIII. canone VI. approbans, condemnat eos qui *non confitentur unionem (ἕνωσιν) Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuali, ſecundùm compoſitionem, ſivè ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt, & ideò unam ejus ſubſiſtentiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus, unus de ſanctâ Trinitate.* Et notans Eutychem ponere unitionem ſecundùm confuſionem: Theodorum verò ac Neſtorium unionem tantùm affectualem affirmare, addit: *Sancta Dei Eccleſia utriuſque perfidiæ impietatem rejiciens, unitionem Dei Verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quod eſt ſecundùm ſubſiſtentiam.* Hac præclariſſimâ fidei definitione à Synodo publicatâ, disertè duo Monachorum Capitula approbantur, nempè quòd Chriſtus ſit unus de ſanctâ Trinitate: ac quòd idem ſit compoſitus. Rurſùs quòd Eccleſia tradens Chriſtum eſſe compoſitum, unà ſimul rejiciat Neſtorianos aſſerentes unionem tantùm affectualem: ac Eutychianos duas naturas in unam ſtolidè confundentes, quemadmodum ſuperiùs argumentabar.

Ex hactenùs demonſtratis præcipuæ à Monachis agitatæ quæſtionis ſtatus innoteſcit, quæ in eo verſabatur, *num Chriſtus eſſet unus de Trinitate.* Indè alias eorundem propoſitiones expoſui, quæ ex illâ priori iiſdem Monachis colligebantur. Antequàm tamen ad intermiſſam hiſtoricam narrationem regrediar, inquirendum eſt, cur Legati Pontificii de controverſiâ Monachorum ad Hormiſdam ſcribentes, unius tantùm quæſtionis *de uno de Trinitate crucifixo* mentionem fecerint, theſim *de Chriſto uno de Trinitate* omittentes, quæ erat præcipuè controverſa, & de quâ ſolâ Maxentius diſputat in prolixâ reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ. Conjecturam adhibeo, quam quilibet, per me licet, aut probet, aut improbet. Sæpè ſolent diſputantes, quò validiùs adverſariorum dicta refellant, eadem ab abſurdo indè conſectario oppugnare. Jam verò abſurdum videbatur paſſionem affirmare de uno ex Trinitate, qui quatenùs è Trinitate, eſt omninò impaſſibilis. Præterea Imperator Anaſtaſius Eutychianam hæreſim promoturus, juſſit Epiſcopos ſibi addictos Synodali ſententiâ eos damnare, qui non confitebantur, *unum de Trinitate crucifixum*, ut ex Victore Tunnonenſi in cap. 2. prænarrabam. Quarè ea propoſitio hæretico ſenſu incruſtata, Eutychianiſmum apud Catholicos olebat. Denique principalis controverſia in ſubjecto ejuſdem propoſitionis plenè atque integrè exprimitur, cùm dicitur *unus de Trinitate crucifixus*; quia idem eſt in hac poſitione ſubjectum, quod eſt in hac alterâ prædicatum: *Chriſtus eſt unus de Trinitate.* Hinc Trifolius in Epiſtolâ ad Fauſtum Senatorem ait: *Quid eſt dicere:* unum de Trinitate paſſum, *niſi oſtendere & alterum de Trinitate impaſſibilem, ſicut Arius? Aut quid eſt dicere:* unum de Trinitate paſſum carne, *niſi oſtendere & alterum impaſſibilem, ſicut Neſtorius?* ex quibus apparet Trifolium contrà ſubjectum propoſitionis argumentari, quod totâ ferè Epiſtolâ exequitur, quam à viris id temporis doctiſſimis confutatam fuiſſe ſuo inferiùs loco demonſtro. Interim audiatur Ferrandus Diaconus cap. 11. laudatæ Epiſtolæ ad Anatolium: *Tale eſt itaque, quantum conjicio, imò potiùs quantum credo:* Unus eſt de Trinitate paſſus, *quale eſt dicere*, Deus eſt paſſus. *Sicut autem quiſquis Deum prædicat paſſum, non ſubſtantiam divinitatis facit paſſibilem; ſed divinitatis impaſſibilis, & humanitatis, quæ ſubjacuit paſſioni, unam monſtrat eſſe perſonam: ſic* unum de Trinitate paſſum *prædicans, unitatem perſonæ commendat in utriſque naturis: excludens Neſtorianæ hæreſeos nefariam, perfidamque doctrinam, duos filios inducentis.* Cùm ſanctus Cyrillus in capitulo XII. contrà Neſtorium ſcripſiſſet: *Si quis non confitetur Deum Verbum ſecundùm carnem paſſum, ſecundùm carnem crucifixum &c. anathema ſit*; acerrimis ſcriptis à Theodoreto Cyrrhenſi, Andrea Samoſateno, Eutherio Tyanenſi, aliiſque doctiſſimis Epiſcopis confutatus eſt, ac Apollinarii hæreſeos inculatus; ſiquidèm Apollinarius negabat animam rationalem in Chriſto, quam ipſum Verbum ſuppleviſſe putabat; unde hanc theſim defendebat: *Deus Verbum paſſus eſt carne.* Hinc Cyrillus coactus fuit ſcriptis apologiis, Epiſtolis, variiſque opuſculis illatam ſibi Apollinariſmi calumniam propulſare. Hæc ad Acacium ſcribit: *Et neque illa quæ ſunt Apollinaris ſapui unquam. Abſit &c. Neque enim inanimatum dico Chriſti corpus. Confiteor verò, quòd animatum ſit animâ rationali.* In tomo ſecundo operum ſancti Athana-

Digitized by Google

naſii plures conciones leguntur, quæ poſteriori ætate ſcriptæ ſunt contrà laudata Cyrilli capitula. Extat pag. 311. homilia inſcripto titulo: *Adverſùs eos, qui dicunt: Paſſus eſt Deus Verbum carne;* quod effatum eâ vehementi oratione refellitur, ſed quæ tantùm aerem verberet, cùm in alio prorsùs ſenſu à Cyrillo ea poſitio intelligatur. Ex ſymbolo Nicæno credimus *in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei, ex Patre natum unigenitum &c. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt, & reſurrexit tertia die &c.* Hæc propoſitio credenda indicitur: *Filius Dei unigenitus eſt incarnatus, & paſſus.* At non eadem ratione utrumque illud prædicatum de Filio Dei affirmatur. Nam verbum divinum ſeipſo eſt immediatè incarnatum, quia per ſuammet ſubſiſtentiam terminavit naturam humanam in eſſe ſuppoſiti; at non in ſeipſo eſt immediatè vel mediatè paſſum, uti anima immediatè patitur intrinſecas paſſiones triſtitiæ, odii &c. & mediante carne patitur vulnera, flagella &c. ſed dicitur paſſum carne animatâ per puram communicationem idiomatum (diſpenſationem Cyrillus ac alii Patres dixere) quia cùm Verbum ſit naturæ humanæ aſſumptæ ſuppoſitum, ac actiones & paſſiones ſuppoſito tribuantur, Verbum denominatur paſſum ex paſſione naturæ, cujus eſt ſuppoſitum. Itaque in eâ propoſitione: *Unus è Trinitate paſſus eſt carne*, duplex ſubjectum exprimitur, nempe Verbum divinum uti ſubjectum denominationis, & caro animata tanquam ſubjectum inhæſionis, quod paſſioni ſubjicitur, & ab illâ immutatur. Hæc prolixiùs exponunt Theologi in lib. 3. ſent. & cum ſancto Thoma in 3. parte.

CAPUT V.

Legati Pontificii Monachorum capitula non damnarunt; ſed approbare tanquam fidei dogmata recuſarunt. Monachi à Legatorum communione ſeſe diſſociant. Maxentius in lib. 2. Dialogorum adverſarios Monachorum Scytharum acriter impugnat. Utrique ſibi hæreſim exprobrabant. Juſtinianus initio Monachis adverſatus, dein magnus illorum patronus. Scribit ad Hormiſdam Pontificem quæſtionem de uno ex Trinitate inter Orthodoxos agitari. Monachi Dioſcorum Romæ accuſant. Pontifex initio deliberaverat cauſam delegare Patriarchæ C-P. Poſteà decernit eandem ſe coram diſcuti. Quædam in Epiſtolâ Dioſcori adnotantur.

UBi primùm Legatis Pontificiis innotuit Monachos Scythas quoſdam è collegis Romam miſiſſe, ut ab Hormiſdâ Pontifice ſuorum capitulorum confirmationem ſurriperent, literas ad eundem ſtatim ſcripſere, quibus eâ in cauſâ hactenus geſta ſignificantes, non unam iiſdem Monachis notam inurebant. Dioſcorus privatim etiam Epiſtolam miſit, inſinuans Monachos cætera inter aſſerere *unum de Trinitate crucifixum*, quam propoſitionem Anaſtaſius Imperator Catholicis ſubſcribendam imperaverat, quamve olim Eutychetis diſcipuli in Synodo Calchedonenſi protulerant. *Undè*, inquit, *ſanum mihi videtur & utile, & ad pacem Eccleſiarum conveniens, nihil aliud reſponſum dari, niſi: ſufficit ſanctum Calchedonenſe Concilium, in quo & aliæ Synodi continentur; ſufficiunt Epiſtolæ Papæ Leonis, quas Synodus confirmavit. Novitatem in Eccleſiâ introducere nec volumus, nec debemus.* Altera Epiſtola communi nomine à Legatis ad Hormiſdam miſſa eſt, in quâ ſcribunt ſe coram Imperatore ac Senatu dixiſſe: *Extrà Synodos quatuor: extrà Epiſtolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus. Quidquid non continetur in prædictis Synodis aut quod non eſt ſcriptum à Papâ Leone, non ſuſcipimus.* Nullam ergo theſim Monachorum Legati hæreſeos damnaverant, ſed eam de uno ex Trinitate crucifixo, tanquam Catholicæ fidei dogma in libellum fidei uti Monachi contendebant, referre conſtanter recuſaverant, quod ipſum ut præſtaret Hormiſda, rogarunt. Ea ergo propoſitio nullâ per Legatos latâ ſententiâ probata fuerat, aut improbata; ſed remanſerat prorsùs adiaphora. Addunt: *Nobis quod viſum eſt ſcripſimus: in veſtrâ poteſtate eſt deliberare, quod vobis Deus imperaverit;* quòd eſſet adhuc integra cauſa ad Apoſtolicæ ſedis tribunal delata. In fine verò Epiſtolæ hæc leguntur: *Et quâ ſolet Dominus noſter vigilantiâ cogitetis, & quomodo ſuſpendendi ſunt, qui à nobis taliter receſſerunt, & à noſtrâ communione fuerunt ſejuncti &c. quia eos omnes Conſtantinopolitana Catholica exhorret Eccleſia.* In Vaticano Codice numero 3786. rectè legitur: *quomodo ſuſcipiendi ſunt.* Illis verò verbis: *& à noſtra communione fuerunt ſejuncti*, neutiquam inſinuant, Monachos à Legatis Catholicâ communione privatos fuiſſe, ſed ipſoſmet Monachos à communicando cum Legatis abſtinuiſſe; iiſdem petulanter iratos, quòd ſua illa Capitula tanquam fidei canones approbare recuſaverant. Erat ſimplex communionis diſſociatio, cujuſmodi plura exempla in vetuſtis Eccleſiæ monumentis occurrunt. Evagrius lib. 3. cap. 31. recitat literas Monachorum Palæſtinæ, in quibus narrant Macedonium Patriarcham in formulâ fidei damnaſſe Neſtorium & Eutychem, ſed nullam Synodorum Epheſinæ ac Calchedonenſis mentionem feciſſe: *Quâ de re*, inquiunt, *Monachi Conſtantinopolitani graviter commoti, ſe à Macedonio Epiſcopo ſeparant.* Monachi Eutychetii adhærentes in fine act. IV. Synodi Calchedonenſis auſi ſunt in haſce ſtultas voces erumpere: *Veſtes noſtras excutimus, & extrà veſtram communionem nos efficiemus.* Hæc ſimplex communionis diſſociatio contigit inter Romanam Eccleſiam, & Orientalem ob expunctum Diptychis nomen Joannis Chryſoſtomi. Nullum inflictum erat anathema, non ſacris interdictum, non à totius corpore Eccleſiæ ſeparatio ulla ſecuta cum terribili dirarum imprecatione. Erat ſermonis, literarum, eulogiarum, aliorumque ejuſmodi reciprocæ ſocietatis ſignorum intermiſſio. Cùm id temporis Neſtoriani, atque Eutychiani ſecum invicem contrariis omninò erroribus colliderentur, plures ea opinio occupaverat, nullam mediam eſſe viam, quam inter utramque hæreſim inſiſterent, ut cap. 2. oſtenſum eſt. Monachi Scythæ illam theſim de Chriſto uno ex Trinitate, contrà Neſtorianos tanquam Catholicum dogma tantâ aſſeveratione urgebant, ut eandem negantes, ſtatim Neſtorianos eſſe denuntiarent. Hiſce ſuum contrà Neſtorianos Dialogorum opus Maxentius concludit: *Nec ego te unquam aliud aliquid quàm hæreticum judicabo, qui Deum Verbum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui pro noſtrâ ſalute paſſus eſt carne, unum eſſe ex ſanctâ & individuâ Trinitate non approbas.* Et ſanè in ejus libri ſecundi parte extremâ Maxentius non contrà Neſtorianos, ſed adversùs eos omnes, qui eandem theſim admittere recuſabant tanquam dogma fidei, licèt nec illam veluti falſam rejicerent, totis lacertis depugnat.

Dioſcorus illam theſim eò præcipuè inter Catholicæ fidei dogmata recipiendam negabat, quòd à nullâ Synodo approbata fuerat. Maxentius cùm cetera

Digitized by Google

tera inter Neſtorianum, quocum etiam ibi diſputare fingit, interrogaſset, cur ſub anathemate damnaret tùm eos, qui duas in Chriſto naturas palàm affirmare vererentur, tùm etiam eos, qui beatam Virginem Chriſtotocon diceret, Theotocon autem eandem fateri renuerent, addit: *Quomodo nos Catholicos judicabimus eos, qui dicunt Deum Verbum natum ſecundùm carnem de Virgine: & paſſum carne pro nobis, & negant eum unum eſſe ex ſanctâ & individuâ Trinitate, præcipuè quia dicunt hoc Catholicæ fidei convenire?* Tum ſibi ita reſpondentem Neſtorianum inducit: *Sed & duas naturas, & Theotocon dicere Synodus definivit: hoc autem nulla Synodus ſtatuit:* nempe Chriſtum eſse unum ex Trinitate. Quæ eſt ipſa Legatorum ſententia, contrà quam Maxentius: *Nihil igitur*, inquit, *arbitraris dicendum præter id, quod Synodicis literis continetur?* Et cùm objectaiset Deum Patrem dici à Catholicis ingenitum, quo tamen vocabulo nuſquam in Synodis appellatur, hoc ſibi à Neſtoriano rapoſitum profert: *Hæc de Patrum ſcriptis poſſum oſtendere.* Quæ Maxcutius excipiens, ait: *Sed & nos quòd unus ex Trinitate Chriſtus ſit, ex Patrum ſcriptis oſtendimus.* Quod ſanè eo in opere non præſtitit, in quo nulla pro eâ propoſitione confirmandâ teſtimonia Patrum adducit; quæ tamen anteà in libello fidei appellaverat. Idem Maxentius in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ ait: *Loci opportunitas exigit, ut demonſtretur à nobis, qualiter & cur hæretici, ex quibus unus Dioſcorus, unam perſonam Chriſtum prædicantes ex Trinitate, unum ex Trinitate Chriſtum confiteri nullatenus acquieſcant.* Ibi verò uti rectè oſtendit Neſtorianos, quò invidiam declinarent, ſubdolè, ac ſiniſtro prorsus ſenſu conceſſiſſe, Chriſtum eſſe unam ex Trinitata perſonam, ita falsò æquè ac procaciter eundem damnatam ſententiam impingit Dioſtoro, quem etiam Monachi Scythæ apud Hormiſdam incuſarunt, quòd cum hæreticis jungeretur, Hæreticos appellantes, qui toties memoratam poſitionem de uno ex Trinitate non admittebant; quemadmodum etiam Dioſcorus aſſerentes unum de Trinitate crucifixum, in Eutychianæ hæreſeos crimen, aut ſuſpicionem ſaltem vocabat. Facundus Hermianenſis lib. 1. de tribus Capitulis, initio cap. 5. confutaturus eos, qui Eutychianiſmum imponabant eam Monachorum theſim defendentibus, ait: *Quo Neſtorianorum quoque calumnias evertemus, qui nos putant ad confuſionem duarum Chriſti naturarum dicere, quòd unus ex Trinitate ſit Dominus Jeſus Chriſtus.* Nec Dioſcorus erat Neſtorianus, nec Maxentius Eutychianus; quamvis utraque litigantium factio, æſtu diſputationis abrepta, falſa adverſantium ſibi invicem hæreſum nomina exprobraret, quò oppoſitam quiſque ſententiam majori apud cæteros odio oneraret. Utroſque graviter monat Vigilius Tapſenſis lib. 2. contrà Eutychem cap. 10. *Et videas eos*, inquit, *luctuoſis quibuſdam & omni lamentatione dignis inſultationibus hæreticorum nomine ſe invicem accuſare.* Tu, *inquit*, Eutychianiſta es, & tu Neſtorianus es: *Apoſtolicæ ſententiæ in totum obliti, dicentis: Videte ne cùm invicem accuſatis, ab invicem conſumamini.* Galat. V. Quòd autem Legati Pontificii de Monachis Scythis ſcribunt: *quia eos omnis Conſtantinopolitana Catholica exhorret Eccleſia*, non quampiam illorum hæreſim indicat, ſed in ſuâ ipſorum opinione defendendâ, atque univerſis inculcandâ, ſuperbiam, arrogantiam, ac temeritatem perſtringunt. Nam iidem Monachi in libro de ſuâ fide ad Africanos Epiſcopos in Sardiniâ exulantes tranſmiſſo, ſcribunt ſe ea ſuggerere, *quæ de Incarnatione & diſpenſatione divinâ nobiſcum univerſæ ſanctæ Eccleſiæ Orientalium contrà hæreticos defendunt.* Nam Orientales Eccleſias propoſitionem *de Chriſto uno ex Trinitate*, inter fidei canones id temporis profiteri ſolitas, inferiùs demonſtro, & ex libro de Vitâ S. Sabæ cap. 2. id ipſum oſtendi. Eccleſia autem Conſtantinopolitana Monachos uti inquietos ac turbulentos averſabatur, quippè qui altercatores clamoſi aures omnium obtundebant, ac quibuslibet in re quidèm conſentientibus, ſed iiſdem ſecum vocabulis uti recuſantibus, hæreſeos notam per ſummam audaciam inurebant. Cæterùm eandem Conſtantinopolitanam Eccleſiam paulo poſt Monachorum theſim recepiſſe, quibuſdam tantùm Monachis Accœmetis exceptis, teſtatur Imperator Juſtinianus in literis ad Joannem II. Pontificem, ut inferiùs memorabo.

Initio quidèm motæ controverſiæ idan. Juſtinianus nondum Imperator, ſed Juſtini imperantis nepos, contrà Monachos Scythas ad Hormiſdam ſcripſit Epiſtolam, quæ incipit: *Propitiâ divinitate &c.* In eâ verò Hormiſdæ ſignificat quoſdam Scytharum Romam profactos, quos etiam nomina deſignat, nempe: Achillem, Joannem, Leontium, ac Mauritium, quos ait contendere, *novitates introducere in Eccleſiâ, quod neque quatuor Synodi venerabiles, neque S. Leonis Papæ Epiſtolæ continere noſcuntur, in omni loco turbas excitare videntur.* Non ullius hæreſis, ſed novitatis tantùm ac turbarum auctores incuſantur. Verùm idem Juſtinianus à Vitaliano Magiſtro militum, eodemque præcipuo ac potentiſſimo Monachorum Scytharum patrono, rogatus, iteratas, ſed à prioribus longè diverſas, literas Romam ad eundem Pontificem miſit, delatore Paulino Romanæ Eccleſiæ defenſore. De defenſoribus Eccleſiarum eruditè tradit Chriſtianus Lupus in notis ad canonem 23. Synodi Calchadonenſis. Hæc ibidem Juſtinianus ſcribit: *Nam quanta quæſtio in partibus noſtris orta eſt, poteſt etiam antelatus vir religioſus Defenſor Sanctitatem veſtram inſtruere. Unde petimus, ut ſi eſt poſſibile, celerrimo dato reſponſo, & ſatisfactis religioſis Monachis, Joannem & Leontium ad nos remittatis; niſi enim precibus & diligentiâ veſtrâ iſta quæſtio ſoluta fuerit, veremur, ne non poſſit Eccleſiarum ſanctarum pax provenire.* In hac etiam Epiſtolâ ſignificat Vitalianum eodem delatore Paulino, literas ad Hormiſdam mittere. Cùm verò paucis poſt diebus Eulogius Agens in rebus, quod Palatinum officium erat, in Italiam mitteretur, Juſtinianus totus jam in Monachorum partes tranſgreſſus, tertiam ad Hormiſdam Epiſtolam ſcripſit ſub exordio: *Ut pleniſſimæ fidei &c.* quæ proximè legitur antè Epiſtolam 66. Hormiſdæ, cui hæc ille ſignificat: *Quidam aſſerunt, Chriſtum Filium Dei Dominum noſtrum pro noſtrâ ſalute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari: quod ſi ſuſpiciendum ſit, paternâ proviſione reverentia veſtra cautiſſimo ſuo reſcripto, quid ſequi, quidve ſuper hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur: quoniam verba videntur facere diſſenſionem: nam ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur.* Rogat, ut Apoſtolicæ Sedis decreto contentiones dirimat: *Hoc enim*, inquit, *credimus eſſe Catholicum, quod veſtro religioſo reſponſo nobis fuerit intimatum.* Quâ brevi ſententiâ ſupremam Romani Pontificis in controverſiis de fide definiendis, auctoritatem confeſſus eſt. Denique precatur, ut Monachos Scythas præbito ais reſponſo nihil formidante, Conſtantinopolim remittat. Ex hac tertiâ Epiſtolâ Juſtiniani colligimus controverſiam præcipuam, & quam unicè Hormiſdæ ſuggerit, fuiſſe de Chriſto uno

ex Trinitate, videlicet: *Utrùm Chriſtus, qui pro nobis carne crucifixus eſt, poſſit dici unus de Trinitate.* Legati Pontifici ſcribebant quæſtionem fuiſſe *de uno de Trinitate crucifixo.* Maxima difficultas non erat penes prædicatum, ſed in ſubjecto ejus propoſitionis conſiſtebat: *unum*, ſcilicet, *qui crucifixus eſt*, *unus eſſet de Trinitate.* Formula vero quâ ea quæſtio à Legatis proponebatur, durior & parum grata Catholicis in Occidente præſertim, videbatur, quòd Eutychiani ex eadem in ſiniſtrum ſenſum detortâ, ipſam Deitatem paſſioni ſubjectam fuiſſe contendebant. Rectè autem Juſtinianus inſinuat Pontifici utramque litigantium partem eſſe Catholicam, eundem ſenſum Orthodoxum apud utroſque teneri; ipſa tantummodò verba in quæſtionem vocari. Nam Dioſcorus cum cæteris Monachorum adverſariis dicebat, Chriſtum eſſe unam perſonam de tribus ſanctæ Trinitatis perſonis: unum de Trinitate dicere recuſabat. Monachi aſſerebant unum de Trinitate Chriſtum adſtruendum eſſe, ut ſtructos ſub nomine perſonæ à Neſtorianis dolos, quiſque faciliùs evaderet; ſiquidèm iſti Chriſtum unam è Trinitate perſonam admittebant *ſecundùm dignitatem, & honorem, & adorationem*, ut can. 5. Synodi V. legimus, quod inferiùs aliis quoque teſtimoniis oſtendo; at negabant unam & eandem ſecundùm unicam Filii Dei ſubſiſtentiam, perſonam in Chriſto. Hinc etiam colligimus Monachos nullâ hactenus ſententiâ erroneæ doctrinæ damnatos fuiſſe, ſed æquè ac adverſarios eorum in Catholicis partibus fuiſſe.

Intereà iidem Monachi Romam advenerant, ſuæque fidei libellum Hormiſdæ Pontifici obtulerant, acriter de Dioſcoro Legato conqueſti, qui cum Neſtorianis communionem fovens, iniquiori ergà ſeipſos animo fuiſſet. Cùm verò paulò poſt Paulinus ac ſubinde etiam Eulogius cum literis Legatorum, Vitaliani, ac Juſtiniani ſupervaniſſent, Hormiſdas hærere animo cœpit dubius, quid conſilii caperet, cùm præſertim animadverteret, Vitalianum non tam multiplicium officiorum obſequio, quàm rebus contrà Imperatorem Anaſtaſium fortiter geſtis, de Apoſtolicâ Sede benè meritum, ac Juſtinianum ex accuſatore Monachorum, repentè eorundem advocatum, dexteras junxiſſe, quò inito veluti fœdere Scytharum cauſæ patrocinarentur. Et ſanè cùm ejuſmodi quæſtiones Latinæ Eccleſiæ ignotæ eſſent, Hormiſdas deliberaverat integram adhuc cauſam Joanni Patriarchæ Conſtantinopolitano delegare, ut ubi orta erant diſſidia, ac diverſis partium ſtudiis agitabantur, ibidem accuratiori ac pleniori examine diſcuſſa, finem acciperent. Etenim Dioſcorus Hormiſdæ poſteà reſcribens, ait: *Significaſtis intentionem Monachorum Scytharum: & quomodo viſum fuerit Apoſtolatui veſtro Epiſcopo Conſtantinopolitano cauſam delegare, ut ipſe inter eos, & qui ab eis impetuntur, audiret;* nec ſibi diſplicere, *ut per examen, quod verum eſt, omnibus manifeſtetur.* Ex his apparet, nullam eâ in cauſâ à Joanne Patriarcha ſententiam pronunciatam fuiſſe; aliàs de eodem judice delegando Hormiſdas neutiquam cogitaſſet. Rursùs nec apud Legatos eam quæſtionem in examen adductam fuiſſe; qui tantùm illam Monachorum propoſitionem libello profeſſionis fidei inſerere recuſarunt, quòd in nullâ Synodo ſancita legeretur, eandem tamen nec adprobantes nec improbantes, ſed libero diſputantium arbitrio dimittentes. Cæterùm cùm Monachi interpoſito juramento, conteſtarentur ſibi ipſis in itinere paratas eſſe inſidias, Pontifex decrevit ſe coram cauſam expendi, ac expediri; ejus tamen cognitionem ad Legatorum in Urbem reditum differendam duxit. Itaque prioribus Juſtiniani literis reſpondens Epiſt. 66. ait: *Quapropter neceſſe habuimus venientibus Legatis noſtris inquirere, qua reverà faciente cauſâ, inter eas fuerit commota diſcordia.* Volebat enim à Legatis totius controverſiæ ſtatum intelligere, priuſquam ad diſcutiendam cauſam accederet. Data eſt Epiſtola Hormiſdæ die 2. Septembris, anno Chriſtianæ Epochæ 519. Alteram Epiſtolam 67. poſterioribus ejuſdem Juſtiniani literis repoſuit, hæc de Monachis ſcribens: *Significamus Scythas Monachos allegaſſe plurima, quæ nos relinquere indiſcuſſa non poſſumus;* illos in Urbe ad Legatorum uſque reditum retinendos: Victorem Diaconum, alioſque *qui perverſas*, inquit, *forſitan objiciunt quæſtiones*, Imperatoris juſſu, ejuſdemque Juſtiniani operâ Romam mittendos. Illum verò tam repentè eâ in cauſâ ex accuſatore Monachorum in eorundem advocatum ac patronum demutatum, perſtringens, ait: *Amplitudinem veſtram tamen retinere confidimus, quod de ipſis nobis præterito tempore literis deſtinatis, ſcripſerit.* Hanc Epiſtolam per Eulogium in regiam Urbem redeuntem miſit, cui alteram quoque Dioſcoro Legato tradendam, dedit, quæ intercidit. In hac autem ſignificabat ſe, uti prædixi, cogitaſſe cauſam ad Joannem Patriarcham remittere: Monachos etiam conteſtatos, ne idemmet Dioſcorus cum hæreticis communicaret. Hinc ille datâ ad Hormiſdam Epiſtolâ, cujus exordium *Per Eulogium virum ſublimem &c.* illatam ſibi calumniam pluribus diluit, narrans quæcunque eâ in cauſâ ipſe cum collegis geſſerat. Dein paria accuſatoribus reddens, ait: *Iſti tamen Scythæ (ſciat beatitudo veſtra) omnes qui accipiunt Synodum Calchedonenſem Neſtorianos dicunt, dicentes: Non ſufficit Synodus contrà Neſtorium, & ſic debere Synodum ſuſcipere, quomodò ipſi expoſuerint.* Verùm Dioſcori accuſationi optimè occurrerant Monachi in libello fidei ipſimet Dioſcoro ac collegis exhibito, nec non poſteà etiam Maxentius in fine libri 2. Dialogi contrà Neſtorianos. Denique Dioſcorus, ne ob Monachorum accuſationem, in cujuſpiam erroris ſuſpicionem apud Hormiſdam traheretur, profeſſionem fidei reliquâ parte Epiſtolæ exequitur. Baronius ad A. 519. harumce rerum narrationem contexens, ac Monachos ſubinde perſtringens, ſcribit: *Dioſcorus Apoſtolicæ Sedis Legatus in Epiſtolâ ad Hormiſdam ex earum fidei profeſſione hæc verba recitat:* Credimus, quia unitas divinitatis & humanitatis, quæ fieri cœpta eſt, non tantùm in utero non eſt diviſa, ſed nec in partu, nec in nutrimentis &c. *In quibus verbis obſerva, cùm unitam dicit unitatem divinitatis, nempè ſubſtantiam, non perſonam;* quem abſonum loquendi modum idem ex Damaſceno corrigit. At vir inſignis unum & alterum errorem errat. In primis eò loci Dioſcorus nulla ex profeſſione fidei Monachorum verba recitat, ſed ipſemet ſuæ profeſſionem fidei contexit, quod ipſum idemmet poſteà fatetur, ſcribens de Dioſcoro: *Sed & ne levi aliquâ ſuſpicione apud eundem Pontificem laboraret, exactam Orthodoxæ fidei confeſſionem iiſdem ſuis appoſuit literis.* Rursùs hæc ibidem ſcribit Dioſcorus: *Verum eſt perſonam Filii, id eſt, Verbi Dei, conſubſtantialem Patri &c. ipſa naturam humanam ſuſcepit ſinè peccato. Ipſe Filius Dei homo factus, natus eſt de virgine Mariâ, propter quod eam Dei genitricem dicimus, & credimus, quia unitas divinitatis & humanitatis, quæ fieri cœpta eſt &c. non tantùm in utero non eſt diviſa,*

ſed

Digitized by Google

ſed nec in partu, nec in nutrimentis &c. Ubi palàm perſona Filii Dei naturam humanam dicitur ſuſcepiſſe, & unitatem perſonæ unius Chriſti reſultaſſe, non duas perſonas evaſiſſe, ut deliravit Neſtorius. Nuſquam ibi legitur: *unitam unitatem divinitatis.* Sed *unitas*, non in accuſativo adjectivi pluralis numeri, ſed in recto ſubſtantivi nominis ibidem exprimitur, ut prodigio propiùs videatur, ea verba à V. C. in reprehenſionem trahi potuiſſe. Hujus Epiſtolæ Dioſcori ſubſignatio chronologica in mendo cubat, ubi dicitur: *Data Idibus Octobris, Eutharico Conſule. Accepta XV. Kal. Decembris, Ruſticeo viro clariſſimo Conſule*, quaſi ea Epiſtola decimo tertio demum menſe Romam pervenerit. In optimo Codice Vaticano num. 4961. ex quo omnes Hormiſdæ Epiſtolæ primùm exſcriptæ ſunt, pag. 97. rectè legitur; *Accepta XV. Kal. Decembris, Conſ. SS.* videlicet, *Conſule ſuprà ſcripto*, nempè Eutharico.

CAPUT VI.

Dionyſius Exiguus Monachorum Scytharum theſim defendens Sancti Procli Epiſtolam ad Armenios Latinitate donat. Trifolius eandem oppugnat. Novem illius objectiones à ſynchronis Scriptoribus ſolutæ. Quæſtionem de uno ex Trinitate puram logomachiam fuiſſe Juſtinianus, ac alii ejus ætatis Scriptores teſtantur. Idem tradit Joannes II. Pontifex. Ita de hypoſtaſi ac ſubſiſtentiâ inter Patres litigatum. Neſtoriani unam in Chriſto perſonam verbo tenùs fatebantur. Inanes quorundam ſcrupuli præpoſitionem de, in ex, vel, in Trinitate demutantium.

CUm Hormiſdas delatæ ad Apoſtolicum tribunal cauſæ diſcuſſionem uſquè ad Legatorum reditum diſtuliſſet, ut variè propenſa ſunt hominum ingenia, Monachi in Italiâ tùm patronos, tùm etiam adverſarios ſortiti ſunt, quibus annis etiam inſequentibus, alii ſeſe adjunxere, antequam à Joanne II. Pontifice ea litigia decretoriâ ſententiâ finirentur. Dionyſius cognomento tantùm Exiguus, cætera magnus, natione Scytha, profeſſione Monachus, tum Romæ degens, ingenti doctrinæ famâ florebat. Nam & Græcorum Conciliorum canones Latinitate donaverat, ac Epiſtolas plurium ſummorum Pontificum in unum codicem coegerat. Idem etiam anno 525. Cyclum Paſchalem annorum XCV. deſcripſit, quo poſteà Romana Eccleſia uſa eſt. Dionyſii laudes Caſſiodorus proſequitur in libro de divinis Lection. capite 23. Cùm Monachi illam theſim de uno ex Trinitate incarnato, ac paſſo, ex Epiſtolâ Sancti Procli ad Armenios excerptam defendere teſtarentur, Felicianus Paſtor Dionyſium Exiguum rogavit, ut eandem Latio donaret, cui ille morem gerens, præmiſit præfationem, quâ Monachorum Scytharum propoſitionem propugnavit. Demonſtrat Neſtorianos Theodori Mopſueſtienſis diſcipulos Symbolum depravaſſe, *Beatam Trinitatem ſic unius eſſentiæ prædicantes, ut Chriſtum Dominum noſtrum conditorem univerſitatis, unum ex Trinitate nullatenus faterentur:* undè ſequebatur duas fuiſſe juxtà ipſos perſonas in Chriſto, quam impiam hæreſim Synodus Epheſina confixerat. Addit Proclum eandem confutantem, docuiſſe Chriſtum: *Deum Verbum unum de Trinitate eſſe &c. & pro ſalute noſtrâ, eundem verum hominem factum, unum manſiſſe Filium, nec quartam in Trinitate creviſſe perſonam. Et quia nunc ob aliquibus injectum ſcrupulum, de verâ fide trepidatur, unum quemlibet ex beatâ Trinitate pronuntiare diffugiunt &c.* Ubi eandem propoſitionem egregio Sancti Auguſtini teſtimonio confirmat, ex lib. 11. de Civitate Dei cap. 24. quod ipſum poſteà etiam adduxit Joannes II. cùm cauſam abſolvit. Initio autem præfationis dicit Dionyſius *tam nunc Eccleſiis motam quæſtionem*, ex quibus iiſdem contentionibus Romæ ferventibus, illud opus à Dionyſio elucubratum fuiſſe colligitur.

Fauſtus Senator Romanus, cùm maximè ea controverſia doctorum hominum ingenia exerceret, ac variæ eſſent diſputantium ſententiæ, conſuluit per literas neſcio quem Triſolium presbyterum, cujus ad Fauſtum reſcripta ex Sirmondianis ſchedis profert Labbæus Tom. IV. Concil. à pag. 1590. ſub hoc planè exordio: *Mandare mihi dignatus es, Monachos Scythas à Conſtantinopoli advenisse, qui unum de Trinitate prædicant crucifixum, ſperans à parvitate meâ, ſi tale aliquid in doctrinâ Patrum repererim.* Non erat illa quæſtio principalis, ſed utì prænotabam, altera ex priori rectè deducta, quæ tamen aſperior piis quorundam auribus videbatur. Triſolius utrinque eandem oppugnavit, ſcilicet tum ex parte ſubjecti, tum etiam ex parte prædicati. Cùm hæc denuntiaſſet: *Vita quidquid quatuor Synodi in definitione fidei non poſuerunt*; paucis myſteria Trinitatis & Incarnationis exponit, dein argumenta contrà memoratam propoſitionem condenſat, quæ omnia hìc optimè à doctiſſimis ejus ætatis Scriptoribus ſoluta demonſtrabo, ut palàm fiat, quàm falſis paralogiſmis Monachorum thema impeteretur.

Primum argumentum eſt: *Qui unum de Trinitatè dicunt paſſum, ſi Ariani non ſunt, dicant de quibus tribus unus paſſus eſt; de tribus Patribus, aut de tribus Filiis, aut de tribus Spiritibus ſanctis.* Quo ratiocinio oppugnatur ſubjectum propoſitionis, quod in præcipuâ quæſtione eſt prædicatum: *Num Chriſtus, vel Deus Verbum dici poſſit unus de Trinitate.* Reſpondit olim Auguſtinus perſimili interrogationi tract. 39. in Joannem: *Nunc mihi*, inquit, *calumniator reſpondeat: quid ergo tres? Si enim tres ait, oporteт dicat*, quid tres? *Reſpondeo, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Ecce, *inquit*, tres dixiſti: ſed quid tres exprime, *imò tu numera. Nam ego compleo tres, cùm dico, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.* Itaque inſtanti: de quibus tribus unus paſſus eſt, reponitur cum Sancto Doctore, de tribus, qui ſunt Pater, & ipſe Filius, qui carne paſſus eſt, & Spiritus ſanctus. Rursùs unus de tribus ſubſiſtentibus ſuppoſitis in unitate eſſentiæ divinæ, carne paſſus eſt. Facundus Hermianenſis in Africâ Epiſcopus lib. 1. de tribus Capitulis ad Imperatorem Juſtinianum, validè Monachorum thema propugnans, cap. 3. rectè obſervat in cap. 3. Geneſeos legi: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt;* iiſque verbis Trinitatem deſignari. Tum arguit: *Nunquid unus Deus ex nobis, quaſi ex tribus Diis; aut unus Pater ex nobis, quaſi ex tribus Patribus; aut unus Filius vel Spiritus ſanctus ex nobis, quaſi ex tribus Filiis, vel Spiritibus ſanctis? Quis hoc vel inſanus dixit?* Ruſticus S.R.E. Diaconus in libro contrà Acephalos ſcribit tres perſonas eſſe tres quaſdam res, & interrogati *quæ?* reſpondere poſſumus, *perſonæ: Quando autem*, inquit, *dicimus*, ii tres: *interrogati* qui tres? *ambigimus reſpondere*, perſonæ, *propter indecentem ſermonum compoſitionem, ut videamur dicere* ii perſonę, *vel* ii

Digitized by Google

tres perſonæ. Verùm ex communi modo loquendi Theologorum, uti dixi, rectè reſpondemus, tres ſubſiſtentes perſonaliter vel notionaliter in unâ divinâ eſſentiâ.

Alterum argumentum Trifolii eſt: *Apollinaris negat Chriſtum animam & intellectum habuiſſe, & pro animâ & intellectu*, inquit, *Deus ei fuit; ideò dicit, unum de Trinitate paſſum in carne.* Cùm Cyrillus in duodecimo anathematiſmo ſcripſiſſet, *Deum Verbum ſecundùm carnem paſſum, ſecundùm carnem crucifixum*, Theodoretus, Andreas Samoſatanus, & Orientales paſſim Epiſcopi eundem Apollinarii hæreſeos incuſarunt, quam ſanctus Doctor calumniam ſuis in libris ſæpè confutat, ſcribens ſe carnem animâ rationali informatam intellexiſſe. In reſponſione ad objecta contrà undecimum capitulum à Theodoreto, adducit plura Scripturæ ſacræ teſtimonia, in quibus ſola caro Chriſti nominatur, *& nullam*, inquit, *penitus in his animæ intelligentis mentionem fecit.* Monachi in profeſſione fidei fatentur *duas naturas unitas, hoc eſt, divinitatis & humanitatis*: Dicunt, *Deus Verbum naturæ eſt unitus humanæ.* At caro ſinè animâ eſt cadaver, nec ſe ſolâ conſtituit naturam humanam, ſed unà cum animâ intellectuali ipſammet carnem informante. Eruditè Maxentius lib. 2. Dialog. ait: *Quod quia nimis ſtultum eſt, carnem ſinè animâ à Judeis credere crucifixam, reſtat ut caro animata Dei à Judæis crucifixa credatur, quod eſt procul dubio homo.*

Tertium argumentum Trifolii ita conſtruitur: *Si unus de Trinitate paſſus eſt in carne, caro manſit impaſſibilis.* Eſt planè ridicula objectio. Nam anima hominis cruciatus ac læſiones corporis ſentit in carne, vulnera, famem, ſitim &c. quas extra carnem paſſiones nullatenus ſentit; quis tamen carnem impaſſibilem dicat? Homo qui eſt compoſitum, paſſiones ſentit, ac ejus partes prout unitæ, ſibi intrinſecè communicatæ patiuntur, nempe caro prout animata, & anima quatenùs in carne, & quatenùs exercet munus animæ ſenſitivæ, non prout eſt præcisè intellectualis. In Chriſto Domino caro prout animata paſſa eſt læſiones corporis, ſive ſenſit paſſiones corporeas, Deo Verbo uno ex Trinitate remanente ſecundùm ſe formaliter impaſſibili; attamen ſecundùm communicationem idiomatum paſſibili ob unitatem ſuppoſiti; idem enim ſimul erat Deus & homo; quatenùs Deus Verbum unus de Trinitate, eſt impaſſibilis; quatenùs homo, eſt paſſus.

Quarta Trifolii objectio. *Qui unum de Trinitate Filium dicunt paſſum, duos aut tres Filios colunt, ex quibus unus paſſus eſt, duo manent impaſſibiles.* Hoc quoque argumento propoſitio ex parte ſubjecti impugnatur. Unum quandoque exprimit, ac deſignat numerum, quandoque eſt excluſivum numeri. Dum dicis: *Petrus eſt unus ex Apoſtolis*, non deſignas ſolum Petrum, ſed confusè etiam alios Apoſtolos; qui in eâ propoſitione connotantur. At dum dicis: *Unus eſt Deus; unus eſt ſol*: unus idem eſt ac ſolus, quæ vox eſt excluſiva numeri, ac unitatem tantùm ſignificat. Ferrandus Diaconus in Epiſtolâ ad Anatolium cap. 16. ſcribit: *Quid ergo Trinitas, niſi tres perſonæ? quæ ſunt tres perſonæ, niſi Pater, Filius, & Spiritus ſanctus? In hac Trinitate neque tres Patres invenis, neque Filios tres, neque Spiritus ſanctos tres: & proptereà ſecurus dicis* Unum Filium de Trinitate, *quia non eſt in Trinitate Filius niſi unus, cujus perſonam ſignificantes dicimus*, Unum de Trinitate paſſum, *qui ipſe tantùm ritè creditur paſſus, qui cùm eſſet verè & propriè Deus, verè & propriè factus eſt homo &c.* Itaque in illâ propoſitione: *Unus de Trinitate Filius eſt paſſus*, vox *unus* ut connotat numerum trium, ſignificat unum trium ſubſiſtentium perſonaliter in individuæ eſſentiæ Trinitate; vel eadem vox *unus* juncta cum prædicato *paſſus*, idem eſt ac ſolus, quia unus ac ſolus Filius eſt in carne paſſus.

Argutatur V. Trifolius: *Si de Trinitate eſt Filius, non eſt de Patre ſecundùm Deitatem: neque de matre ſecundùm carnem; ſed de Trinitate.* Eſt puerilis nugatio. Præpoſitio *de* aliquando ſignificat proceſſionem unius ab altero; atque ita in Symbolo Filius dicitur *Deus de Deo, lumen de lumine.* Aliquando ea vox eſt expreſſiva numeri, uti Lucæ cap. 22. Judas dicitur *unus de duodecim*, & cap. 23. *unus autem de his qui pendebant, latronibus.* Ita M. Antonius fuit *unus de Triumviris.* Cùm dicitur Chriſtus unus de Trinitate, particula *de* numerum trium ſubſiſtentium in unitate eſſentiæ ſignificat, quorum unus eſt Filius. Et hæc pariter objectio fit contrà ſubjectum laudatæ propoſitionis. Maxentius lib. 2. Dial. ait: *Nos autem neque per generationem, neque per proceſſionem, neque per creationem, ſed juxtà numerum Chriſtum unum fatemur ex Trinitate.* Videtne, ut ibi ad adverſariorum objectiones reſpondeat?

Sextò inſtat Trifolius: *Trinitas & unus de Trinitate quatuor ſunt, ſicut dicit Neſtorius, Filius Mariæ adſociatus eſt Filio Dei, & factus eſt communis Trinitati, & paſſus eſt unus de Trinitate. Arius unum Deum dividit in duos Deos; Neſtorius addendo alterum filium ſecundùm carnem Trinitati, fecit quatuor perſonas.* Sunt nugæ. Triumviratus, & unus de Triumviratu non ſunt quatuor, quia unus de Triumviratu ſemel collectivè nominatur cum duobus collegis: & iterùm ſpeciatim ac ſejunctim ſolus ſignatur. Trinitas collectivè tres in divinis perſonaliter ſubſiſtentes ſignificat, quorum quilibet diviſim conſideratus, eſt unus de Trinitate. Rectè Ferrandus in citatâ Epiſtolâ capite 10. *Hoc ergo dicit, qui* unum de Trinitate paſſum *dicit.* *Non eſt quarta perſona qui paſſus eſt, ſed ad numerum pertinet Trinitatis. Manens enim Dei Filius impaſſibilis ſecundùm divinitatem, per ſuſceptionem naturæ paſſibilis paſſioni ſubjacuit. Et quamvis alia ſit in illa natura, per quam ſemper impaſſibilis perſeverat: alia per quam dicitur temporaliter paſſus; ipſe tamen impaſſibilis paſſus eſt, non alius eſt impaſſibilis, & alius paſſus*; quòd impiè putavit Neſtorius duos filios in Chriſto fingens, ac binas perſonas, quarum una erat Deus, altera purus homo, ac proinde quaternitatem inducebat, quam ut eliminaret Proclus, theſim illam protulit, de uno Trinitatis carne paſſo, quo quidèm dicto unitas ſecundùm hypoſtaſim aſſeritur, ac dualitas perſonarum excluditur, uti cap. 1. notatum eſt.

Opponit VII. argumentum Trifolius: *Sicut & Eutyches commiſcet naturas Dei & hominis, & jam nec Deus, nec homo; nec Pater, nec Filius, nec Spiritus, ſed eſt ille unus de Trinitate.* Et hoc quoque argumentum, uti paſſim allatæ ratiocinationes, contrà ſubjectum propoſitionis adducitur. Eutyches unam in Chriſto Domino naturam commentus, cùm interrogaretur, quâ ratione ex divinâ Dei Verbi naturâ, & ex aſſumptâ naturâ hominis, una poſteà tantùm natura reſultaret, reſpondebat: *Non diſputo de naturâ Dei mei.* Ex geſtis Synodalibus S. Flaviani inſertis Act. 1. Concilii Calchedonenſis. Itaque hæſit aqua Eutycheti, cujus tamen vadum diſcipuli tentantes, dixerunt ex naturâ humanâ ac

divinâ

Digitized by Google

divinâ reſultaſſe tertiam naturam compoſitam, uti ex animâ & corpore natura hominis conflatur; vel quemadmodum panis ex aquâ ac farinâ componitur. Cùm autem Eutychiani naturam à perſonâ nullâ ratione diſtinguerent, unum de Trinitate in illâ tertiâ naturâ paſſum blaterabant. At Catholici Doctores abſurdam hæreticorum blaſphemiam refellebant; quia tertia illa natura neque erat propria Dei, neque itidem propria hominis, ac proindè Chriſtus per eandem neque erat conſubſtantialis Patri, neque ejuſdem nobiſcum ſubſtantiæ. Non enim Deus habet naturam compoſitam, ſed omninò ſimpliciſſimam. Illa ergo tertia natura compoſita, non conſtituebat Chriſtum unum de Trinitate, ſed quid aliud fictitium extrà Trinitatem. At vetuſtiores Eutychiani, quorum Petrus Follo magiſter fuit, unicam naturam divinam in Chriſto affirmarunt, undè unum de Trinitate Deum Verbum in ipsâ naturâ divinâ paſſum dicebant, à quâ procul hæreſi fuere Monachi Scythæ, duas in Chriſto naturas *inconfusè*, *immutabiliter*, *indiviſè*, *inſeparabiliter* confitentes cum Maxentio in profeſſione fidei.

Denique objicit octavò Trifolius: *Quid eſt dicere*, unum de Trinitate paſſum, *niſi oſtendere & alterum de Trinitate impaſſibilem, ſicut Arius? Aut quid eſt dicere* unum de Trinitate paſſum carne, *niſi oſtendere & alterum impaſſibilem, ſicut Neſtorius?* Et hæc quoque intorquentur contrà ſubjectum theſis quatenus *unus de Trinitate* in eâdem legitur. In Synodo Epheſinâ Act. 1. inſignis ſententia Sancti Gregorii Nazianzeni in Epiſtolâ ad Cledonium laudatur, quâ poſteriores Patres frequenter uſi ſunt, videlicet: *Aliud & aliud eſt ex quibus Salvator conſtat; ſiquidèm non unum & idem ſunt viſibile & inviſibile; æternum & temporaneum; at non eſt tamen alius & alius; abſit hoc &c. Dico autem aliud & aliud, contrà quam in Trinitate reperitur. Ibi enim eſt alius & alius, ne hypoſtaſes confundantur; non tamen aliud & aliud, quoniam divinitate idem ſunt.* Quæ planè exſcribens Sanctus Vincentius Lirinenſis cap. 19. Commonitorii, ait: *In Deo una ſubſtantia, ſed tres perſonæ. In Chriſto duæ ſubſtantiæ, ſed una perſona. In Trinitate alius, atque alius, non aliud atque aliud. In Salvatore aliud atque aliud; non alius, atque alius.* Arius, ac Neſtorius hæc non obſervantes, delirarunt. Arius putavit Filium eſſe ita alterum à Patre, ut eſſet alius & aliud à Patre, nempè & diſtincta perſona, & diverſæ inſuper à Patre naturæ. Neſtorius duas in Chriſto naturas rectè credens, at duas quoque perſonas in eodem affirmans, Chriſtum aliud & alium à Deo Verbo obtrudebat; cùm eſſet *aliud* ratione humanæ naturæ, non verò *alius*; quia eadem una erat perſona Verbi & humanitatis ſibi conjunctæ. Eadem docuerat S. Auguſtinus tract. 36. in Joannem: *Alius eſt*, inquit, *rectè dicis*; aliud *non rectè; alius enim eſt Filius, quia non eſt ipſe qui Pater: & alius Pater, quia non eſt ipſe qui Filius: non tamen aliud, ſed hoc ipſum eſt & Pater & Filius. Quid eſt, hoc ipſum eſt? Unus Deus eſt.* Prolixiùs eadem proſequitur ſerm. 38. de Tempore, hæc ibidem notanda: *Cùm enim perſonaliter alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus; his tamen unum eſt naturæ nomen, quod dicitur Deus, vel ſubſtantia, vel eſſentia &c.* Et ſuperiùs dixerat: *Sciendum verò eſt, quòd quædam de Deo ſubſtantialiter dicuntur, ut Deus eſt magnus, omnipotens, & quicquid ad ſe dicitur, id eſt, ſubſtantiam divinitatis ſignificans.* Arius erravit contendens Filium eſſe alterum ſubſtantialiter à Patre, cùm tantùm perſonaliter alter eſſet ab eodem. Idem enim S. Doctor tract. 71. in Joannem de Patre & Filio loquens, ait: *Verùm quia ſic æqualis eſt alter alteri, ut tamen alter ſit ex altero:* quâ phraſi ſæpiùs alibi loquitur; uti S. Fulgentius in libro de Incarnatione exponens textum Joann. 3. *Non enim miſit Deus Filium ſuum &c.* ait: *Sinè dubio perſonaliter alter miſit, alter eſt miſſus.* Uti verò alius, & alter, ita & unus ſinè ullo addito, itidem perſonaliter accipitur.

Quòd alterum de Neſtorio in hac ipsâ objectione idem Trifolius opponit, in ipſum validè retorquetur. Nam cùm Neſtorius duas in Chriſto perſonas adſtruxerit, divinam ſcilicet & humanam, alter erat Deus Verbum, & alter homo; in quem ille errorem deſcendit, ne Deus carne paſſus diceretur, ſed de ſolâ perſonâ hominis paſſio prædicaretur. At Cyrillus in duodecimo capitulo adversùs Neſtorium hunc canonem ſtatuit: *Si quis non confitetur Dei Verbum ſecundùm carnem paſſum, ſecundùm carnem crucifixum &c. anathema ſit.* Proclus verò, quò Neſtorium directâ acie invaderet, theſim illam pronunciavit: *Unus eſt de Trinitate qui paſſus eſt*; non alter de Trinitate Deus Verbum non paſſus: & alter homo Chriſtus paſſus; ſed unus & idem Deus homo paſſus eſt, non quatenùs habens naturam divinam, ſed *carne paſſus*, quatenùs continens naturam humanam cum divinâ, unione hypoſtaticâ copulatam, *ita ut qui ſuſcepit, & quod ſuſcepit, una eſſent in Trinitate perſona. Neque enim homine aſſumpto, quaternitas facta eſt, ſed Trinitas manſit, aſſumptione illâ ineffabiliter faciente perſona unius in Deo & homine veritatem.* Quæ aurea verba ſunt S. Auguſtini cap. 24. de Dono perſever. quibus naſcentem tum Neſtorianam hæreſim præfocavit. Hinc Facundus lib. 1. cit. cap. 3. ait: *Ita jam nobiſcum Neſtorianos urgere debent, ac premere, ut non tantùm unam ex Trinitate perſonam dicant, quod illi malè, ſicut jam diximus, interpretantur: ſed etiam* unum ex Trinitate paſſum, *quod nullâ fraude poſſint eludere.* Illa enim poſitio de uno ex Trinitate, eſt planè trabale telum, quo hæreſis Neſtoriana conficitur, ut non poſſim non mirari, Trifolium tam procul à ſcopo aberraſſe, dum putavit eo effato Neſtorianos erigi, quo maximè opprimuntur.

Cùm Monachi memoratæ loquendi formulæ auctorem Sanctum Proclum publicarent, Trifolius reponit hæreticos, qui ſcripta Athanaſii, Cyrilli, ac Leonis Magni depravarunt, ipſas etiam Procli literas dolo malo corrupiſſe. At vanam hominis opinionem redarguunt, qui eodem ſeculo vixerunt, Joannes II. Pontifex Epiſtolâ 3. ad Senatores, Imperator Juſtinianus in edicto contrà tria Capitula, Facundus initio laudati operis, Liberatus Diaconus cap. 10. Breviarii, Ephreemius Patriarcha Antiochenus apud Photium Cod. 228. ac denique Dionyſius Exiguus, qui ipſam ſancti Procli Epiſtolam Latinitate donavit; qui omnes appellata à Monachis ex Procli Epiſtolâ teſtimonia, reapſe indè exſcripta firmiſſimè aſſeverarunt. Quæ verò idem ſcripto de Eutychetis diſcipulis ob eam propoſitionem in Act. IV. Synodi Calchedonenſis damnatis opponit, ſuperiùs cap. 2. explanata ſunt, ac diſcuſſa, ut haud opus ſit, ut Tertulliani verbis utar, ſerram per eandem lineam reciprocare.

Nullus dubito, quin ex hactenùs recitatis Trifolii objectionibus, datiſque locupletiſſimis inſignium ejus ætatis Scriptorum reſponſis, clarè appareat ejuſdem controverſiæ ſtatum in eo præcipuè fuiſſe, num Chriſtus Dominus dici poſſet unus de Trinitate

Tota autem illa contentio erat pura puta inter Catholicos logomachia, qualis planè olim fuerat de voce *hypoſtaſis* quæſtio tantâ opinionum diſcrepantiâ Latinam inter ac Græcam Eccleſiam agitata. Quid quod illud dictum *unus de Trinitate*, nonnulli cautiores ſive ſimpliciores, variatâ præpoſitione efferendum duxere, quo objecta ſibi terricula evitarent? Juſtinianus in Epiſtolâ, quam anno 519. eo de argumento tertiam ad Hormiſdam ſcripſit, narrat, utì ſuperiori capite notabam quoſdam aſſerere: *Chriſtum Filium Dei Dominum noſtrum pro noſtrâ ſalute carne crucifixum, unum de Trinitate debere prædicari.* Additque: *Quoniam verba facere videntur diſſenſionem; nam SENSUS inter Catholicos omnes UNUS eſſe probatur:* Hæc Juſtinianus, qui totus in eam cauſam deſcenderat. In eadem pariter ſententiâ fuerunt, qui non obiter, ſed ſummâ diligentiâ atque accurato ſtudio eo de themate diſputarunt. Ferrandus Diaconus Carthaginenſis in Epiſtolâ ad Anatolium, Monachis Scythis prolixâ diſputatione patrocinatus, eandem cap. 18. concludens, ait: *Supereſt nunc in concluſione hujus voluminis, eiſdem duabus ſententiis, de quibus inter ſe diſputantium FRATRUM prolixa ſit altercatio &c. Dicturus ergo unum de Trinitate paſſum &c.* Idem in alterâ Epiſtolâ ad Severum cap. 9. ſcribit eos, qui negant Chriſtum unum eſſe de ſanctâ Trinitate, ſi fateantur eundem Dei Filium factum hominis filium, in quo & divina & humana natura ſit, & hunc Filium ad Trinitatem pertinere: *Quid ad nos*, inquit, *quibuslibet verbis rectam prædicent fidem?* Quæ repetit in fine Epiſtolæ. Itaque erat quæſtio inter Catholicos, & ſi ſapuit vir ille doctiſſimus, pura quæſtio de nomine. Facundus Hermianenſis lib. 1. de tribus Capit. cap. 3. initio ſtatim ait: *Quòd ſint etiam Catholici, qui, ſicut credimus, neſcientes hoc antè memoratâ Synodo confirmatum, ſuperfluè contrà DE VERBO contendant, quia videtur eis, quòd dici non debeat, unum de Trinitate pro nobis crucifixum, ſed potiùs unam de Trinitate perſonam.* Et in fine ejus prioris libri ait quoſdam Eccleſiæ communicantes, *tamen per contentionem verbi ſuperfluam negare debere dici unum ex Trinitate crucifixum.* Claudat locupletiſſimorum ac certiſſimorum teſtium numerum ipſemet ſupremus judex Hormiſdas Pontifex, qui in Epiſtolâ 77. de morâ à Monachis Scythis controverſiâ ad Juſtinianum ſcribens, ait: *Non opus, ut ſtabilitatem fidei veſtræ contentionis potiùs quàm rationis ſequaces, procaci VERBORUM novitate confundant.* Erat enim Latinorum auribus ignota ea phraſis, *unus de Trinitate*, quæ tamen in Orientali Eccleſiâ erat vulgatiſſima inter Catholicos, & profeſſioni fidei inſerebatur.

Utraque litigantium pars duas in Chriſto naturas indiviſè, inconfuſè, inconvertibiliter adversùs Eutychianos fatebatur. Utraque unam in eodem perſonam contrà Neſtorianos adſtruebat, ita ut unus idemque eſſet Filius Dei & Filius hominis. At ſecum invicem diſputabant, num Chriſtus, dicendus eſſet *una perſona*, vel potiùs, *unus de Trinitate*, utì diſertè teſtatur proximè auditus Facundus. Enim verò Maxentius in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ, ſcribit ſe demonſtrare: *Cur hæretici, ex quibus unus Dioſcorus*, unam perſonam *Chriſtum prædicantes ex Trinitate*, unum ex Trinitate *Chriſtum confiteri nullatenus acquieſcunt.* At in re idem omninò ſunt *unus de Trinitate*, & *una perſona de Trinitate.* Hinc Joannes II. Pontifex in Epiſt. 3. ad Senatores ait ab Imperatore Juſtiniano hanc ſibi quæſtionem definiendam propoſitam fuiſſe: *Utrùm unus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit: hoc eſt, una de tribus perſonis ſanctæ Trinitatis ſancta perſona.* Itaque idem eſt *unus è Trinitate*, ac *una perſona Trinitatis.* Utì enim alius & alter, ita etiam unus intelligi poteſt perſonaliter, ut ſuperiùs oſtendi. Auguſtinus cap. 38. Enchiridii ait: *Unus Trium*, hoc eſt, una perſona Trinitatis. Quòd tamen utraque factio hæreticum ſenſum utrique loquendi formulæ ſubeſſe contendebat, hinc tot clamoſæ diſputationes, tot litigantium ſtrophæ, tot contrà ſe invicem factitatæ accuſationes. Exemplum, utì dixi, diu antè præceſſerat, perſimilis de *hypoſtaſis* voce contentionis Latinam inter ac Græcam Eccleſiam. Nam ut ait Sanctus Gregnrius Nazianzenus Orat. 21. *Hic deinde Sabellianiſmus tribus perſonis affictus eſt: & Arianiſmus tribus hypoſtaſibus, quorum utrumque pertinax contendendi ſtudium falsà adinvenit.* Latini tres perſonas, & unam hypoſtaſim in ſanctâ Trinitate eſſe affirmabant; ipſis enim hypoſtaſis idem erat ac ſubſtantia, natura, & eſſentia. Hieronymus cùm in Orientem tranſmiſiſſet, conſtanter negabat affirmare tres hypoſtaſes, ne cum Arianis ſentire videretur; undè Epiſt. 57. ad Damaſum Papam ſcribit: *Non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubeatis. Coudatur nova poſt Nicænam fides, & ſimilibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi. Tota ſæcularium literarum ſchola nihil aliud hypoſtaſim niſi uſiam novit.* Et de Græcis loquens Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 8. ait: *Dicunt quidèm & illi hypoſtaſim; ſed neſcio quid volunt intereſſe inter uſiam & hypoſtaſim.* Diuturnior contentio fuit, priuſquam Latini nomen hypoſtaſis in eadem cum Græcis ſignificatione reciperent; cùm tamen utrique eſſent in re ſignificatâ concordes, nempè unam eſſe eſſentiam, ac tres perſonas. Ita vox *ſubſiſtentia* apud Latinos pro ſubſtantiâ accipiebatur, utì diſertè tradit Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. *Sicut enim*, inquit, *ab eo quod eſt eſſe, appellatur eſſentia, ita ab eo quod eſt ſubſiſtere, ſubſtantiam dicimus. Abſurdum eſt autem, ut ſubſtantia relativè dicatur, omnis enim res ad ſe ipſam ſubſiſtit, quantò magis Deus.* Verùm altero poſt Auguſtinum ſæculo, Latina Eccleſia vocem *ſubſiſtentia* relativè accepit, ac tres in Trinitate ſubſiſtentias admiſit, teſte tùm florente Facundo Epiſcopo lib. 1. cap. 3. qui loquens de divinis Perſonis ait: *Deinde etiam ſubſiſtentiæ dictæ ſunt, quoniam Eccleſiæ placuit, ad ſignificandam Trinitatem, & hoc nomen diſtinctioni perſonali tribuere.*

Verùm licèt de nomine *perſonæ*, aut voce *unius* admittendis, litigarent, Monachis Scythis illa formula, *una Trinitatis perſona*, Neſtorianam hæreſim olere dicebatur; adverſarii verò eam theſim: *unus de Trinitate paſſus*, Arianiſmum ratione quidèm ſubjecti, Eutychianiſmum autem reſpectu prædicati, ſapere contendebant; undè utrique pro Catholico dogmate contrà hæreticos ſeſe depugnare gloriabantur. Etenim Neſtorius, quò duarum perſonarum in Chriſto abs ſe aſſertarum blaſphemiam occurreret, unam ſe in Chriſto perſonam fateri autumabat, non quidèm ſecundùm hypoſtaſim, ſed pro auctoritate dignitatis, quia Chriſtus vicarius Dei Verbi erat conſtitutus, undè & illius perſonam repræſentabat, quemadmodnm Paulus 2. Cor. II. 10. ait: *Nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſonâ Chriſti.* Hinc de Neſtorio ac ſectatoribus ſcribit Sanctus Cyrillus ad Valerianum: *Nam unam dumtaxat perſonam ſe ſtatuere fingunt.* Et Facundus lib. 1. cap. 3. ait: *Sed unam dicere perſonam, Neſtorianorum nova ſubterfugia minùs excludit: qui convicti innumeris*

teſtimoniis

Digitized by Google

teſtimoniis Patrum, quòd Deus Verbum & aſſumptus homo una perſona ſit, pro auctoritatis dignitate ab eis hoc vel exiſtimant dictum, vel exiſtimare ſe fingunt. Itaque Neſtoriani hanc propoſitionem admittebant: *Chriſtus eſt una perſona de Trinitate*; at non phyſicè ac reapſe id intelligebant; ſed moraliter, pro auctoritatis dignitate, quatenùs Chriſtus vicariam Dei Verbi poteſtatem præferebat, ut vicarii perſonas Principum repræſentant. Hanc tamen aſſertionem: *Chriſtus eſt unus de Trinitate*, nullâ omninò ratione admittebant, ſed veluti Eutychianæ hæreſeos axioma averſabantur, ut cap. 2. ex libro de Vitâ S. Sabæ obſervabam. Hinc cùm Dioſcorus Legatus Hormiſdæ palàm fateretur Chriſtum eſſe unam Trinitatis perſonam; negaret tamen eſſe unum de Trinitate, Maxentius eidem Neſtoriani erroris notam objecit; cùm tamen Dioſcorus ſenſu planè Catholico, Chriſtum unam Trinitatis perſonam eſſe affirmaret; in ſenſu verò Eutychianorum, eundem unum de Trinitate dicere recuſaret.

At qui Monachos Scythas oppugnabant, Arianam illis hæreſim impingebant; ſiquidèm illis verbis, *unus de Trinitate*, individuam Trinitatis eſſentiam proſcindi in plures diſtinctas ſubſtantias ſuſpicabantur, quia vox *unus* nullam relationem importare videbatur, ac proindè cùm *unus* ſubſtantialiter tantùm ſumi poſſe putaretur, ſemel uno Trinitatis aſſerto, eſſentiam Trinitatis multiplicandam fore inferebant, quemadmodum Ariani delirantes arbitrabantur. Hac de re cap. 8. prolixior ſermo redibit. Rursùs quâ unus de Trinitate paſſus dicebatur, unica ſolummodò in Chriſto natura divina cum Eutyche aſſeri videbatur, ita ut Deitas in ſemetipsâ, non verò in humanitate aſſumptâ, paſſioni ſubjiceretur, quod fuit Petri Fullonis delirium, ut antè notavimus. Cùm inter S. Cyrillum & Orientis Epiſcopos diſſidia erupiſſent, iſti Cyrillum Apollinarii hæreſeos incuſabant; Cyrillus verò Orientales Neſtoriani erroris ſocietate implicatos denuntiabat, cùm tamen idem utraque pars ſentiret, & tota hæreret in verbis contentio. Laudandi planè doctiſſimi ejus ætatis Scriptores Ferrandus Diaconus, eique ſuppar Facundus Hermianenſis, qui optimè intelligentes eam controverſiam eſſe puram putam logomachiam, ab omni contumeliâ, ac infamium nominum impoſitione Catholicis diſputatoribus abſtinendum eſſe dixerunt. Hæc ſcribit Ferrandus cap. 15. laudatæ Epiſtolæ ad Anatolium: *Omnis ergò Catholicus aut* unum de Trinitate paſſum, *ſimpliciter audiat, ſimpliciter dicat; aut loquens cautè, non tamen infideliter,* unam perſonam de tribus paſſam *fateatur; nec ideò quempiam judicet hæreticum, qui* unum de Trinitate paſſum ILLO SENSU *dicit, quo etiam ipſe* unam perſonam de tribus paſſam *veraciter dicit.* Facundus eidem ſimiliter ſcribens lib. 1. cap. 3. ſui ad Juſtinianum operis, cùm dixiſſet: *Quocirca rectè dicitur & unus de Trinitate crucifixus, & una ex Trinitate perſona,* poſt paucos verſus addidit: *Nihilque* DE VERBO *ſit diſſidendum, placere omnibus debet, ut unus ex Trinitate vel de Trinitate crucifixus pro unâ perſonâ dicatur.* Porrò eruditè advertit modum illum loquendi: *unus è Trinitate*, antiquiorem eſſe alterâ enuntiandi formulâ: *una ex Trinitate perſona*; ſiquidèm niſi poſt exortam Sabelli hæreſim nomen *perſonæ* uſurpatum ſuit ad myſterium Trinitatis clariùs explicandum. Hinc Auguſtinus lib. 7. de Trinitate cap. 4. ait: *Propterea licuit loquendi, & diſputandi neceſſitate, tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit;* ubi tres perſonas ob Sabellii hæreſim primùm nominatas oſtendit. At ſemper Eccleſia credidit tres eſſe in individuâ Trinitate; credidit præterea non totam Trinitatem, ſed Filium, qui eſt unus de Trinitate, incarnatum fuiſſe; ac proinde antiquior eſt prior ille modus loquendi *de uno* ex Trinitate.

Denique obſervo eos quoque, qui pro voce *perſona*, unum uſurpabant, neſcio quibus ſcrupulis motos, de interjectâ præpoſitione ſecum invicem diſſenſiſſe. Nam auctor eſt Ferrandus in Epiſtolâ ad Severum Scholaſticum, quoſdam negaſſe Chriſtum *unum eſſe de ſanctâ & individuâ Trinitate*, cùm tamen eum dicerent, *unum eſſe ex ſanctâ & individuâ Trinitate.* At hi nodum quærebant in ſcirpo. Latini enim Patres Nicænum ſymbolum interpretantes, dixerunt: *Deum ex Deo*, vel *Deum de Deo.* Si dicas M. Antonius fuit unus de Triumviris, vel unus ex Triumviris, perinde eſt; nec ſenſus variatâ præpoſitione, variatur. In lib. 1. Machab. cap. VII. 26. legitur: *Et miſit Rex Nicanorem unum* ex *principibus ſuis.* At cap. XIV. 2. *miſit unum* de *principibus ſuis.* Aliis verò dicebatur Chriſtus neque unus *ex* Trinitate, aut *de* Trinitate, ſed unus *in* Trinitate. Maxentius lib. 2. Dialog. reponit: *Unum autem* in *Trinitate dicere Chriſtum, & unum eum* ex *Trinitate denegare, non Catholicorum, ut aſſeris, ſed illorum eſt proprium, qui Chriſtum à Trinitate creatum, ita eſſe credunt in Trinitate, ut non ſit de Trinitate;* Verùm Maxentius adeò obſtinatè ſuæ propoſitioni de uno ex Trinitate adhæret, ut vel unum jota in eadem mutantes, hæreticos ſtatim eſſe vociferetur; cùm tamen Chriſtus ſit unus in Trinitate, non extrà Trinitatem, uti dicebat Neſtorius. Auguſtinus cap. 24. de Dono perſever. ſcribit à Deo Verbo humanam naturam aſſumptam, *ita ut qui ſuſcepit, & quod ſuſcepit, una eſſent in Trinitate perſona.* Quâ brevi tanti Doctoris ſententiâ objecta à Maxentio terricula depelluntur. Inſignia de hoc ipſo S. Fulgentii teſtimonia capite inſequenti produco. Denique Dionyſius Exiguus in præfatione ad Epiſtolam S. Procli ad Armenios, quoſdam redarguit, *qui unum ex Tribus adſerentes, unum ex Trinitate dicere nullâ ratione conſentiunt*; quorum opinionem recitaſſe, confutaſſe eſt.

CAPUT VII.

Catholici Orientalium diœceſeon profeſſioni fidei Imperatori oblatæ inſerunt theſim de Chriſto uno ex Trinitate. Hinc illa Dioſcoro Legato non probata. Monachi Scythæ ab Hormiſdâ ſub liberâ cuſtodiâ Romæ retenti. Epiphanius fit Patriarcha C-P. Monachi librum cum inſertis Capitulis de uno ex Trinitate, &c. ad Epiſcopos Africanos mittunt. Africani Patres fidem eorundem comprobant: qui pro uno de Trinitate, unam perſonam ex Trinitate reponunt. Monachi turbulentâ fugâ ex Urbe recedunt. Hormiſdas Pontifex eoſdem ſcriptâ ad Poſſeſſorem epiſtolâ, redarguit. Maxentii in confutandâ eadem epiſtolâ impudentia ac petulantia. Eadem epiſtola ab Africanis Epiſcopis laudatur.

CÆteros inter Orientales, qui ſublato Acaciano ſchiſmate, communionem cum Romanâ Eccleſiâ, dato fidei libello, expetebant, fuere Clerici ac Monachi Antiochenæ, & Hieroſolymitanæ diœceſium, qui Juſtini Imperatoris edicto de concordiâ Eccleſiarum reſtaurandâ publicato, ſuas ad eundem

Digitized by Google

dem Principem preces, cum insertâ fidei profeſſione, per Apocriſarios tranſmiſerunt. Extat illorum libellus ſupplex inter epiſtolas Hormiſdæ, in quo teſtantur, ſe nunquam à traditâ à majoribus fide receſſiſſe, ſed eandem inter perſecutionum procellas conſtanter ſervaſſe. Profitentur ſe quatuor Oecumenicas Synodos venerari, ac deteſtari graſſantes circunquaque Eutychianos, Acephalos, ac Neſtorianos. Hæc inſuper ſcribunt: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus unus eſt ex ſanctâ & unius eſſentiæ Trinitate; ſi enim unum Deum in tribus ſubſiſtentiis, ſicut dictum eſt, accipimus, Pater autem non eſt incarnatus, nec Spiritus ſanctus; Deus Verbum incarnatus eſt, & homo factus, eſt unus ex ſanctâ & unius eſſentiæ Trinitate ſecundùm filiationis proprietatem.* Item: *Hoc enim veræ magnum pietatis myſterium, quia unus ex ſanctâ unius eſſentiæ Trinitate incarnatus, & homo factus, Deus Verbum in utraque naturâ Deitatis & humanitatis indiviſè, & inconfuſè cognoſcitur &c.* Hæc prolixiùs protuli, ut appareat defenſam à Monachis Scythis propoſitionem, in Patriarchatu Antiocheno atque etiam Hieroſolymitano adeò conſtanter aſſertam, ut eandem libello profeſſionis fidei inſerere conſueſcerent. Juſtinus Imperator laudatam profeſſionem oſtendit Dioſcoro Legato Hormiſdæ, qui conceptæ ſemel opinioni adhærens, theſim illam *de uno ex ſanctâ Trinitate*, tertiùm memoratæ profeſſioni inſertam, approbare recuſavit. Horum auctorem habemus ipſummet Imperatorem, ad Hormiſdam ſcribentem in Epiſtolâ, cujus exordium: *Quanto flagramus ſtudio &c.* in quâ narrat ſibi preces oblatas ab Orientalibus *certa quædam diſſerentibus pro fide Catholicâ, ſecretaque ſuæ mentis declarantibus, quæ apud ſe pro individuâ Trinitate conſtituta teſtantur, quæque firmiter ſeſe recepturos oſtendunt; hiſque relectis, Dioſcorus aliqua aſſeruit non convenienti ordine inſerta fuiſſe.* Scribit ſe brevi Legatum cum ſibi oblatis ſupplicationibus Romam miſſurum: *quò poſſint reſecari tandem dubitationes incongruæ.* Data eſt epiſtola die 19. Januarii, anno vulgaris Epochæ 520. Cùm in illis precibus Orientalium contineatur profeſſio fidei de Incarnatione Dominicâ, ea tantùm ad Trinitatem pertinent, ubi ſemel, iterùm, ac tertiò *Unus è Trinitate* Chriſtus adſtruitur: quòd effatum Dioſcoro diſplicebat, cùm mallet pro uno ſanctæ Trinitatis, ſcribi unam perſonam Trinitatis; quòd autem ea eſſet de verbo, non de re quapiam diſſenſio, rectè Imperator *dubitationes incongruas* dixit.

Monachi Scythæ diuturnioris in Urbe moræ impatientes, ſimulque ægrè ac moleſtè ferentes cauſæ diſcuſſionem uſque ad reditum Legatorum dilatam fuiſſe, nec ſecundum illius exitum ſperantes, quòd Dioſcorum adverſarium haberent, eò etiam infeſtiorem timentes, quòd illum apud Pontificem accuſaverant, clam Româ ſecedere deliberaverant, quòd cùm Hormiſdæ innotuiſſet, eoſdem in liberâ cuſtodiâ detineri juſſit, quouſque Legati reverſi eſſent: *Quos*, inquit Hormiſdas Epiſt. 63. ad Legatos, *tum nos faciemus ſolicitiùs cuſtodiri, ea quæ de vobis contraria dixerunt, volentes agnoſcere, ut cum reverſi Deo propitiò fueritis, eorum error rationabilibus adhortationibus corrigatur.* Scripta eſt epiſtola die 3. Decembris, anno 519. Anno proximo obiit Joannes Patriarcha C.P. cui ſententiâ & electione Juſtini Imperatoris, accedente Clericorum, Monachorum, ac plebis conſenſu, ſuffectus fuit Epiphanius, quem Theophanes ſcribit ordinatum fuiſſe die 25. Februarii, quæ anno 520. incidit in Feriam III. Cyclo Solis XXV. litt. E. D. Novus Patriarcha paulò poſt, ſuos de more Legatos ad Summum Pontificem deſtinavit Joannem Epiſcopum Claudiopolis, Heraclianum Presbyterum, ac Conſtantinum Diaconum. Verùm Joannes in morbum incidens, tardiùs cum collegis Romanum iter ſuſcepit.

Intereà Monachi Scythæ novas aliundè ſuppetias advocaturi, inito cum aſſeclis conſilio, ad Africanos Epiſcopos Thraſamundi Vandalorum regis juſſu in Sardiniam deportatos, Legatum mittere decreverunt, quò doctiſſimorum Patrum ſuffragia ſibi compararent. Libellum etiam iiſdem miſerunt, Joanne Diacono legatione fungente; & in inſcriptione quatuor nominantur, *& cæteri fratres in cauſâ fidei Romæ directi.* In ejus libri cap. 1. ſcribunt: *Igitur juxtà ſanctorum Patrum traditionem, D. N. Jeſum Chriſtum in duabus naturis unitis, & inconfuſis, id eſt, divinitatis & humanitatis in unâ perſonâ ſive ſubſiſtentiâ confitemur.* Quâ doctrinâ Neſtoriana atque Eutychiana hæreſis condemnatur. In cap. 2. tradunt *B. Virginem verè & propriè eſſe Dei genitricem.* Scribunt inſuper: *Hinc etiam à ſanctis Patribus adunatione ex divinitate & humanitate Chriſtus Dominus noſter compoſitus prædicatur*; quod egregio teſtimonio Malchionis Presbyteri in Synodo Antiochenâ contrà Paulum Samoſatenum confirmant. Dein cap. 4. hiſce exordiuntur: *Hac de cauſâ Trinitas etiam poſt Incarnationis myſterium Trinitas manſit, quia idem Deus Verbum etiam cum propriâ carne unus eſt ex Trinitate: non quòd caro ejus ſit de ſubſtantiâ Trinitatis, ſed quia caro Dei Verbi eſt, qui eſt unus de Trinitate.* In capite V. Neſtoriano errore rejecto, quatuor Synodos ſe ſequi, ac S. Leonis epiſtolas amplecti conteſtantur, ac damnare ſcripta Theodori Mopſueſteni, ejuſque diſcipuli Neſtorii; *His*, inquiunt, *adjicientes Eutychem, Dioſcorum, cum ſociis eorum, omneſque quos juſtè ac regulariter Sedes Apoſtolica condemnavit.* Tria ſibi defenſa capitula de Chriſto uno ex Trinitate; de B. Virgine verè & propriè Dei genitrice; ac de Chriſto compoſito, Africanis Patribus *diligenti examinatione* diſcutienda propoſuerunt, ut cap. 1. præfantur. In tribus reliquis capitibus Pelagianorum errores egregiè confutant. Apponitur ſubſcriptio: *Petrus miſericordiâ Dei Diaconus ſubſcripſit. Joannes miſericordiâ Dei Monachus ſubſcripſit. Leontius miſericordiâ Dei Monachus ſubſcripſit. Joannes Lector miſericordiâ Dei ſubſcripſit.* Librum cum vulgo appellavi, qui tamen ab Africanis Epiſcopis rectiùs epiſtola nuncupatur in libro de Incarnatione & gratiâ cap. 2. *Hac*, inquiunt, *ex epiſtolæ veſtræ tenore poſuiſſe ſufficiat.* Erant eò loci in Sardiniâ XV. Epiſcopi ex Byzacenâ provinciâ pulſi, quorum Primas Datianus: omnium os & lingua erat S. Fulgentius Epiſcopus Ruſpenſis, vir ejus ætatis doctiſſimus, cui collegæ adornandæ reſponſionis curam delegarunt. Ille verò eruditum æquè ac prolixum volumen elucubravit, ac *de Incarnatione, & gratiâ* inſcripſit. In priori capite nomina Epiſcoporum initio recenſentur, quos inter antè penultimum ipſe Fulgentius legitur. Scribunt literas ſibi miſſas recepiſſe: *quibus*, inquiunt, *recenſitis, veſtram ſimul alacres & fidem cognovimus & ſalutem; imò in agnitione veræ fidei veſtra nobis ſalus innotuit.* Hoc tam gravi doctiſſimorum Patrum judicio, ac tam favorabili ſententiâ, Monachorum capitula uti Catholicæ fidei conformia, ab omni objectæ hæreſeos ſuſpicione abſoluta ſunt. Ita tamen Epiſcopi in ejus cauſæ examine ſe geſſerunt, ut ex tribus capitulis ad Incarnationem Dominicam ſpectanti-

Digitized by Google

ctantibus, unum expreſsè approbaverint; alterum non Græcorum phraſe, ſed frequentatâ apud Latinos loquendi formulâ expreſſerint; tertium denique conſultò omiſerint. Nam à capite ſecundo uſque ad nonum prolixè probant B. Virginem eſſe Dei genitricem. At id præcisè uti definitum in Epheſinâ Synodo contrà Neſtorium, à nullo Catholico in quæſtionem vocabatur, ſed quidam, ut ait Facundus lib. 1. cap. 4. negabant virginem Mariam *verè & propriè* Dei genitricem appellari; *cum Neſtorium*, inquit, *fateantur, propter quod eam matrem Dei negabat, debuiſſe damnari.* Semel tantùm in fine cap. 6. Africani alterum ex adverbiis inſerunt: *Verè igitur Deum Verbum Maria concepit, quod incarnatum peperit;* quamvis utrumque adverbium plura quæ producunt, argumenta omninò comprobent, & ea præſertim quæ unam *in* Chriſto perſonam fuiſſe convincunt. Jam verò in capite X. diſſerunt de famosâ Monachorum theſi de Chriſto uno ex Trinitate. De ipsâ quidèm cum Monachis ſentiunt, at inſuetam Latinis loquendi formulam adhibere recuſantes, ſcribunt Trinitatem non eſſe incarnatam; *ſed ſolus*, inquiunt, *Filius, ideſt, ille, quem in unitate naturæ Pater coæternum ſibi Filium & coæqualem genuit, ideſt, una ex Trinitate perſona Chriſtus Dei Filius unicus, ut nos ſalvos faceret, carne conceptus, & natus eſt de ventre Virginis Matris.* Hac Latinis conſuetâ phraſe paſſim ſuis in libris Fulgentius uſus eſt. In libro de Baptiſmo Æthiopis, in fine cap. 3. ait: *Eadem plena humanitas Filii cum æternâ divinitate ſua, una eſt in Trinitate perſona.* Et cap. 7. de quinque quæſt. ad Ferrandum Diaconum: *Filius quoque una tantùm dicitur in Trinitate perſona.* In libro contra ſermonem Faſtidioſi cap. 20. *Chriſtus itaque, qui non eſt Trinitas, ſed una ex Trinitate perſona;* ut vitiligator planè odioſus Maxentius cenſendus ſit, qui *unum in Trinitate* Filium dicentes hæreticorum numero furioſus accenſet. In ſequentibus viginti capitulis Africani de divinâ gratiâ contrà Pelagianos diſſerunt, quorum conſideratio extrà lineam eſt ſuſcepti in præſentiâ argumenti. Nuſquam autem de Chriſto compoſito eo in libro loquuntur, quòd ea quæſtio erat Latinis incognita; quamvis tamen prolixiùs unionem duarum naturarum in unâ perſonâ Chriſti exponant, ac comprobent.

Monachi Scythæ annum jam Romæ exegerant, nec quidquam in ipſorum controverſiâ actum fuerat, cùm Pontifex Legatorum reditum opperiendum decreviſſet, quemadmodum Juſtiniano aliiſque ſignificaverat. At Monachi cùm probè intelligerent, Hormiſdam propoſita capitula de uno ex Trinitate crucifixo, ac de Chriſto compoſito minùs probare, non quòd falſa & Catholicæ fidei repugnantia judicaret, ſed quòd inſuetâ Latinis phraſe, eaque, diverſo licèt ſenſu, ab Eutychianis uſurpatâ, exprimebantur, Româ ſecedere ſtatuerunt; cùm præſertim vererentur, ne reverſis Legatis, longè pejori loco ipſorum cauſa futura eſſet, cùm Dioſcorus, quocum Conſtantinopoli apertas ſimultates exercuerant, quemve apud Hormiſdam Romæ accuſaverant, nihil intentatum relicturus crederetur, quo illatas ſibi injurias ultum iret. Verùm ne fugæ notam ſubirent, ad Imperatorum ſtatuas coram populo Romano proteſtationem, ut ait Hormiſda, fecerunt, qua ſibi adverſantibus invidiam conflantes, coactos ſe Româ diſcedere publicarunt. Pontifex improviſam Monachorum fugam adeò moleſtè tulit, ut reſcribens Poſſeſſori Epiſcopo eoſdem ſtatim ac merito hiſce perſtrinxerit: *Nunquam apud eos charitas novo commendata præcepto: nunquam pax Dominico relicta diſceſſu, una pertinacis cura propoſiti, rationi velle imperare, non credere; contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quæſtionum, ſolam putantes ſcientiæ rectam viam, quælibet conceptam facilitate ſententiam, euſque tumoris elati, ut ad arbitrium ſuum utriuſque Orbis putent inclinandum eſſe judicium: nec in numero fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ, ſi ſuæ viderint cedere nolle ſententiæ.* Hæc & alia ejuſmodi Hormiſdas. Data dicitur epiſtola Idibus Auguſti, anno 520. Nuſquam illos hæreticos dixit, ſed in conceptis opinionibus defendendis, obſtinationem, imò furorem exprobravit, quo acti præcipites tùm Orientis tùm Occidentis Eccleſiis ſuas ipſorum ſententias imperioſi inculcabant. Novarum quæſtionum cupidos traduxit, qualis profectò erat apud Latinos excitata à Monachis controverſia *de uno ex Trinitate;* quæ tamen propoſitio Orientalibus, ut oſtenſum eſt, adeò erat accepta, ac probata, ut eandem profeſſioni fidei inſeruerint contrà Neſtorianorum verſutias, qui cùm in Occidente nullas turbas darent, nulla proinde ejus propoſitionis aſſerendæ neceſſitas Latinis incubuit. Etenim his dicebatur, ut ſæpiùs dixi, *una de Trinitate perſona*, quos tamen Monachi protervè ac arroganter Neſtorianis adhærere calumniabantur, eoſdem in numero fidelium, ut ait Pontifex, neutiquam deputantes. Poſſeſſor, cui eam Epiſtolam Hormiſdas ſcripſit, erat Epiſcopus ex Africâ cum cæteris à Thraſamundo rege Ariano pulſus, ac tum degens Conſtantinopoli, idemque contrariam Monachis Scythis factionem ſequebatur. Maxentius in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ ſcribit: Poſſeſſorem *non ſolùm non confiteri Chriſtum Filium Dei vivi unum ex individuâ Trinitate, ſed & adverſari eis qui hoc fiducialiter confitentur, atque infideles & perfides nefandâ accuſare temeritate.* Itaque Poſſeſſore epiſtolam publicante, varia ejuſdem exempla quaquaverſum vulgata ſunt; ac Monachi ab adverſariis traducti, quòd à Pontifice ſibi timentes, Româ aufugiſſent. Equidèm tam præcipiti fugâ, ſuomet judicio cauſâ cecidiſſe videbantur, quàm abſemet ad Apoſtolicum tribunal delatam, uti planè deſperatam, deſeruiſſent.

Maxentius ubi primùm animadvertit hoſtes Monachorum in memoratâ Hormiſdæ epiſtolâ triumphum canere, contrà eandem ſtylum tanto furore atque impetu diſtrinxit, ut omnes illius periodos confutans, mille convitiorum plauſtra contrà Hormiſdam evomuerit. Verùm quò licentiùs contrà illam debaccharetur, epiſtolam malo æmulorum dolo Hormiſdæ affictam finxit: *Si tamen non eſt*, inquit, *(quod magis credendum æſtimo) ab hæreticis ficta;* Et inferiùs: *Nam & ipſi hæretici, ut ſuperiùs dictum eſt, ad hoc ubique hanc ipſam, cui reſpondimus, epiſtolam proferunt, quatenùs & ſæpè dictis Monachis invidiam concitent, & omnes quaſi ex auctoritate ejuſdem Romani Epiſcopi prohibeantur Chriſtum Filium Dei unum confiteri ex Trinitate. Sed quis hanc ſententiam Catholicam non eſſe auſus eſt profiteri, quam univerſa veneratur, & amplectitur Dei Eccleſia &c.* Hunc Neſtorianum eſſe ſcribit. Deinde: *Sed abſit*, inquit, *ut ex qualibet parte Catholicæ profeſſioni Romanus Epiſcopus contradicat.* Addit Hormiſdam permiſiſſe Monachos Scythas per quatuordecim penè menſes ſibi communicare, ac rogaſſe Romanum Magiſtrum militum: *Quatenus ſua verba piiſſimo Imperatori inſinuaret, quæ fuere hujuſmodi;* Niſi Chriſtum Filium Dei, qui pro

no-

Digitized by Google

nobis paſſus eſt in carne, unum eſſe ex ſanctâ & individuâ Trinitate fuerit confeſſus Dioſcorus, pelago demergatur. *Undè quis facilè credere audeat, hanc à memorato viro (ut ſæpè diximus) directam epiſtolam? &c. Veruntamen ſive ab hoc, ſive à quolibet alio hæc ſit ſcripta epiſtola, non eſt dubium auctorem ejus eſſe hæreticum*; Cui ille non tantùm Neſtorianæ hæreſeos, verùm etiam Pelagiani erroris notam pari petulantiâ, ac falſitate inurit, ut faciliùs ſit Æthiopem lavare, quàm effrænam ac violentam furibundi hominis impudentiam aliquâ in ſpeciem tantùm probabili defenſione incruſtare. Non ergo huc arceſſam S. Cypriani ad Pompejum Epiſcopum Sabratenſem, vel S. Firmiliani ad eundem Cyprianum epiſtolas: non tumultus à Joanne Patriarchâ Antiocheno ac Orientalibus contrà S. Cyrillum excitatos: non totius ferè Occidentalis Eccleſiæ à Vigilio Papa ob damnata tria Capitula ſeceſſionem, ne uoius Monachi conceptæ ſemel opininnis amore obcæcati, facinori obvelando ea imprudenter revelem, quæ lacta, nullus non Catholicus infecta mallet. Monſtri inſtar eſt illa Maxentii pro Monachis Scythis apologia; ſiquidèm ubi in priori ejus parte Hormiſdæ epiſtolam acerbiſſimis calumniis impetit; in poſteriori pro ſancti Auguſtini doctrinâ contrà Fauſtum Rejenſem decertat, ita tamen ut longè majori vituperatione percellendus ſit, quòd Hormiſdæ epiſtolam tot tantiſque dicteriis laceravit, quàm laude excipiendus, quòd Fauſtum Auguſtinianam de divinâ gratiâ doctrinam per inſidias circumvenientem, ejuſdem S. Doctoris teſtimoniis confutavit. Et ſanè Maxentius ipsâ criminis purgatione fit reus. Nam Hormiſdas Monachis id vitio vertit: *Nec in numero fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ; ſi ſuæ viderint cedere nolle ſententiæ*; Quòd reapſe Maxentius præſtitit, dum ſibi adverſantes ubique tanquam hæreticos traducit, & ipſum Pontificem non quidèm eam theſim de uno ex Trinitate condemnantem, ſed eam in fidei Catholicæ canones referre juſtis de cauſis recuſantem, Neſtorianum ac Pelagianum improbè ac petulanter obtrudit. Sed nec frigida ac affectata de epiſtolæ auctore dubitatio Maxentii crimen imminuit, quia quamvis auctor in dubio fuiſſet, obſequium ergà ſupremum in Eccleſiâ Dei judicem ſilentium eidem imponere debebat, ac ſtylum ab omni maledicentiâ cohibere. At epiſtolam illam ad Poſſeſſorem Hormiſdæ Papæ adſcribunt illi ipſi Epiſcopi Africani in Sardiniâ id temporis exulantes, quorum ſuffragia tidem Monachi Scythæ, aut qui eiſdem in legatione paulò poſt ſucceſſere, implorarunt, in epiſtolâ Synodicâ, quam ad Joannem Presbyterum, Venerium Diaconum ac collegas miſerunt. Nam de libris S. Auguſtini Proſpero ac Hilario nuncupatis, ſcribunt: *Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes in epiſtolâ, quam conſulenti ſe ſancto Fratri conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit.* Hinc colligimus hanc epiſtolam poſt obitum Hormiſdæ ſcriptam, eamque ad alios à Monachis Scythis diverſos miſſam fuiſſe; Illis enim eam legentibus, nimium oculi doluiſſent, cùm in eadem tot turpibus notis inſigniantur. Hi verò erant poſteriores Legati, qui poſt Scytharum abſceſſum, pro eadem cauſâ apud Apoſtolicam Sedem promovendâ, Romam ab Orientalibus deſtinati fuerant, ac fortè cum Legatis, de quibus proximè ſcribo, in Urbem advenere.

CAPUT VIII.

Juſtinianus pro definiendâ theſi de uno ex Trinitate plures ad Hormiſdam literas ſcribit. Juſtinus Imperator Legatum ad eundem mittit cum laudatâ theſi profeſſioni fidei Orientalium insertâ. Legati Epiphanii Patriarchæ Romam adveniunt. Hormiſdas Juſtino reſcribit. Ejuſdem argumentum contrà famoſam theſim exponitur. Cur eandem approbare recuſaverit.

MOnachi cauſâ nondum expenſâ, Româ diſceſſerant, cùm nihil planè de eadem Hormiſdas Pontifex ſtatuiſſet. Hinc ſcribit Maxentius in reſponſione ad epiſtolam ejuſdem Hormiſdæ: *Quòd Monachis reſponſum quærentibus, Romanus Epiſcopus dare omnino diſtulerit, eoſdemque &c. vacuos & ſinè ullo effectu ad has partes venire compulerit, quod omnibus penè Catholicis notum eſt.* Hæc tamen Juſtiniani ſtudium in promovendâ apud Apoſtolicam Sedem definitinne theſis de Chriſto uno ex Trinitate, nullatenus debilitarunt, quin potiùs ad eandem impetrandam, longè vehementiùs incenderunt, ita ut iteratis ea de re literis Pontificem toto ferè deinceps biennio interpellare nunquam deſtiterit. Cùm Legati à novo Patriarchâ Epiphanio Romam deſtinati, ob unius ægritudinem longiores Conſtantinopoli moras facere cogerentur, ac Legati Hormiſdæ jam ex regiâ urbe Romam profecti eſſent, Juſtinus Imperator Eulogium Tribunum ac Notarium, quæ inſignis erat dignitas Palatina, in Italiam ad Theodoricum regem Gothorum mittens, eidem literas ad Hormiſdam ſcriptas tradidit, quibus ſignificabat ſe diſcedentibus Legatis Pontificiis inſinuaſſe: *Quòd capitula, quæ ad perfectam Eccleſiarum unitatem* pertinebant, *Apoſtolatui*, inquit, *veſtro per reverendiſſimum Joannem Epiſcopum ſequenter manifeſta faceremus: quæ tamen ipſis hic præſentibus fuerant declarata. Sed evenit præfatum Joannem Antiſtitem longâ ægritudine detineri.* Data eſt epiſtola die 31. Auguſti Anno 520. Addidit ſuas quoque literas Juſtinianus, quorum exordium: *Quanta reverentia &c.* quibus Pontificem rogans ait: *Poſtulamus enixiùs ut &c. nobiſque tam de ſermone, de quo vertitur controverſia*, nempè de uno ex Trinitate, quàm de nominibus Epiſcoporum ſub Acacio defunctorum, per *Eulogium virum ſublimem, Tribunum & Notarium dignetur Apoſtolatus veſter integrum indubitatumque deſtinare reſponſum.* Eulogius maximis itineribus celerans, Romam Kalendis Octobris advenit, ac utranque epiſtolam Hormiſdæ tradidit. Cùm verò paulò poſt Eulogii diſceſſum, Joannes Epiſcopus convaluiſſet, ac cum collegis ad iter Romam verſùs ſe compararet, Imperator ſuum quoque Legatum Gratum Magiſtrum ſcrinii Eccleſiaſticis Legatis adjunxit cùm literis ad Hormiſdam, quarum initium eſt: *Quo fuimus ſemper &c.* Pontificem unum & alterum rogat. In primis petit, ut damnatis Acacio, Petro Fullone, Petro Moggo, Dioſcoro, ac Timotheo, cæterorum Epiſcoporum, qui durante ſchiſmate, è vitâ deceſſerant, nomina in diptychis ſuarum Eccleſiarum recitari poſſent, quemadmodum hactenus recenſiti fuerant. Deinde ait preces ſibi ab Orientis Clericis ac Monachis porrectas cum inſertâ fidei ipſorum profeſſione: *Hanc itaque*, inquit, *chartulam ſecundùm noſtra promiſſa per Joannem virum reverendiſſimum Epiſcopum dirigendam vobis in præſenti meritò credimus, ut à veſtrâ*

Sede

Digitized by Google

Sede etiam tenor ejus admiſſus, ad colligendas proficiat, & adunandas ubique venerabiles Eccleſias, & Hieroſolymitanam præcipuè &c. Data aſt epiſtola Idibus Septembris Calchedone, Anno 520. Annexum appoſuit libellum Orientalium, qui poſt Juſtini epiſtolam legitur ſub titulo: *Exemplum precum. Deo amabili ac piiſſimo Imperatori ex Deo Auguſto & Principi Juſtino Chriſtianiſſimo Deprecatio & Supplicatio ab Hieroſolymitanis & Antiochenis, & ſecundæ Syriæ Clericis & Abbatibus, & poſſeſſoribus Syriæ provinciæ.* In eo autem fidei libello legitur: *Dominus noſter Jeſus Chriſtus unus eſt ex ſanctâ & unius eſſentiæ Trinitate.* Quod effatum ter ibidem exprimitur, ut oſtenſum aſt initio proximi capitis ſeptimi. Nec mirum eam theſim ab Orientalibus in fidei canonem relatam fuiſſe, cùm ſancto Sabâ teſte locupletiſſimo, eadem eſſet publica Catholicorum teſſera contrà Neſtorianos, quemadmodum cap. 2. prænotavi. Rursùs in eodem libello legitur: *Undè propriè Dei Virgo genitrix eſſe creditur:* quod eſt alterum capitulum à Monachis Scythis contrà Acœmetas propugnatum, ac nonnullos etiam alios, ut ex Facundo ac Ferrando Diacono intelligimus. Denique hæc profitentur; *Hoc enim verè magnum pietatis myſterium, quia unus ex ſanctâ unius eſſentiæ Trinitate incarnatus, & homo factus Deus Verbum, in utraque naturâ Deitatis & humanitatis indiviſè & inconfusè cognaſcitur, & adoratur, non converſionem vel mutationem ſuſtinens, ſed proprietatem utriuſque naturæ in unâ perſonâ in ſemetipſo conſervans.* Quâ Catholicâ profeſſione Neſtorii & Eutychetis hæreſes apertiſſimè coodemnantur. Ex his verò patet magnum Virum falsò ſcripſiſſe Monachos Scythas id aſſerendum contendiſſe, *quod nemo aliquando poſt Concilium Calchedonenſe dixiſſet:* cùm ea propoſitio, *Chriſtus eſt unus ex Trinitate*, fuerit veluti dogma fidei apud Catholicos toto Oriente receptum.

Juſtinianus oblatâ memoratæ legationis Romam deſtinatæ occaſione uſus, iterùm ad Hormiſdam ſcripſit epiſtolam ſub exordio: *Quantam venerationem religionis &c.* Legatos Epiphanii Hormiſdæ commendat, atque hæc inſuper ſcribit: *Dignetur ergo Sanctitas tua ſuſcipere memoratos viros religioſiſſimos libenter, & habitis orationibus, placataque divinitate, ſic omnia debeat ordinare venerabiliter, ut nihil ultrà remaneat in ambiguo. Nobis enim videtur, quoniam Filius Dei vivi D. N. Jeſus Chriſtus ex virgine Mariâ natus, quem prædicat ſummus Apoſtolorum carne paſſum, rectè dicitur unus in Trinitate cum Patre, Spirituque ſancto regnare, majeſtatiſque ejus perſonam IN TRINITATE, & EX TRINITATE non infideliter credimus.* Addit de nominibus Epiſcoporum in Diptychis retinendis eadem, quæ Imperator quoqua ſcribebat. Et concludit: *Nos etenim finitis Capitulis, de quibus ſcripta ſuſcepiſtis, ultrà non patiemur à quoquam controverſiam religionis in republicâ noſtrâ moveri, nec veſtram Sanctitatem convenit audire ſuperflua concertantes.* Quâ poſtremâ periodo ſugillat eos, qui negabant Chriſtum poſſe dici unum ex Trinitate. Epiphanius Patriarcha Synodicam de more ad Hormiſdam mittens, alteram ad eundem epiſtolam iiſdem legatis tradidit. Illius initium eſt: *Quantam habuimus alacritatem &c.* Scribit de recitandis nominibus Eniſcoporum &c. ac de oblatis ab Orientalibus precibus Imperatori cum annexo libello fidei: Hæc epiſtola legitur cum aliis antè Epiſtolam 63. Hormiſdæ Tom. IV. Concil. edit. ult. pag. 1537. Legati tardiùs Romam pervenere, ſiquidem laudatæ Juſtini & Epiphanii literæ ſignantur acceptæ pridiè Kal. Decembris Ruſtico Conſule ideſt, Anno 520.

Hormiſdas antequam Legati advenirent, breviorem ad Juſtinianum epiſtolam 77. miſerat, quâ commendatâ illius in Eccleſiâ defendendâ ſedulitate, ſignificat ſe promiſſos Legatos avidè expectare, ut omnibus quæ in controverſiâ erant, ab iiſdem intellectis, poſteà quid è re Catholicâ foret, publico decreto ſtatueret. Propoſitæ verò quæſtioni de uno ex Trinitate, hæc pauca reſpondit: *Non opus ut ſtabilitatem fidei veſtræ contentionis potiùs quàm rationis ſequaces procaci verborum novitate confundant. Sancta Trinitas Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus unus eſt Deus; hanc Iſrael juſſus adorare, cujus inſeparabilis & indiſcreta ſubſtantia non poteſt dividi, non poteſt ſacrilegâ diſtinctione ſeparari; ſervatâ tamen proprietate ſuâ unicuique perſonæ.* Hormiſdas Monachorum ſententiæ nullam hæreſeos notam inurit, ſed *procacis verborum novitatis* elogio illam inſignit, quòd ea loquendi formula, ut ſæpiùs præmonui, erat Latinis incognita. Non obſcurè autem inſinuat ex illâ phraſe: *Chriſtus eſt unus è Trinitate*, videri diviſionem in inſeparabilem ac indiſcretam ſubſtantiam Trinitatis induci; quod planè erat præcipuum argumentum, quo poſitio de uno ex Trinitate vulgò oppugnabatur; ut mox expono. Hujus etiam argumenti occaſione ortam puto quæſtionem id temporis inter eruditos agitatam, videlicet: *Utrùm Trinitas inſeparabilis dici debeat ſeparabiles habere perſonas, an etiam in perſonis ſit omninò inſeparabilis.* Cui ſanè quæſtioni cùm Ferrandus Diaconus vir alioqui doctiſſimus, ſolvendæ non eſſet, eandem ſibi exponendam, Sancto Fulgentio propoſuit. Legati exeunte Novembri Romam ingreſſi, Imperatoris ac Patriarchæ literas Hormiſdæ tradidere, qui iiſdem lectis, ac Legatis non ſemel auditis, varias in partes trahi cœpit, dubius, ne permittens, in ſacris tabulis recitari nomina Epiſcoporum, qui in Acaciano ſchiſmate obierant, Eccleſiæ legem infringeret, neve approbans inculcatam ſibi tot epiſtolis à Juſtiniano theſim de uno ex Trinitate, Latinorum aures offenderet. Hinc de utraque difficultate ſæpiùs conſultans, reſponſum in quartum uſque menſem diſtulit. Atque ita exiit annus Epochæ Chriſtianæ 520. novumque in Faſtis annum Conſules aperuerunt Juſtinianus Imperatoris nepos in Oriente, ac Flavius Valerius in Occidente.

Juſtinianus qui ſe totum in controverſiam toties memoratam de uno ex Trinitate, immerſerat, tandiu dilatæ ab Hormiſdâ reſponſionis impatiens, iteratas ad eundem literas miſit, quæ incipiunt: *Diligenter Apoſtolatus veſter &c.* Scribit Imperatorem, ſeque pariter omnem operam reparandæ religioni impendiſſe; atque eam ob rem perficiendam, Legatos in Urbem miſiſſe, videlicet: *ut integrum co..ponetur de Capitulis, quibus ad ea dubietas ..vertebatur. Sed ignoramus, quæ difficultas proveneri.., ut minimè ſopirentur hactenùs ea, quæ videntu.. eſſe leviſſima.* Epiſtolam concludens, ait: *M...is omnibus feſtinare dignemini.* Hormiſdas rebus ..ccuratè perpenſis, die demum 26. Martii, ann.. 521. tres epiſtolas ſubſignavit, quarum unam .. & alteram ad Imperatorem, tertiam ad Epipha..ium Patriarcham perſcripſit. Quæ dubio pro.. ..ul ad novum Conſulem Juſtinianum datæ erant .., literæ interciderunt. Prior ad Juſtinum ep.. ..ſtola eſt 78. in quâ de nominibus Epiſcoporu.. .. in Diptychis recitandis agit. In editis ejuſdem exem-

exemplaribus lacuna apparet : *Et præoptabile..... putetur.....mortuis , quàm inhærere cum vivit.* In Codice Vaticano 4961. ex quo Hormiſdæ epiſtolæ primùm exſcriptæ ſunt , legitur : *& præoptabi..... putetur ſo.....* unde ſic explenda eſt : *& præoptabile eſſe putetur ſociari cum mortuis , quàm inhærere cum vivis.* Plures enim Eccleſiæ Orientis malebant defunctorum nomina recitare , quàm recenſeri in communione cum Romanâ Eccleſiâ. In alterâ epiſt. 79. laudat Imperatorem , quòd voluerit , *ut aliquorum ,* inquit , *preces perferendæ ad humilitatis meæ notitiam jungerentur , quibus vel quid quæſtionis oriretur agnoſcerem ; vel ad ſummovendum propoſitæ conſultationis ambiguum , reſponſum à me religioſæ ſcientiæ conveniens redderetur.* In illis autem precibus continebatur profeſſio fidei Orientalium cum ter insertâ propoſitione de uno ex Trinitate , ut modò inſinuabam. Enimverò Pontifex ibidem tradit hæreſes Neſtorii atque Eutychetis contrariis quidèm erroribus , ſed pari impietate contextas , à Synodis tam validè confutatas , ut nil efficacius adverſùs eaſdem à quoquam adduci poſſe videretur. Revolvenda eſſe Synodica decreta ac Sancti Leonis Magni epiſtolas ; ac dein ait : *Quid ergo poſt illum fontem fidelium ſtatutorum , quid amplius (ſi tamen fidei terminum ſervat) quamlibet curioſus ſcrutator inquirat , aut opere , aut inſtitutione perfectiùs ? niſi fortè mavult quiſquam dubitare , quàm credere : certare , quàm noſſe : ſequi dubia , quàm ſervare decreta.* Quibus verbis ſententiam ab ipſis Legatis ante biennium de Monachorum propoſitione prolatam , confirmavit ; nempè ſufficere Synodum Calchedonenſem ac S. Leonis epiſtolas , nihilve inſuper novi aſſerti adiiciendum. Poſteà rationem adducens , cur minùs ſibi probaretur nova illa loquendi formula , *Unus è Trinitate ,* quam tamen non recitat , hæc ait : *Nam ſi Trinitas Deus , hoc eſt Pater , & Filius , & Spiritus ſanctus , Deus autem unus , ſpecialiter Legiſlatore dicente :* Audi Iſrael , Dominus Deus tuus , Deus unus eſt , *qui aliter habet , neceſſe eſt , aut divinitatem in multa dividat , aut ſpecialiter paſſionem ipſi eſſentiæ Trinitatis impingat , & (quod abſit à fidelium mentibus) hoc eſt , aut plures Deos more profanæ gentilitatis inducere , aut ſenſibilem pœnam ad eam naturam , quæ aliena eſt ab omni paſſione , transferre. Unum eſt ſancta Trinitas : non multiplicatur numero , non creſcit augmento ; nec poteſt aut intelligentiâ comprehendi , aut hoc quod Deus eſt , diſcretione ſejungi.* Ad hæc , adorandam Trinitatem , *ubi & ſi admittit numerum ratio perſonarum , unitas tamen non admittit eſſentiæ ſeparationem.* Gabriel Vaſquez in 3. par. S. Thomæ Diſp. 15. cap. 3. num. 51. eruditè expendit adductum ab Hormiſda argumentum , qui cùm vocem *Unus* ſubſtantialiter accipiat , optimè eo ſenſu ratiocinatur. At qui theſim famoſam propugnabant , vocem *Unus* perſonaliter intelligebant ; unde licèt illa ratio contrà Eutychianos validiſſima cenſeatur , Monachorum Scytharum ac Juſtiniani ſententiam ne leviter quidem perſtringit. Vis ergo argumenti recitati in hoc reponitur ; quia ſi unus ex Trinitate eſt paſſus , aut hic eſt unus Deus idem cum Patre ac Spiritu ſancto , aut unus Deus ab utroque diſtinctus. Si hoc alterum dicatur ; ergo divinitas in plures Deos dividitur. Sin autem [illegible] admittatur ; infertur abſurdum ab Hormiſda [illegible] ; videlicet ipſam divinam eſſentiam , quæ eſt [illegible] cum ſuo concreto *Deus* , paſſam eſſe , ac proinde etiam Patrem ac Spiritum ſanctum , qui ſunt idem unus Deus cum Filio , paſſos dicendos eſſe. Dionyſius Exiguus in præfatione ad Epiſtolam S. Procli , ſcribit quoſdam ſuâ ætate negaſſe Chriſtum unum eſſe ex Trinitate , *ne diviſionem Trinitati viderentur inferre.* Maxentius in profeſſione fidei hæc ait : *Quòd ſi Deum ex Deo dicere diviſionem non facit divinitatis , præſertim cum una ſit divinitas Trinitatis , multò magis unum ex Trinitate dicere , diviſionem non facit Trinitatis. Quia non ſecundùm id quod unus eſt Deus , & una divinitas Trinitatis , ſed ſecundùm id quod tres ſunt , id eſt , Pater , Chriſtus , & Spiritus ſanctus unus Deus , Chriſtus dicitur unus de Trinitate , qui pro nobis paſſus eſt carne.* Itaque juxtà Maxentium Chriſtus eſt unus ex Trinitate , ut *Unus* intelligatur notionaliter , non verò ſubſtantialiter. Fulgentius in libro de Trinitate ad Felicem cap. 2. ſcribit : *Quamvis enim dicamus Patrem Deum , Filium Deum , Spiritum ſanctum Deum , tamen non dicimus tres Deos ; quia ſcriptum eſt :* Audi Iſrael Dominus Deus tuus unus eſt : *Unus eſt igitur Deus in naturâ , non in perſonâ , quia alia eſt perſona Patris , alia Filii , alia Spiritûs ſancti.* In perſonis enim , ſive in tribus ſubſiſtentibus reperitur unus & alius ; alter & alter ; uti cap. 6. monſtratum eſt. Dum dicitur : *Deus tuus unus eſt ,* in recto una ipſa divina eſſentia appellatur. At dum aſſtruitur unus è Trinitate Chriſtus , vox *Unus* in recto ſignificat ipſammet perſonam Filii. Cùm Joannes II. in Epiſt. 3. ad Senatores tanquam fidei dogma definierit , credendum eſſe. *Unum de ſanctâ Trinitate Chriſtum eſſe , hoc eſt , unam de tribus ſanctæ Trinitatis perſonis , ſanctam eſſe perſonam ,* vocem *Unum* notionaliter accepit , cùm diſertè docuerit , unum ex Trinitate ſignificare unam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis. Quarè quilibet unus de Trinitate , eſt unus ſubſiſtens in Trinitate , quia , ut docet S. Thomas 1. par. quæſt. 29. art. 3. *Perſona ſignificat id quod perfectiſſimum eſt in totâ naturâ , ſcilicet ſubſiſtens in naturâ rationali ;* ex quo colligit perſonæ nomen rectè attribui Trinitati. Qui theſim illam impugnabant , eâ ſtatim interrogatione inſtabant : *Qui unus ?* Nonnullis eâ voculâ attonitis hærebat aqua. At uno verbo difficultatem Auguſtinus infregit : *Unus Trium.* At illi aliâ rurſùs interrogatione premebant , *Qui tres ?* Idem S. Auguſtinus lib. 5. de Trin. cap. 10. *Tamen ,* inquit , *cùm quæritur ,* Quid tres ? *Magnâ prorsùs inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum eſt tamen ,* Tres perſonæ , *non ut illud diceretur , ſed ne taceretur.* Reſpondet Ruſticus Diaconus in libro contrà Acephalos : *Interrogati ,* Qui tres ? *ambigimus reſpondere* perſonæ , *propter indecentem ſermonum compoſitionem :* perſonæ enim maſculino genere non efferuntur à Latinis. Noſtri Theologi facilè reſpondent , *tres ſubſiſtentes.* Prætereà vocem *Unus* ullo abſque addito , perſonaliter intelligendam eſſe , ex hac propoſitione innoteſcit : *Pater & Filius ſunt unus ,* quæ Sabellianam hæreſim continet. Catholicè autem dices , *ſunt unum.* Hinc Ferrandus Diaconus in Epiſtolâ ad Anatolium capite 15. ait : *Poteſt quidèm* Unus *etiam ſubſtantiam ſignificare ; ſed ſi addas ſubſtantiæ proprium manifeſtumque vocabulum , ſicut quando dicis :* Trinitas unus , *& continuò ſubinfers ,* Deus. *Alioquin tolle nomen , quod adjungis , ubi ſubſtantia ſignificatur , & dic , ſi audes :* Pater & Filius & Spiritus ſanctus unus ſunt. *Quis enim non continuò* unus ſunt , *ſecundùm perſonam dictum conſequenter intelligat ; & Sabellii redarguat vanitatem ?* Plura hac de re tradit Ruſticus in laudato libro contrà Acephalos ; unum ex pluribus teſtimonium appellabo : *Pater igitur ,* inquit , *& Filius , & Spiritus ſanctus unum quidèm ſunt , quia*

una

Digitized by Google

unâ eorum natura eſt ; unus autem non ſunt , quia tres perſonæ ſunt. Rectè igitur concludit citato loco Ferrandus : *Vides ergo quia propriè* Unus *ad perſonam pertinet ſignificandam ; quamvis adjuncto ſibi cujuslibet ſubſtantiæ vocabulo , poſſit etiam ſubſtantiam ſignificare. Simpliciter ergo audiamus , unum de Trinitate paſſum , id eſt , unam perſonam ex tribus perſonis.* Eſt phraſis Auguſtiniana ; ſiquidèm S. Doctor lib. 3. contrà Maximinum cap. 22. ait : *Sic & de Patre & Filio ,* unum ſunt , *dicimus , quia unius ſubſtantiæ duo ſunt ; &* , unus eſt , *dicimus , ſed addimus , quid unus , id eſt , unus Deus , unus Dominus &c.* Itaque vox *Unus* ſinè addito , perſonam in divinis ſignificat.

Dioſcorus in ſuggeſtione ad Hormiſdam Monachorum theſim redarguens ait : *Quia quotieſcunque Patres de D. N. Jeſu Chriſto diſputaverunt , Filium Dei Verbum Homouſion Patri dixerunt ;* contendens ex illâ propoſitione poni diviſionem in Trinitate , quia omnis numerus diviſionem importet ; undè ex illo effato Homouſion divideretur. Auguſtinus lib. cit. contrà Maximinum cap. 14. ait : *Quid eſt enim* Homouſion , *niſi unius ejuſdemque ſubſtantiæ ? Quid eſt , inquam ,* Homouſion , *niſi : Ego & Pater unum ſumus.* At *unus* ſinè addito vocabulo eſſentiam vel aliquod abſolutum seu eſſentiale denotante , perſonam in divinis deſignat ; cùm autem ſint tres perſonæ , numerum admittunt , non qualem in quantitate diſtinguimus , ex quo reſultat compoſitio , vel aggregatio ex pluribus per modum totius & partis ; ſed ille numerus realitatem tantùm relativam multiplicat , ut explicat S. Thomas 1. par. quæſt. 30. art. 3. Dicitur ergo Chriſtus unus ex Trinitate , & non dividitur Homouſion , quia non ſecundùm id , quo eſt unum , id eſt , ejuſdem eſſentiæ cum Patre , numeratur , ſed quatenus eſt unus ſecundùm propriam ſubſiſtentiam relativam , quâ conſtituitur alius à Patre , uti jam diximus.

Hormiſdas eadem die reſcripſit etiam Epiphanio Patriarchæ Epiſt. 80. quæ inſerta etiam legitur Act. V. Synodi C. P. ſub Mennâ. Narrat ſe accepiſſe libellum profeſſionis fidei Hieroſolymitanorum ſibi ab Imperatore tranſmiſſum. Nihil inquit adjiciendum definitis à Patribus , ac præſertim à Synodo Calchedonenſi , à quâ hæreſes Neſtoriana & Eutychiana oppreſſæ ſunt. Additque : *Hæc ſi quemadmodum à Patribus conſtituta ſunt , ſervant : credant , nec definita tranſcendant : à quo tramite qui declinant , ipſi ſibi nebulam dubitationis offundunt. Nobis autem illud Apoſtolicum contentioſis reſpondere neceſſe eſt :* Nos hanc conſuetudinem non habemus , nec Eccleſia Dei &c. *Et quia de Hieroſolymitanorum propoſitione reſpondimus &c.* Inſinuat ſe ea de propoſitione : *Chriſtus eſt unus è Trinitate*, toties à Hieroſolymitanis inculcatâ , prolixiùs ad Imperatorem ſcripſiſſe. Ex his patet Hormiſdam in eadem ſententiâ ſtetiſſe , nec unquam tot Juſtiniani literis indè dimoveri potuiſſe. Cùm enim inſtarent , ut theſis de uno ex Trinitate , quæ ter in laudatâ profeſſione fidei legebatur , ab Apoſtolicâ Sede approbaretur , Pontifex contentioſis illam Apoſtoli ad Corinthios ſententiam repoſuit. Non hæreticos , non ſchiſmaticos , ſed *contentioſos* dixit , quòd tot diſſidia ac lites pro vocum novitate inculcandâ , Catholice paſſim Orbe diſſeminaſſent. Incompertum eſt , quid inſuper actum fuerit eo biennio , quo poſteà Hormiſdas fuit ſuperſtes , cùm illius biennii nullas laudati Pontificis literas habeamus reliquas. Ita propoſitio de *uno ex Trinitate carne paſſo* , inter adiaphoras relicta , toto decennio ab obitu Hormiſdæ , in utranque partem inter Catholicos diſputata fuit , quouſque tandem Apoſtolica Sedes inter fidei dogmata recenſendam poſteà decrevit.

CAPUT IX.

Ferrandus Diaconus Carthaginenſis laudatur. Rogatus à Severo , ſuſpenſo calamo ſcribit in controverſiâ de uno ex Trinitate. Inſignia ejuſdem pro auctoritate Romanæ Sedis ſupra Oecumenica Concilia teſtimonia. Idem poſteà in Epiſtolâ ad Anatolium Monachorum Scytharum capitula ſolidis argumentis comprobat , & oppoſitas objectiones doctiſſimè refutat.

CUm diſputantium ardor neutiquam deferveſceret , Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus , quem in literis Vigilius Pontifex laudat , dubius in quam partem deſcenderet , eâ de quæſtione ſententiam Ferrandum Diaconum Carthaginenſem per literas rogavit , quod ipſum pariter præſtitit Severus , qui Conſtantinopoli Advocatum forenſem agebat. Ferrandus Africanos Epiſcopos in Sardiniam Thraſamundi Regis juſſu deportatos , ſecutus , in cœnobio ab exulante ibidem S. Fulgentio Epiſcopo Ruſpenſi constructo , Monachum induerat. Hilderico mitiſſimo Rege anno 523. Epiſcopos ab exilio revocante , unà cum Fulgentio in Africam reverſus , à Bonifacio Archiepiſcopo Carthaginenſis Eccleſiæ ob eximiam morum ac doctrinæ excellentiam Diaconus inauguratus , omnium ſermone ubique celebrabatur. Ille S. Auguſtini præ cæteris libros diurnâ nocturnâque manu verſabat , quod illi laudi datum à præceptore Fulgentio in libro de quinque Quæſtionibus eidemmet inſcripto ; etenim cap. 13. poſt recitatas quaſdam Auguſtini ſententias , ſufficere eas inquit , *præſertim ingenio atque ſtudio tuo , quo ejus dicta ſic acutiſſimè ac frequentiſſimè legis , ut in eis plurima poſſis ſimilia reperire.* Tantam autem ubique doctrinæ famam ſibi comparaverat , ut ejus ſententiam Viri inſignes in rebus difficilioribus exquirerent , uti idem ipſe in gravioribus controverſiis S. Fulgentium conſulebat , quo doctiorem eâ tempeſtate Africa habuit neminem. Cùm diſſidia de uno ex Trinitate ſummâ animorum contentione agitarentur , Ferrandus duplicis inde exortæ quæſtionis ſolutionem à Fulgentio petiit , quem uti magiſtrum ſemper excoluit. Nam plerique propoſitionem de Chriſto uno ex Trinitate averſabantur , tùm ne diviſionem ac ſeparationem perſonarum à divinâ naturâ in myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis inducere viderentur ; tùm etiam ne concedentes unum è Trinitate paſſum , ipſam quoque divinitatem paſſam dicere cogerentur, uti in ſuperioribus non ſemel adverti. Extat cum Ferrandi Epiſtolâ, liber eidem à S. Fulgentio remiſſus, cum titulo de quinque quæſtionibus, quarum prior eſt : *Utrùm Trinitas inſeparabilis propter unam eandemque naturam , etiam in perſonis ſit omninò inſeparabilis prædicanda.* Altera verò quæſtio erat : *Utrùm Deus Dei Filius ſicut dicitur natus , paſſus , mortuus , crucifixus , ita ejus divinitatem confirmare nos oporteat natam , paſſam, mortuam , crucifixam : quamvis ſive Deus ſive divinitas nominetur , ſola caro intelligatur mutabilis atque paſſibilis &c.* Utranque ſibi propoſitam difficultatem , Fulgentius duobus ac viginti capitibus diſcutit, ac duobus præſertim poſtremis totam perrumpit, appellatis luculentis ac ſplendidis S. Auguſtini teſtimoniis.

Cùm Severus apud Conſtantinopolim degens ,

Ferrandi doctrinæ ſemâ motus, in magnâ controverſiâ de uno ex Trinitate, ejuſdem ſententiam per literas perrogaſſet, Ferrandus doctiſſimam Epiſtolam remiſit, cujus eſt exordium: *Magnorum Virorum mihi negotium conaris adjungere, propter eos, qui Deum noſtrum Jeſum negant unum eſſe de ſanctâ & individuâ Trinitate, quid ſentiam delectatus audire.* Ex his cap. 4. oſtendi eam fuiſſe quæſtionem principalem, quæ id temporis eruditos contrarias in partes diſtrexit; cùm ille altera *de uno ex Trinitate carne paſſo*, occaſione illius prioris eruperit. Quòd verò erat modeſti vir ingenii, ac de ſemet humiliter ſentiens, ſcripſit ſe malle diſcere, quam alios docere. *Interroga igitur*, inquit, *Vir prudentiſſime, ſi quid veritatis cupis audire, principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem: cujus ſana doctrina conſtat judicio veritatis, & fulcitur munimine veritatis.* Quippè ſciebat Apoſtolicæ Sedis infallibilem in definiendis controverſiis de rebus ad fidem ſpectantibus auctoritatem. Hinc in alterâ Epiſtolâ ad Romanæ Eccleſiæ Diaconos, Pelagium, qui poſteà Summus Pontifex fuit, & Anatolium cap. 7. ſcribit: *Univerſalia Concilia, præcipuè illa quibus Eccleſiæ Romanæ conſenſus acceſſit, ſecundæ auctoritatis locum poſt canonicos libros tenent.* Et cap. 9. loquens de ſtatutis publicatis à Synodis univerſalibus: *Sufficere enim*, inquit, *judicatur ad plenam confirmationem, ſi perducta in notitiam totius Eccleſiæ, nullum offendiculum moveant, vel ſcandalum fratribus, ſed Apoſtolicæ fidei convenire firmentur, Apoſtolicæ Sedis roborata conſenſu.* Quibus manifeſtè tradit Concilia univerſalia ſecundum auctoritatis locum poſt canonicos libros ex accedente Apoſtolicæ Romanæ Sedis conſenſu obtinere, ut ſupreme in definiendo auctoritas atque infallibilitas ex Apoſtolicâ Sede derivet, atque in eâ ſolâ reſideat. Ibidem cap. 6. ſcribit, ſi quiſpiam à judicatis in Synodo Calchedonenſi, tunc ad majora judicia provocaret: *Appellationi forſitan ſeculum conſuetudinem locus pateret; ſed quò iret? aut ubi majores reperiret in Eccleſiâ judices? antè ſe habens in Legatis ſuis Apoſtolicam Sedem, quâ conſentiente, quicquid illa definivit Synodus, accepit robur invictum.* Nempè à Synodo Calchedonenſi nullus poterat appellare, quia Apoſtolica Sedes, ad quam ſolam ab Synodis poteſt provocari, per ſuos Legatos Synodalibus decretis conſenſerat, quo planè conſenſu Synodus invictam robur accepiſſe Ferrando dicitur, ut ſinè eodem magnam quidèm auctoritatem aliàs habuiſſet, at non invictam, à quâ non potuiſſet appelleri. Hæc cùm in eximiam Ferrandi laudem veniant, & ad Anonymi accuſationem mihi inferiùs refellendam plurimùm conducant, conſultò inſerende putavi. Jam verò Ferrandus in laudatâ Epiſtolâ ſuſpenſo calamo ſcribit, utranque ſententiam potiùs componens, quàm alterutram damnans. In cap. 9. ait: *Videndum potiùs reor, & conſiderandum diligentiùs, cur Dominus Jeſus Chriſtus unus de ſanctâ & individuâ Trinitate nimis cautè à quibuſdam negetur.* Et recitatis tribus difficultatibus, quæ contrà theſim illam vulgò proponebantur, ait: *Cæterùm ego nec volentibus, nec nolentibus dicere contradixi, quia nihil à me certum poſſe definiri, in hujus Epiſtolæ capite jam prædixi.* Denique notanda ſunt quæ propè finem ſcribit: *Undè*, inquit, *deſiſtendum à contentionibus reor; expectandum potiùs perſuadens, patienterque hanc dubitationem ferendam, donec univerſalis Eccleſiæ auctoritate, vel pronuntietur ſuſcipienda, vel prodatur abjicienda.* Annus, quo laudata Epiſtola ſcripta eſt, ignoratur. At cùm Epiſcopi Africani A. 523. ab exilio Carthaginem redierint, poſt obitum Hormiſdæ ea Epiſtola ſcripta apparet, Ferrando jam tum Diacono Carthaginenſis Eccleſiæ. Itaque conſtat Hormiſdam nihil eâ in controverſiâ definiviſſe, undè ea propoſitio de Chriſto uno ex Trinitate à Ferrando Hormiſdæ ſimiliter, ſub lite dimiſſa eſt, quam dijudicare *principaliter Apoſtolicæ Sedis Antiſtitem* decebat.

Enimverò cùm eadem quæſtio poſt Hormiſdæ mortem litigioſas inter doctos diſputationes Romæ ſubinde excitaret, Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus eâ de controverſiâ Ferrandum conſuluit, qui prolixam Epiſtolam reſcribens, univerſam quæſtionem ſummâ eruditione penitùs profligavit, præcipuè diſcutiens quod veluti abſurdum de uno ex Trinitate carne paſſo principali propoſitioni validiori impetu objiciebatur: quodve etiam graviorem Anatolio dubitationem afferebat, ac proinde de illâ ſolummodò conſultabat. Idem etiam alteram quæſtionem ſolvendam propoſuit, nempè num beata Virgo verè ac propriè Dei genitrix dici poſſet, quod fuerat alterum Monachorum Scytharum capitulum, ut cap. 3. oſtendi, de quo etiam diutiùs in Oriente inter Catholicos diſceptatum fuit, ut ex Facundo Hermianenſi prænotavi.

Ferrandus in priori parte Epiſtolæ duplicem in Chriſto naturam credendam eſſe demonſtrat. Deinde cap. 8. ſcribit: *Deus homo factus naturam ſibi adunavit humanam, ſed in unitatem perſonæ, quam non habet cum Patre communem; non in unitatem ſubſtantiæ, quam habet cum Patre communem. Ideò non Trinitas, ſed tantummodò Filius & natus & paſſus eſt. Alia eſt natura, ſecundùm quam paſſus eſt Filius, ſed quia unam fecit eſſe perſonam ſuæ divinitatis & carnis; propter unitatem perſonæ divinitas Filii dicitur paſſa quicquid pertulit caro.* Hæc ille didicerat ex Auguſtino, qui antequam hæreſes Neſtoriana & Eutychiana orirentur, lib. 3. contrà Maximinum Arianorum Epiſcopum cap. 8. ſcripſerat: *Ac per hoc propter iſtam unitatem perſonæ in utraque naturâ intelligendam, & Filius hominis dicitur deſcendiſſe de cœlis, quamvis ſit ex eâ, quæ fuerat in terrâ, Virgine aſſumptus: & Filius Dei dicitur crucifixus, mortuus, & ſepultus, quamvis hæc non in divinitate ipsâ, quâ eſt unigenitus Patri coæternus, ſed in natura humana ſit infirmitate perpeſſus.* Et paulò poſt: *Hanc unitatem perſonæ Chriſti Jeſu Domini noſtri ſic ex naturâ utraque conſtantem, divinâ ſcilicet & humanâ, ut qualibet earum vocabulum etiam alteri impertiat, & divina humanæ, & humana divinæ, beatus oſtendit Apoſtolus &c.* Ubi communicationem idiomatum Theologis poſteà familiarem, verbis ipſis ſummus Eccleſiæ Magiſter prædocuit. Cùm autem Ferrandus optimè intelligeret theſim de uno ex Trinitate paſſo, dependere à principali propoſitione de Chriſto uno ex Trinitate, hanc ipſam cap. 11. prævalidâ ratiocinatione confirmans, ait quamlibet rem aut Deum eſſe, aut creaturam: Deum eſſe in unius eſſentiæ Trinitate, nempè eſſe aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum: *Et quia*, inquit, *neque Pater ſolus, neque ſolus Filius, neque ſolus Spiritus ſanctus Trinitas eſt, ſed ſimul Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: & Pater unus eſt de Trinitate, & Filius unus eſt de Trinitate, & Spiritus ſanctus unus eſt de Trinitate. Quid ergo dicit, quicunque dicit:* Unus eſt Trinitate Filius, *niſi: Noli eum quærere inter creaturas*; ac ſtatim ex hac doctrinâ utramque, quæ in dubio verſabatur, propoſitionem neceſſariâ conſecutione deducit: *Filius ergo ſecundùm divinitatem, quia non eſt creatura, ſed Creator,*

UNUS

Digitized by Google

UNUS EST DE TRINITATE; *& quia ipſe ſecundùm humanitatem dignatus eſt pati, propter hoc* UNUS DE TRINITATE *dicitur* PASSUS; ut nihil aut claeius, aut ſolidius, aut diſtinctius, ad utramque propoſitionem coeroborandam, afferri poſſe videatur. Plura ejuſdem præclariſſimi Scriptoris teſtimonia in hac Diſſertatione laudavi, quæ haud vacat repetere; quædam tamen ſpeciatim obſervanda, notabo.

Quidam theſim de uno ex Trinitate paſſo, ullo ſinè addito adſtruebant, cùm alii, *carne paſſo*, dicendum contenderent. Legati Pontificis Hormiſdæ ſcribunt Monachos Scythas aſſerere, *unum de Trinitate crucifixum*, quod etiam teſtatur Triſolius initio Epiſtolæ ad Fauſtum Senatorem: qui tamen in fine earundem literarum ait: *Quid eſt dicere*, unum de Trinitate paſſum, *niſi oſtendere & alterum de Trinitate impaſſibilem, ſicut Arius? Aut quid eſt dicere*, unum de Trinitate paſſum carne, *niſi oſtendere & alterum impaſſibilem, ſicut Neſtorius?* Quarè ea propoſitio vel cum addito vocabulo *carnis*, vel eadem carne tacitè ſubintellectâ, nec verbo expreſsâ, defendebatur. Monachi ſcribunt in ſuis Capitulis ſemel & iterùm unum è Trinitate Chriſtum *paſſum carne.* Maxentius in profeſſione fidei ait: *Chriſtus dicitur unus de Trinitate, qui pro nobis paſſus eſt carne.* Et rursùs: *paſſus eſt carne pro nobis.* Ferrandus cap. 11. rectè monet utroque modo à Catholicis theſim illam citrà reprehenſionem poſſe affirmari, cùm paſſim dicant: *Deus eſt paſſus*, ſinè voce *carnis* expreſsâ, ſed tacitè tantùm intellectâ, ita ut Catholici, inquit, *quamvis adſerens* unum de Trinitate paſſum, *non adiiciam*, ſecundùm carnem, *ipſi tamen rectè dictum, quaſi hoc adiecerim, ſentiant.* Et cap. 14. ait: *Sed propter iſtos iſta dixi, qui nunc audientes*, unum de Trinitate paſſum, *dicunt:* adde ſecundùm carnem; *quaſi aliter intelligi debeat, etiamſi ego non addam.* Eg.egia ad hoc perſuadendum teſtimonia ex Apoſtolo appellat cap. 14. quorum unum ex Act. Apoſt. cap. 10. ubi dicitur Spieitus ſanctus conſtituiſſe *Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam adquiſivit ſanguine ſuo.* Tum in ſpeciem dubitabundus Apoſtolum interrogat, cur non diceres *quomodo habeat ſanguinem Deus, & adderes* ſecundùm carnem; *ne quis putet, quia etiam divinitas habere, aut effundere ſanguinem poteſt. Scio quid huic percontationi Vas electionis ſinè morâ reſpondeat. Noſti, ò Fili, prædicationem meam; quarè dubiam putaſti ſententiam meam?* Cùm autem Catholici duas in Chriſto naturas *inconfuſè, incommutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter*, uti loquitur Maxentius in libello fidei, confiterentur, tantùm abeſt, ut dicentes, unum è Trinitate paſſum, nec addentes *ſecundùm carnem*, ipſam Verbi divini eſſentiam in ſeipsâ paſsam aſſeruerint, *ut ſuſpicari hoc*, inquit cap. 16. *malitiæ potiùs quàm cautelæ ſit.* Etenim Catholici non aſſerebant, unum è Trinitate paſſum, ut humanitatem ab eodem ſecluderent, ſed unum è Trinitate incarnatum, eundem poſteà paſſum prædicabant. Sanctus Proclus apud Maxentium citato loco, ait: *Si autem quod incarnatum eſt, crucifixum eſt, Pater autem & Spiritus non eſt crucifixus, unus ergo de Trinitate eſt crucifixus.* In Symbolo Niceno dicitur unigenitus Filius Dei de cœlis deſcendiſſe: *Et incarnatus eſt, & homo factus, paſſus eſt.* At Auguſtinus laudato ſuperiùs capite lib. 1. contrà Maximinum ait: *Unigenitum verò Filium Dei crucifixum & ſepultum, omnes etiam in Symbolo confitemur;* ubi vocem *incarnatum* omittit, quam tamen omnes licèt tacitam, ſubintelligimus. Theodorus Mopſueſtenus ac Neſtorius duas in Chriſto perſonas adſtruentes, dicebant eum qui paſſus eſt, fuiſſe alterum à Filio Dei, qui non eſt paſſus. Hæc Theodori verba ex ejuſdem libro ad Catechumenos recitantur in Collat. 5. Synodi V. & in Conſtituto Vigilii Papæ, utrobique numero XXXVIII. *Quòd Deitas ſeparata quidèm erat ab ea, qui paſſus eſt;* nempè inquit Pontifex, *quia divinâ naturâ ſeparatâ, ipſe per ſe, vel ut purus homo pro omnium utilitate guſtaverit mortem;* quam hæreticam ſententiam ibidem condemnat. Ferrandus cap. 10. tradit Theodori errorem illo enuntiato de uno ex Trinitate paſſo confutari: *Nihil quippè aliud ſententia hæc inſinuare cognoſcitur, niſi ipſum paſſum eſſe in carne, qui de Patre Deo natus eſt, id eſt, Chriſtum, ne putetur homo purus tolerasſe paſſionis injurias. Hoc ergo dicit, qui unum de Trinitate paſſum dicit: Non eſt quarta perſona, qui paſſus eſt, ſed ad numerum pertinet Trinitatis &c.*

Idem toto cap. 17. probat B. Virginem eſſe verè ac propriè Dei genitricem, quod erat alterum capitulum priori ac principali de Chriſto uno ex Trinitate conſentaneum ac conſequens, quod utrunque adverſùs Neſtorianos Catholici propugnabant. Nulla chronologica nota in laudatâ hactenùs epiſtolâ apparet, ex quâ annus, quo ſcripta fuerit, innoteſcat. Arbitror tamen exaratam fuiſſe priuſquàm anno 535. Joannes II. Apoſtolico decreto diuturnioribus illis controverſiis finem impoſuit. Nam neque de propoſitionibus à ſummo Pontifice in fidei dogmata adſcriptis, Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus velutì de rebus dubiis cum Ferrando conſultaſſet; neque hic reſcribens Pontificiam ſanctionem, quæ nullum deinceps dubitationi locum dabat, ſilentio prætermiſiſſet.

C A P U T X.

Imperator Juſtinianus theſim de uno ex Trinitate per Legatos Joanni II. Pontifici approbandam proponit. Acœmetarum Legati contradicunt. Imperator theſim laudatam edicto aſſerendam inculcat. Joannes Pontifex edictum ac famoſam propoſitionem Synodali ſententiâ confirmat. Acœmetarum Legatos communione Eccleſiaſticâ privat. Juſtinianus theſim de uno ex Trinitate Codici juris inſerit. De Epiſtolis Joannis Papæ, & Epiphanii Patriarchæ ibidem inſertis, quædam ſubnotantur. Sanctus Agapetus Papa eandem propoſitionem confirmat. Varii errores in editis Agapeti, ac Juſtiniani ſubſignationibus Epiſtolarum ex inſigni Codice Vaticano emendati. Zelus Juſtiniani in laudatâ propoſitione defendendâ. Eam approbat Vigilius Papa in Conſtituto. Synodus V. Monachorum Scytharum capitula in fidei canones refert.

JUſtinianus anno 527. Kalendis Aprilis à Juſtino Auguſto collega imperii creatus, quartò poſteà menſe, ipſis Kalendis Auguſti ſeniori Imperatore demortuo, Romanum imperium ſolus deinceps adminiſtravit. Jam controverſia de uno ex Trinitate deferbuerat, ac quæ olim Monachorum Scytharum ſententia fuerat, omnium ferè animos occupaverat, paucis quibuſdam eiſdem refragantibus, quos inter præcipui habebantur Monachi Acœmetæ. Juſtinianus, qui tot ad Hormiſdam pro famosâ propoſitione toties mihi memoratâ, Epiſtolas nequicquam ſcripſerat, omni conatu ejuſdem definitionem apud Apoſtolicam Sedem promoturus, inſignem ob eam rem legationem ad Joannem II. cognomento

Mereurium deſtinavit. Legati fuerunt Hypatius Epheſinæ Eccleſiæ Metropolita, & Demetrius Epiſcopus Cæſareæ, quos cum literis Romam ad Pontificem miſit. Initium Epiſtolæ eſt: *Reddentes honorem &c.* Totus in eâ Epiſtolâ laudatæ theſi inculcandæ incumbit: *Recenſantes*, inquit, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unigenitum filium Dei & Dominum noſtrum fateri unum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, videntur Neſtorii malam ſequi doctrinam, ſecundùm gratiam dicentis unum Filium Dei, & alium dicentis Dei Verbum, & alium Chriſtum.* Addit, *omnes Sacerdotes ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, & reverendiſſimos Archimandritas &c.* uno conſenſu confiteri Verbum ex B. Virgine *natum, & hominem factum, & crucifixum, unum eſſe ſanctæ, & conſubſtantialis Trinitatis &c.* cujus duas in unâ hypoſtaſi naturas profitetur; *Ideò*, inquit, *& ſanctam & glorioſam virginem Mariam propriè & verè Dei matrem eſſe dicimus.* Denique ait ſe quatuor Oecumenicas Synodos venerari; rogatque, ut propoſita capitula defendentes in communione habeat, ab eadem verò iiſdem adverſantes, removeat. In vetuſto Codice Vaticano num. 4961. pag. 45. Epiſtola dicitur: *Data VIII Iduum Juniarum, Conſtantinopoli, Juſtiniano perpetuo Auguſto III. Conſule*, id eſt, anno 533. Extat ejuſdem ferè exempli Epiſtola Juſtiniani ad Epiphanium Patriarcham, in quâ utraque propoſitio iiſdem periodis circumtexta legitur; ac laudatis tribus Synodis generalibus, hæc ſcribuntur: *Calchedanenſe verò ſanctum Concilium magni Procli ad Armenios ſcriptam Epiſtolam, quòd oporteat confiteri D. N. Jeſum Chriſtum filium Dei & Deum noſtrum unum ſanctæ Trinitatis, per propriam relationem ſuſcepit, & confirmavit.* Signatur *data VII. Kal. Aprilis Juſtiniano Auguſto III Conſule.* Cùm verò in hac ad Epiphanium Epiſtolâ appellatur altera priùs miſſa ad Joannem Pontificem, *ad quem*, inquit, *ſimilia perſcripſimus*, utri error in notâ chronologicâ ſubſit, aliis diſquirendum dimitto.

Acœmetæ Monachi decretæ Legationis certiores facti, duos è ſyncellitis Cyrum ac Eulogium Romam ſtatim legaverunt, ut apud Apoſtolicam Sedem Legatorum Juſtiniani operam intervertèrent, neve permitterent theſim illam approbari, quam Hormiſdas tot dudum literis rogatus, Apoſtolicâ auctoritate conſecrare conſtantiſſimè recuſaverat. Auctor Chronici Alexandrini narrat Juſtinianum die 20. Novembris Indictione XII. quæ inierat Kal. Septembris anno 533. edictum de fide publicaſſe, quod *Romam*, inquit, *miſit, & Hieroſolymam, & Antiochiam, &c.* quod ibidem etiam recitat. In eo autem Neſtorii & Eutychetis hæreſes condemnantur, atque ex Henotico Zenonis hæc adſcripta leguntur: *Trinitas enim manſit Trinitas, etiam incarnato uno ex Trinitate Deo Verbo.* Item damnantur, *qui negant propriè & ſecundùm veritatem ſanctam & glorioſam Mariam eſſe Deiparam, hoc eſt, Dei matrem* · & qui non confitentur *Jeſum Chriſtum Filium Dei & Deum noſtrum incarnatum, & hominem factum, & crucifixum, unum eſſe ex conſubſtantiali Trinitate.* Hoc edictum initio lib. 1. Cod. tit. de ſummâ Trinit. edit. Contii, ſignatur: *Datum Idibus Martii C-P. Juſtiniano perpetuo Aug. III Conſ.* Anno 533. Num hæc ſubſignatio ficta? an in octavum menſem dilata edicti publicatio? De hoc edicto idem poſteà Juſtinianus ad Agapetum Papam ſcripſit: *Ante tempus in hac regia urbe noſtrâ quorundam de cauſâ fidei exititit morboſa contentio: quam nos congruè reſpuentes, interpoſito edicto repreſſimus.* Cùm Legati Juſtiniani Romam advenîſſent, literas Imperatoris Joanni Papæ tradiderunt; quem etiam poſteà publicati à Principe edicti certiorem facientes, ejuſdem confirmationem impetrarunt, ut ex Epiſtolâ Pontificis ad eundem Juſtinianum perſpicuè intelligimus. Etenim idem ſcribit, ſe honorificè excepiſſe Demetrium ac Hypatium legatos imperiales apices deferentes: *Quorum etiam*, inquit, *relatione comperimus, quòd fidelibus populis propoſuiſtis edictum amore fidei pro ſubmovendâ hæreticorum contentione, ſecundùm Apoſtolicam doctrinam fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum intervenienté conſenſu: quod quia Apoſtolicæ doctrinæ convenit, noſtrâ auctoritate confirmamus.* Deinde laudans Juſtinianum, qui Neſtorii ac Eutychetis, & omnium hæreticorum impietatem damnarat, ac veram fidem à Romanis Præſulibus hactenus prædicatam, ac cuſtoditam amplexaretur, Cyrum ac collegas Acœmetas Monachos contrarias opiniones aſſerentes *minimè in noſtrâ*, inquit, *communione recepimus, & ab omni Eccleſiâ Catholicâ eſſe juſſimus alienos: niſi errore damnato, doctrinam noſtram quantocyùs ſequi habitâ regulari profeſſione, ſignaverint.* Data dicitur Epiſtola VIII. Kal. Aprilis, Juſtiniano IV. & Paulino Coſs. nempe anno 534. Alteram quoque Epiſtolam Pontifex miſit ad Senatores, quorum aliqui, uti Opilio, Caſſiodorus vulgò Senator, & Clementinus conſulatu ordinario functi fuerant. Initio vero literarum ait: *Poſtquam Epiſtolæ vel dogmatis tenorem cuncta Eccleſia, hoc eſt, Sacerdotum Senatus, & populi probavit aſſenſus.* Ex quo rectè ſcribunt, bina ibidem dogmata confirmata, in coactâ priùs à Joanne Synodo comprobata fuiſſe; quod teſtatur etiam Juſtinianus in Epiſtolâ ad Agapetum, ut proximè oſtendo. Deinde ſignificat Senatoribus, tres haſce ſibi quæſtiones definiendas, fuiſſe à Juſtiniano propoſitas: *Utrùm unus ex Trinitate Chriſtus & Deus noſter dici poſſit, hoc eſt, una de tribus Perſonis ſanctæ Trinitatis ſanctis perſona. An Deus Chriſtus carne pertulerit, impaſſibili Deitate. An propriè & veraciter mater Domini Dei noſtri Maria ſemper virgo debeat appellari.* Tum Pontifex brevi ac dilucidâ aſſertione tres illas quæſtiones tot annis inter Catholicos, ac diverſo cum hæreticis ſenſu, controverſas, abs ſe in Synodo deciſas ſignificat, definiendo: *Unum ex ſanctâ Trinitate Chriſtum eſſe*: Præterea: *Deum carne paſſum*; Denique B. Virginem *propriè & veraciter Dei genitricem ab hominibus Catholicis rectè confiteri.* Singulas autem definitiones appellatis ex libris S. Auguſtini teſtimoniis confirmat, hocce elogio præmiſſo: *Sanctus Auguſtinus, cujus doctrinam ſecundùm prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia.* Quòd verò illa prior quæſtio erat aliarum fons & origo, ejuſdem ſolius iterùm definitionem inculcans, ait; *Atque igitur Chriſtum Dominum noſtrum UNUM eſſe, ut ſæpè diximus, SANCTÆ TRINITATIS ex duabus naturis cognoſcendum &c.* Monachi Scythæ palàm accuſabant tanquam Neſtorianos, qui laudatæ propoſitioni refragabantur, quamvis eam quoque hæreſim falsò iis impingerent, qui Chriſtum unam ſanctæ Trinitatis perſonam fatebantur, nomine *perſonæ* non ſecundùm dignitatem & auctoritatem, ſed ſecundùm unicam duarum naturarum ſubſiſtentiam & hypoſtaſim intellecto. At Joannes Pontifex Scythis quod Acœmetas attinet, cauſam adjudicans, ait: *Acœmetas verò, qui ſe Monachos dicunt, qui Neſtoriani evidenter apparuerunt, Romana etiam condemnat Eccleſia.* Horum

etiam

Digitized by Google

etiam teſtis & quidèm oculatus, veoit Liberatus Diaconus Carthagioenſis, qui Reparati Archiepiſcopi apud Apoſtolicam ſedem Legatum egit. Is enim cap. 20. Breviarii ſcribit Juſtinianum Hypatium ac Demetrium Epiſeopos Romam Legatos ad Joannem Pontificem miſiſſe, *ut conſulerent Sedem Apoſtolicam contrà Legatos Acumicorum Cyrum & Eulogium negantes eſſe confitendum beatam Mariam verè & propriè Dei genitricem, & unum de Trinitate incarnatum, & carne paſſum. Sed Papa Joannes, nobis ibi poſitis, hoc confitendum Epiſtolâ ſuâ firmavit, & Imperatori direxit.* Hæc ille.

Juſtinianus ubi ex acceptis Joannis Pontificis literis intellexit, utramque propoſitionem io fidei dogmata Apoſtolicæ Sedis judicio tranſcriptam fuiſſe, hoc ipſo anoo 534. die 29. Maii Codicem novis legibus ac conſtitutionibus auctum, iterùm publicans, eidam ſub titulo *de ſummâ Trinitate & fide Catholicâ*, ſcriptam abs ſe ad Epiphanium Patriarcham Epiſtolam publicæ vim legis perpetuò habituram, inſeruit. Hanc Græcè contextam publicavit Contius in editione Codicis memorati; Latinè redditam, recitat Card. Baronius in magnis Annalibus ad annum 533. Nec hac de re ſinit nos dubitare Facundus Epiſcopus Hermianenſis, qui in Opere da tribus Capitulis ipſimet Imperatori Juſtiniano nuncupato, lib. 2. cap. 2. ſcribit: *Titulus autem, ſub quo continetur, iſte eſt:* De ſummâ Trioitate &c. Imp. Juſtinianus, Auguſtus, Epiphanio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo regiæ urbis hujus &c. Scire volentes tuam Sanctitatem &c. Eadem verò ſancta Calchedonenſis Synodus, & Magni Procli ad Armenios ſcriptam Epiſtolam de eo, quòd oportet dicere, Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, & Deum noſtrum, unum ſanctæ Trinitatis per ſuam relationem ſuſcepit, & confirmavit &c. *Hæc in confirmationem prædictæ allocutionis ex lege veſtrâ protuliſſe ſufficiat.* Quidam negant memoratas Juſtiniani literas ad Joannem II. cum hujus reſcripto eſſe legitimas, cùm in antiquis etiam exemplaribus MSS. Codicis Juſtinianei non reperiantur. Horum opinionem doctè refellit Baronius ad Annum 534. Attamen in antiquis Codicibus Palatinis in Bibliothecam Vaticanam tranſlatis, num. 757.758. 759. 760.761. 762. leguntur laudatæ literæ Juſtiniani, & Joannis Papæ Imperatoris Epiſtolam approbantis. Cùm ejuſdem ferè exempli ſit utraque Epiſtola ad Joannem Pontificem, & Epiphanium Patriarcham, Juſtinianus priorem quoque Codici eo forſan conſilio inſerendam decrevit, quòd ſententia de Chriſto uno ex Trinitate, & altera de B. Virgine verè ac propriè Dei genitrice, additâ tam expreſsâ Apoſtolicæ Sedis approbatione, recipiebant robur invictum. At Græci iniquiori ſemper animo contrà Latinos, omiſsâ Epiſtolâ ad Romanum Pontificem, alteram ad Epiphanium ſolummodo in Codice retinuerunt. Quò verò ſamoſa propoſitio omnium aures ſuaviùs æquè ac religioſiùs perſonaret, Juſtinianus eandem hymno abs ſe compoſito, inſeruit: quem *& Eccleſiis decantandum* tradidit, uti ſcribit in Chronico Theophanes. Eruditiſſimus Jacobus Goar in ootis obſervat, etiamoum ineunte Miſſæ ſacrificio, à Græcis illum rhythmum hiſce periodis expreſſum, cani: *Unigenitus Filius & Verbum Dei &c. homo factus, & Deus noſter cruci affixus, morte mortem conculcans, unus ſancta Trinitatis* (Græcè εἷς τῆς ἁγίας Τριάδ☉) *qui cum Patre & Spiritu ſancto glorificatur nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.*

Anno proximo 535. menſe Aprili defuncto Joanne Pontifice, Agapetus eidem ſuffectus fuit, quocum egit Theodahatus Rex Gothorum, ut ad Imperatorem, pacis iniquis etiam conditionibus impetrandæ gratiâ, tranſmitteret. Nam Juſtinianus anno ſuperiori, Vandalis devictis, eorumque rege Gelimere capto, Africam feliciter recuperaverat; eodemque victoriæ impetu Siciliâ in poteſtatem redactâ, exercitum in Italiam miſſurus dicebatur. Hoc anno die 5. Juoii Epiphanius Patriarcha C-P. deceſſit, & Anthimus Epiſcopus Trapezuntis Eutychianæ hæreſeos clancularius ſectator, Theodoræ Auguſtæ operâ, Conſtantinopolitanam Sedem occupavit. Intereà Agapetus à Romano Senatu exoratus, pro avertendo ab Italiâ bello, legatione ſuſceptâ, Conſtantinopolim die 22. Februarii anno 536. pervenit. Ille verò non modò Anthimum ad colloquium, ſed ne in conſpectum quidèm venire permiſit; imò invaſâ Sede dejectum, Catholicâ communione privavit, Mennâ eidem ſubſtituto. Extat in Bibliothecâ Vaticanâ numero 4961. codex inſignis, quem Marcellus II. Pontifex Maximus, cùm Eugubinam anteà Eccleſiam adminiſtraret, à religioſis viris Monaſterii Sancti Crucis fontis Avellanæ acceptum, Vaticanæ Bibliothecæ donavit. In eo Epiſtolæ 243. Pontificum Romanorum à Siricio uſque ad Vigilium, ac quorundam etiam Imperatorum, Præfectorum Urbis, ac Præſidum, unà cum geſtis pleriſque Eccleſiaſticis leguntur, quæ omnia præclariſſima prioris ætatis monumenta in ſuos Annales à Cardinali Baronio relata, pretium iiſdem ſi quæ alia, maximum addidere. Ex hoc Codice quædam, quæ ad noſtrum argumentum faciunt, recitabo, ut errores, qui tùm in Annalibus, tùm etiam apud editores Conciliorum extant, emendem. In eo ergo Codice pag. 45. à tergo col. 1. legitur: *Exemplar libelli Mennæ Presbyteri ac Xenodochi, qui factus eſt Epiſcopus Conſtantinopolitanus ſub die III. Idus Martias, iterùm poſt conſulatum Paulini junioris V.C.* nempè anno 536. quem ob nullum creatum in Occidente Conſulem, à Paulino anni 534. Conſule in Faſtis Latini deſignarunt, ut patet ex auctario Conſulari Canonis Paſchalis Victorii Aquitani. Porrò dies 13. Martii anno 536. fuit Feria quinta, ex quo colligimus Græcos Epiſcopos ſolitos fuiſſe conſecrari aliis etiam extrà Dominicam diebus; quod ipſum in Epiphanii etiam ordinatione cap. 8. obſervavimus. Mennas ab ipſomet Sancto Agapeto Papâ ordinatus fuit.

In magnis Annalibus & apud editores Conciliorum, Juſtiniani, & Agapeti Epiſtolæ leguntur cum appoſitâ notâ chronologicâ erroneâ, quam uti & alia quædam ex laudato Codice Vaticano correcta produco. Juſtinianus Epiſtolam miſit ad Agapetum, cujus initium eſt: *Antè tempus in hac regiâ Urbe &c.* Narrat ſe edictum videlicet contrà Acœmetarum ac ſectatorum errorem, itemque Neſtorianos ac Eutychianos publicaſſe, ejuſque tenorem Epiſtolæ abs ſe per Hypatium ac Demetrium ad Joannem Papam miſſæ, inſeruiſſe: *Quam*, inquit, *pro integritate fidei memoratus prædeceſſor veſter libenti gratulatione ſuſcipiens, ſuo ac totius Eccleſiæ Romanæ firmavit aſſenſu.* Quarè in Synodo Joannes Papa tria memorata Capitula de Chriſto uno ex Trinitate: de Deo Verbo in carne paſſo, impaſſibili Deitate: & de beatâ Virgine verè & propriè Dei genitrice, approbavit. Rogat Agapetum ut Epiſtolæ inſertas ſuas ad Joannem literas Apoſtolicâ iterùm auctoritate confirmet, iiſque recitatis, concludit: *Quamobrem*

mobrem petimus ſanctitatem veſtram, ut memoratam Epiſtolam veſtrâ auctoritate firmetis, & Cyrum, vel ſequaces ejus, à communione habeatis alienos, donec ſtatutis Sanctitatis veſtræ obtemperent &c. Data pridie Iduum Martiarum Conſtantinopoli, poſt conſulatum Beliſarii V. C. nempè anno 536. Hæc planè nota Conſularis in laudato Codice Vaticano legitur. In magnis Annalibus ad annum 535., & apud Binium tom. 2. Conc. pag. 417. ac Labbeum Tom. IV. Conc. p. 1790. dicitur: *Data pridie Iduum Martiarum C-P. Flavio Beliſario V. C. Conſule*; id eſt anno 535. quo menſe Agapetus nondum erat Pontifex; nam ejus ordinatio in Januarium exeuntem retrahenda foret, ut Imperator ex Thraciâ ad eundem ſcribere potuiſſet, cùm tamen Agapetus primæ ad ſe à Juſtiniano miſſæ epiſtolæ reſponderit Idibus Octobris A. 535. ut patet ex epiſtolâ 4. ejuſdem, ſub exordio: *Licet de Sacerdotii mei primitiis &c.* Hinc perperam in titulo dicitur *epiſtola miſſa ab Imp. Juſtiniano more majorum ad Pontificem Romanum recèns electum cum profeſſione fidei*; ſiquidèm jam antè annum Agapetus Romæ ſederat Pontifex, aliaſque ad eundem literas Imperator miſerat,

Idem Juſtinianus tertiò à memoratâ Epiſtolâ die, profeſſionem fidei abs ſe ſignatam, ad Agapetum deſtinavit. In laudato Codice pag. 45. col. 1. grandioribus literis legitur: *Exemplar piiſſimi D. N. Juſtiniani Imperatoris, quem dedit Agapito Conſtantinopoli de Fide*; & incipit: *Prima ſalus rectæ fidei &c.* Labbeus loco cit. pag. 1790. undecim prioribus libelli verſibus recitatis, addit: *&c. ut ſupra poſt Epiſtolam Bonifacii II. pag. 1686.* quo tamen loco ait, à callido veteratore eum libellum confictum. In Annalibus Cardinalis Baronii ad annum 535. dicitur ea profeſſio fidei eſſe illa ipſa, quam Hormiſdas per Legatos Conſtantinopolim miſſos, tradidit iis, qui communionem cum Apoſtolicâ Sede expetebant. Errorem corrigo ex laudato Codice, in quo libellus ibidem recitatus, idem omninò eſt cum relato à Binio pag. 670. & Labbeo pag. 1801. Profeſſio fidei ab Hormisdâ imperata, legitur annexa Epiſt. 51. Hormiſdæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & anteà epiſt. 9. ad Joannem Nicopolitanum. Hæc autem prioribus quidèm verſibus ſimilis eſt libello à Juſtiniano oblato, ſed poſteà hoc ipſo eſt brevior, ac tota in anathematizandis hæreticis eorumque fautoribus, conſiſtit; cùm tamen in libello Juſtiniani Catholica doctrina contrà Neſtorium & Eutychem plenè exponatur. Hic libellus Juſtiniani in Cod. Vaticano ſignatur: *Dat. XVII. Kal. Aprilium P. C.* (id eſt; *poſt conſulatum*) *Beliſarii V. C.* In prioribus editionibus legebatur: *Flavio Beliſario V. C. Conſule*, quem errorem Binius ac Labbeus expunxerunt, apud quos pro *XVIII. Kal.* reponendum eſt *XVII. Kal. Aprilis*, anno vulgaris Epochæ 536.

Agapetus Juſtiniani Epiſtolam cum inſertis literis ad Joannem II. Pontificem, reſcripto ad eundem Principem approbavit. Initium Epiſtolæ Agapeti eſt: *Gratulamur, venerabilis Imperator &c.* Significat Juſtiniano expoſitionem fidei ab illo per Legatos ad deceſſorem Joannem miſſam, & ab eodem Præſule roboratam, ſe quoque & laudare, & amplecti, addens: *Non quia Laicis auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum noſtrorum regulis conveniens confirmamus, atque roboramus.* Et poſteà quoslibet eidem profeſſioni fidei *præſenti definitione* iterùm confirmatæ, repugnantes, *ſanctæ communionis extraneos* declarat. Deinde ait; *Unde & Cyrum ejuſque ſequaces jam antè pro hac inſaniâ ab Eccleſiæ Catholicæ communione ſuſpenſos, niſi reſipiſcant, nullatenus patimur eos ſacræ communioni reſtitui.* Inſaniam vocat Accœmetarum obſtinatam pervicaciam, quâ contrà definitionem à Joanne II. emanatam, negabant Chriſtum unum eſſe ex Trinitate. Tum inſerit Epiſtolam Imperatoris ad Joannem II. & denique concludit: *Et huic Fidei quiſquis contradicere præſumpſerit, à Catholicâ communione ſe noverit alienum. Data XV. Kal. Aprilis, Conſtantinopoli, poſt Conſulatum Beliſarii V.C.* Hoc charactere Conſulari in laudato Codice deſignatur annus 536. Apud editores Conciliorum gravi hallucinatione ſcriptum eſt: *Datum XV. Kal. Aprilis, Conſtantinopoli, Flavio Beliſario V.C. Conſule*: non obſervantes Agapetum die 18. Martii anno 535. quo Beliſarius Conſulatum geſſit, neutiquam fuiſſe Conſtantinopoli, quâ in Urbe disertè ſignatur data Epiſtola Agapeti. Hic verò ſanctiſſimus Pontifex paulò poſt dum reditum in Italiam pararet, vitam cum pontificatu in eadem regiâ Urbe reliquit. Menſe ſequenti Mennas novus Patriarcha præſentibus Epiſcopis Italiæ, qui fuerant in comitatu Sancti Agapeti, Synodum celebravit, in quâ Anthimus, Severus ex Antiochenâ Eccleſiâ profugus, aliique Acephali damnati ſunt, quos etiam Juſtinianus menſe Auguſto publico edicto proſcripſit, in cujus fine pacem reipublicæ precatur: *quam*, inquit, *magnus Deus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus UNUS TRINITATIS, unigenitus Dei Filius prædicat, ac donet.* Ita illam propoſitionem tot anteà annis inter Catholicos vehementiſſimâ animorum contentione ac multiplici opinionum diſſenſione diſputatam, ſemel tandem & iterùm ab Apoſtolicâ Sede intrà biennium in fidei dogmata ſemet auctore tranſcriptam, ſuis contrà hæreticos edictis inſeruit.

Hinc factum eſt ut non tantùm Catholici, verùm etiam hæretici, Juſtiniani ſive gratiam ſibi conciliaturi, ſermonem cum eodem *de uno ex Trinitate carne paſſo*, inſtituerent; ſive adverſarios apud eundem in diſcrimen vocaturi, eoſdem laudatam theſim negare criminarentur. Facundus Epiſcopus Hermianenſis in Africâ libros pro tribus Capitulis ipſimet Juſtiniano nuncupatos, odioſum Principi, ac ſibi invidioſum opus, ſcribere aggreſſus, nil aptius non dicam ad Imperatoris gratiam captandam, ſed ad iram mitigandam, proœmii loco ſe præfari poſſe putavit, quàm initio ducto ab illâ propoſitione, pro cujus confirmatione ab Apoſtolicâ Sede impetrandâ idem Imparator tot ad Hormiſdam literas ſcripſerat, dein inſignem ad Joannem II. legationem miſerat, ac denique coram præſente Sancto Agapeto ipſemet egerat. Etenim Facundus cùm initio ſtatim libri primi prænotaſſet Neſtorianos atque Eutychianos, contrariis quidèm invicem erroribus, ſed pari tamen impietate, myſterium Incarnationis Dominicæ oppugnare, decimo planè verſu ait: *Quid ſalubrius, vel quid evidentius adverſùs utramque hæreſim dici potuit, quàm quod ipſe confeſſus es, unum de Trinitate pro nobis crucifixum?* Quam poſteà Catholicam ſententiam validis argumentis, ac luculentis ſacrarum literarum teſtimoniis confirmat. Cùm idem Juſtinianus Conſtantinopoli Collationem Catholicos inter & Severianos Epiſcopos indixiſſet, primas illorum partes egit Hypatius Epheſiorum Metropolita, qui, uti prænarravi, à Juſtiniano ad Joannem II. Pontificem Legatus, memoratæ theſis de Chriſto uno ex Trinitate approbationem ab

Apoſto-

Apoſtolicâ Sede impetraverat. Cùm verò alterâ die Collationis Epiſcopi Acephali acriùs à Catholicis premerentur, ad inſidias verſi, calumniam apud Principem Catholicis per emiſſarium ſecretò intenderunt, *tanquam non confitentibus Deum paſſum carne, vel unum eum eſſe de ſanctâ Trinitate.* Accuſata apud Principes innocentia, in lubrico dubioque loco verſatur, ſi per calumniam quiſpiam ejus fortaſsè reus criminis denuntietur, quod odit Princeps quàm maximè. Hinc Juſtinianus eâ accuſatione permotus, Epiphanium Patriarcham ac Hypatium ad colloquium admiſſos, percunctatus eſt, anne faterentur, *Deum eſſe, qui carne paſſus eſt, atque unum eum eſſe ex Trinitate?* Tùm illi utrumque ſe credere profeſſi, illatam ſibi ab hæreticis calumniam contuderunt. Hæc Collatio recitatur ab editoribus Conciliorum ſub Pontificatu Joannis II. quam quidèm conſtat ſuperſtite Epiphanio Patriarcha peractam fuiſſe. Hic autem obiit die 5. Junii anno 535.

Verùm nec repetita famoſæ theſis per Apoſtolicam Sedem comprobatio, nec talis tantuſve Juſtiniani Imperatoris in eadem publicis edictis inculcandâ conatus, Monachos Acœmetas ad eandem admittendam adduxerunt. Liberatus Diaconus, qui apud demortuum Agapetum Africanæ Eccleſiæ Legatum egit, in Breviario, quod poſt mortem Vigilii Papæ, nempè poſt annum 553. deſcripſit, cap. 20. cùm narraſſet propoſitiones de uno ex Trinitate carne paſſo, ac B. Virgine verè & propriè Dei genitrice, à Joanne Papa approbatas fuiſſe, ait: *A cujus communione diſcedentes Romæ quidam Monachi, Acœmicorum Legates ſecuti ſunt, & uſque nunc hanc de Chriſto confeſſionem non recipiunt.* Ita ingens controverſia de uno ex Trinitate, quæ ex Monaſteriis Scythiæ primùm erupit, poſt diuturniores contentiones, Pontificiis conſtitutionibus, ac Imperatoriis edictis profligata, in Acœmetarum cellulas tandem redacta, niſi apud ſchiſmaticos aut hæreticos poſteà locum invenit. Etenim Neſtoriani duas in Chriſto perſonas adſtruentes, Chriſtum unum de Trinitate fateri recuſabant; ac proinde Acœmetas & Neſtorianos eſſe, & haberi juſſit Joannes Pontifex in epiſt. 3. ad Senatores. Nonnulli etiam Catholici quamvis definitæ theſis ſenſum defenderent, iis tamen verbis vano planè ſcrupulo, uti recuſabant. Facundus Hermianenſis lib. 1. cap. 3. ait: *Sanè tacendum non arbitror, quòd ſint etiam Catholici, qui ſicut credimus &c. ſuperfluè contrà de verbo contendunt: quia videtur eis, quod dici non debeat* unum de Trinitate pro nobis crucifixum, *ſed potiùs unam de Trinitate perſonam.* Victor Tunnonenſis Facundi amicus, ac pœnarum ſocius, in Chronico ait: *Poſt conſulatum Baſſilii V.C. anno X. Libri duodecim Facundi Hermianenſis Eccleſiæ Epiſcopi refulſere.* Eſt apud Victorem annus vulgaris Epochæ 550. quo nonnulli Catholici verbo tenus memoratam theſim averſabantur.

Poſt Agapetum, Silverius ſummus Pontifex Theodabati Gothorum regis juſſione ac minis initio creatus, Cleri poſteà conſenſu approbatus, anno altero pontificatûs Theodoræ Auguſtæ irâ in exilium miſſus, Vigilium excepit. Cùm poſt paucos annos Juſtinianus Acephalorum inſidiis circumventus, edictum contra tria Capitula promulgaſſet, maxima ſi quæ unquam aliàs diſſidia toto Chriſtiano Orbe eruperunt, cùm Epiſcopi Occidentalis Eccleſiæ publicatam contrà tria Capitula ſententiam ſubſcribere recuſarent. Hinc Imperator cum Vigilio Pontifice egit, ut Oecumenica Synodus in regiâ Urbe coacta, obortam inter Catholicos controverſiam dirimeret. Vigilius diu reluctatus, Imperatoris tandem ſententiæ obſequens, Conſtantinopolim tardiori navigatione conſultò uſus, tranſmiſit. At Synodus niſi anno poſteà à Vigilii adventu ſexto celebrata eſt, nempè anno Chriſtianæ Epochæ 553. quo die 4. Maii, Dominicâ, prima Collatio habita fuit. Interim Vigilius, qui Synodo intereſſe recuſabat, die 14. ejuſdem menſis celebre Conſtitutum publicans, ſuam in eodem ſententiam circà tria Capitula declaravit: quod ipſum Conſtitutum Juſtiniano Auguſto inſcripſit. In eo autem laudatâ relatione Synodi Calchedonenſis ad Marcianum Principem, ait: *Quam vos quoque veſtris legibus, dum Orthodoxâ profeſſione* unum de ſanctâ Trinitate *Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum confitendum adſtruitis, ad teſtimonium laudabiliter adduxiſtis.* Catholicam profeſſionem vocat aſſertionem de uno ex Trinitate; ac ibi deſignat Epiſtolam Juſtiniani ad Epiphanium ejuſdem Codici *tit. de ſummâ Trinitate* inſertam, ut ſuperiùs adnotatum eſt, cùm ibidem ea relatio cum encomio Sancti Procli appelletur.

In hac Synodo controverſia de tribus Capitulis prolixiùs diſcuſſa fuit; quò tamen Neſtoriana atque Eutychiana paradoxa ac errores multorum adhuc mentibus infixi evellerentur, poſt octavam Collationem, Patres canones edidere, in quibus non ſemel illa etiam ſententia de Chriſto uno ex Trinitate tanquam Catholicæ fidei dogma cunctis credenda proponitur. Nam canone IV. damnantur Theodorus ac Neſtorius duas in Chriſto perſonas aſſerentes: & ſi quis non confiteatur *unionem Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuali, ſecundùm compoſitionem ſive ſecundùm ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut ſancti Patres docuerunt, & ideò unam ejus ſubſtantiam compoſitam, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus* UNUS DE SANCTA TRINITATE, *talis anathema ſit.* In quo canone bina Monachorum Scytharum Capitula Synodali ſententiâ confirmata ſunt, videlicet de Chriſto uno ex Trinitate, necnon de Chriſto compoſito: de quo altero ibidem legitur: *Sancta Dei Eccleſia utriuſque*, Neſtorii atque Eutychetis, *perfidiæ impietatem reijciens unitionem Dei Verbi ad carnem ſecundùm compoſitionem confitetur, quòd eſt ſecundùm ſubſiſtentiam: Unitio enim per compoſitionem in myſterio Chriſti non ſolùm inconfusè ea, quæ convenerunt, conſervat, ſed nec diviſionem ſuſcipit.* Rursùs in canone V. *Nec enim adiectionem perſonæ ſuſcepit ſancta Trinitas & incarnato uno de ſanctâ Trinitate Deo Verbo.* Quæ verba in Henotico Zenonis, & in laudato ſuperiùs Juſtiniani edicto continentur. In canone VI. damnantur negantes B. Virginem verè & propriè Dei genitricem fuiſſe; quod tertium erat Monachorum Scytharum capitulum; in quo tamen defendendo nullam Romæ difficultatem paſſi ſunt. Denique canon X. ſpeciatim conditus fuit, ad declarandam de fide Sancti Procli ſententiam, ab iiſdem Monachis rectè quidèm propoſitam, ſed non æquè benè promotam. Canon in hæc verba conceptus eſt: *Si quis non confitetur Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui crucifixus eſt carne, Deum eſſe verum, & Dominum gloriæ, & unum de ſanctâ Trinitate, talis anathema ſit.* Hunc canonem iiſdem omninò verbis, uti etiam alios inſeruit Juſtinianus famoſo contrà tria Capitula edicto; & ante canones pluriès eandem propoſitionem repetit, ac Chriſtum Dominum ſecundùm ſubſiſtentiam compoſitum comprobat: *Et eſt etiam*, inquit, *poſt Incarnationem unus*

de

Digitized by Google

de ſanctâ Trinitate, *unigenitus Filius Dei D. N. Jeſus Chriſtus*, *compoſitus ex utraque naturâ. Compoſitum autem Chriſtum confitemur*, *ſanctorum Patrum doctrinam ſequentes.* Et poſt decem verſus: *Idem ipſe D. N. Jeſus Chriſtus unus de ſanctâ Trinitate*, *conglorificandus Patri & Spiritui ſancto. Nec enim quartæ perſonæ adjectionem ſuſcepit ſancta Trinitas*, *& incarnato uno de ſanctâ Trinitate Deo Verbo.* Juſtinianus hæc edicta doctiſſimorum Antiſtitum conſilio atque operâ procudebat, quibuſcum *diu noctuque poſthabitis omnibus aliis curis*, *in divinorum dogmatum inveſtigatione verſabatur*, uti teſtatur Euſtathius Diaconus C-P. in vitâ ſancti Eutychii apud Surium die 6. Aprilis. Hinc S. Agatho Papa in epiſtolâ ad Imperatores, quæ recitatur Act. IV. Synodi VI. laudans Juſtinianum, ait: *Et utique ab omnibus gentibus ejus religioſa memoria veneratione digna cenſetur*; *cujus fidei rectitudo per auguſtiſſima ejus edicta in toto Orbe diffuſa laudatur.* Ita celebris propoſitio tot annorum ſpatio ſub lite inter Catholicos dimiſſa, à tribus Romanis Pontificibus, & à Synodo V. adprobata, eademque iteratis edictis à Juſtiniano Imperatore populis inculcata, inter fidei dogmata deinceps recepta fuit ſolis Neſtorianis contrà eandem nequicquam mugiantibus. In Synodo Lateranenſi proximo ſæculo à S. Martino Papa & Martyre contrà Monothelitas celebratâ, canone II. legitur: *Si quis ſecundùm ſanctos Patres non confitetur propriè & ſecundùm veritatem ipſum unum ſanctæ & conſubſtantialis & venerandæ Trinitatis Deum Verbum è cælo deſcendiſſe*, *& incarnatum ex Spiritu ſancto & Maria ſemper Virgine*, *& hominem factum*, *crucifixum carne &c. condemnatus ſit.* Hactenus de celebri quondam Controverſiâ.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

APOLOGIA MONACHORUM SCYTHIÆ

Ab Anonymi ſcrupulis vindicatur.

SAtis ſuperiori diſſertatione demonſtratum arbitror, undè controverſia de uno ex Trinitate primùm emerſerit, quantiſve inſignium Virorum diſputationibus diſcuſſa fuerit, priuſquam ab Apoſtolicâ Sede in fidei canones referretur. Sequitur, ut à vetùſtioris ætatis contentionibus ad excitatas ejuſdem effati occaſione, noſtro tempore accuſationes ſtylum convertam. Nam Heterodoxi variatæ eâ in cauſâ ſententiæ Apoſtolicam Sedem per calumniam inſimulant. Prætereà neſcio quis Anonymus in quorundam ſcrupulorum pagellis Henricum Noris ob Monachos Scythas ab Eutychianæ hæreſeos notâ vindicatos, Romani Pontificis in rebus fidei definiendis, infallibilitati obnoxium facere pertentavit, quod ipſum alter vano licèt conatu, fuerat antè molitus. Quamvis autem ex deſcriptâ proximè ejuſdem controverſiæ hiſtoriâ, univerſa accuſatio non tantùm infirmata, verùm etiam exarmata prorsùs, ac contrita appareat, induxi animum Sedis Apoſtolicæ eâ in causâ infallibilitatem nec à Romanis Pontificibus læſam, nec eandem à Noriſio vel minimâ quapiam ratione perſtrictam oſtendere. Et primum quidèm jam ſatis ſuperque in præmiſsâ totius controverſiæ narratione ita explanatum eſt, ut nullis planè ſalebris aſperari poſſe videatur. Hinc prius illud breviori quidèm ſed ſolidiori operâ exequar; dein præſtitam à Noriſio iiſdem Monachis Scythis advocationem, ab objectis à quopiam Anonymo ſcrupulis vindicabo.

CAPUT I.

Felicis III. ac Hormiſdæ de theſi: Unus è Trinitate paſſus eſt, *ſententiæ referuntur. Eccleſia aliquas propoſitiones, imò & verba æquivoca in diverſo ſenſu modò approbavit, modò rejecit. Propoſitio:* Una natura Dei Verbi incarnata, *in ſenſu Eutychianorum damnata: in ſenſu S. Cyrilli approbata. Synodus V. ac Juſtinianus in edicto contrà tria Capitula, duplicem illum ſenſum disertè diſtinguunt. Nulla inter Hormiſdam, & Joannem II contradictio circà theſim:* Unus è Trinitate paſſus eſt. *Eccleſia Capitula Theodori Mopſueſtienſis in ſenſu ab auctore intento damnavit. Profeſſio fidei Vitalis Apollinariſtæ ob diverſos ſenſus priùs probata, dein damnata à S. Damaſo Papa. Cyrillus in ſenſu Catholico illam accipiens, Vitalem inter Catholicos Epiſcopos haud rectè recenſuit. Pelagiani propoſitionum æquivocarum callidiſſimi inventores. Varii errores Auctoris Prodromi Velitaris circa propoſitionem:* Unus è Trinitate &c. *à Monachis Scythis defenſam, refelluntur.*

CEtera inter argumenta, quibus Heterodoxi Apoſtolicæ Romanæ Sedis infallibile in controverſiis fidei definiendis judicium oppugnant, validiſſimum illud arbitrantur, quod geſta in celebri quæſtione, *de uno ex Trinitate carne paſſo*, ſuppeditare videntur. Cùm enim Hormiſdas Monachos Scythas eam propoſitionem defendentes, tanquam procacis verborum novitatis aſſertores acerrimis literis perſtrinxiſſet: & ex adverſo Joannes II. eam theſim & à ſanctis Patribus uſurpatam, & Catholicæ fidei conformem poſteà declaraverit, haud mediocri ſolertiâ, & non vulgari ſtudio ac artificio opus eſſe putant, ad oſtendendum, uti loquitur Forbeſius lib 3. Inſtruct. Hiſtorico-Theologicarum cap. 16. *non pugnare inter ſe adverſis frontibus iſta duorum Pontificum cathedralia reſponſa.* Verùm hæc per calumniam malitiamque objici, ex præmiſſâ totius cauſæ deſcriptione, intelligimus. In primis epiſtola Hormiſdæ, in quâ vim faciunt quàm maximam, eſt privatum Pontificis reſcriptum, non ut illi dicunt, *cathedrale reſponſum*, hoc enim à Pontifice præviâ privati conſilii conſultatione depromitur. At Hormiſdas nunquam eam controverſiam in examen vocavit, quòd ſuorum priùs Legatorum adventum expectabat. In eâ verò epiſtolâ nec verbum quidèm de illâ propoſitione facit, ſed Monachorum in ſemel ſusceptâ ſententiâ defendendâ, impetum, ferociam, malaſque artes percellit. Maxentius palàm affirmat notum omnibus eſſe, *quòd Monachis reſponſum quærentibus Romanus Epiſcopus dare omnino diſtulerit*, ut Diſſert. 1. cap. 8. adnotavi. Et ſanè cùm poſteà Anatolius Romanæ Eccleſiæ Diaconus eâ de propoſitione Ferrandum per literas conſuluerit, palàm fit, nihil de eadem Hormiſdam anteà definiviſſe. Idem Ferrandus Diaconus nihil antè Joannem II. à Romanâ Eccleſiâ eâ in cauſâ definitum fuiſſe teſtatur in literis ad Severum Scholaſticum, quod ipſum ex tot laudatis Juſtiniani epiſtolis confirmatur. Hormiſdas vocum novitatem exprobravit, quòd inſueta eſſet apud Latinos ea loquendi formula, ut prolixè præmonſtratum eſt.

His tamen obſtare videtur, quòd Hormiſdas epiſt. 79. ad Imperatorem Juſtinum argumentum producit, quo probat ex illa theſi: *Chriſtus eſt unus è Trinitate*, ſive: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, inferri tres Deos, aut naturam divinam in ſeipsâ eſſe paſſibilem, uti in proximâ diſſertatione hiſtoricâ cap. 8. obſervabam. Imò S. Felix III. Epiſt. 3. Petrum Fullonem increpans, ait: *At verò tu in Eccleſiâ auſus es dicere, quòd* unus increatæ atque individuæ Trinitatis paſſionem ſubiit: *ac per hoc conſubſtantialem quoque ſolvere niteris, ac Deum ſubjicere numero.* Et rursùs: *Neque Deorum pluralitatem confirmare pergas dicens, unum ſanctæ Trinitatis mortuum eſſe.* Ex his damnata videtur laudata propoſitio: *Unus è Trinitate paſſus eſt.*

Henricus Noris in Vindiciis Auguſtinianis cap. 3. §. 2. propoſitæ difficultati hiſce planè verbia reſpondet: *Rursùs ſciendum eſt, aliquas propoſitiones æquivocas modò ab Eccleſiâ rejici, modò approbari. Hoc oſtendimus lib. 2. Hiſt. Pelagianæ cap. 20. de illâ propo-*

ſitione:

Digitized by Google

ſitione: Unus è Trinitate paſſus eſt, *quam Hormiſdas rejecit; at Joannes II. Vigilius, ac Synodus V. uti Catholicam definiverunt. Etenim in ſenſu Eutychianorum damnata fuit, quaſi Verbum in naturâ divinâ paſſum diceretur.* Quæ de eodem argumento diſſerens prædocuerat Chriſtianus Lupus inſignis Doctor Lovanienſis in notis ad Canonem X. Synodi V. pag. 697. & anteà Cardinalis Baronius ad annum 533. ſcripſerat, nunquam eam ſententiam ab Hormiſdâ fuiſſe rejectam tanquam hæreticam, ſed proſcriptam ut novam atque ſuſpectam, ne ſub eâ Eutychianorum fraudes occultarentur. Cæterùm Bruno Neuſſer in prodromo Velitari par. 1. cap. 3. Noriſii ſententiam iratiori ſtylo configens, ac paſſim rhetoricatus, clamat: *Error eſt, iſque capitalis, & hæreſis pernicioſiſſima, quæ vivam fidei regulam evertit.* Imò, ò bone, Eccleſia non modò propoſitiones æquivocas, verùm etiam verba pariter æquivoca juxtà varios ſenſus accepta, nunc probavit, nunc improbavit. Egregiè S. Hilarius lib. 2. de Trinitate ait: *De intelligentiâ enim hæreſis, non de ſcripturâ eſt; & ſenſus, non ſermo fit crimen.* Quod exemplo comprobans: *Malè*, inquit, *intelligitur* Homouſion. *Quid ad me benè intelligentem? Malè* Homouſion *Samoſatenus confeſſus eſt; ſed nunquid meliùs Ariani negaverunt? Octaginta Epiſcopi olim reſpuerunt: ſed treceuti octodecim nuper receperunt.* Illi enim in Synodo Antiochenâ vocem *Homouſion* in ſenſu Pauli Samoſateni rejecerunt, quam in ſenſu Catholico Nicæna Synodus conſecravit. Latina Eccleſia vocem *hypoſtaſis* diutiùs averſata eſt, quam Græci Patres tanquam Catholici dogmatis contrà Sabellium expreſſivam invexerant. Nomen *Chriſtipara* antè Neſtorii hæreſim nullâ latentis erroris labe ſuſpectum erat, quod tamen in ſenſu hæretico Synodus V. canone VI. proſcripſit, *tanquam ſi Chriſtus Deus non eſſet*, ut ibidem exponitur.

Plurimæ autem produci poſſent propoſitiones æquivocæ, quæ juxtà unum ſenſum damnatæ ſunt, juxtà alterum verò ab Eccleſiâ approbatæ. Paucas eaſque inſigniores laudabo. Celebris fuit Cyrilli propoſitio à S. Athanaſio antè tradita: *Una natura Dei Verbi incarnata.* Hanc S. Cyrillus laudat in epiſtolis ad Eulogium, ac Succeſſum Diocæſarienſem in Iſauriâ Epiſcopum, in libro ad Reginas, & alibi. Eutychiani præcipuum hæreſeos fundamentum in memorato S. Cyrilli aſſerto collocarunt, ad quod à Catholicis oppugnati, velut ad arcem & propugnaculum confugiebant. Dioſcorus in Act. I. Synodi Calchedonenſis, Eutychetis errorem ſuſtinens dixit: *Ego autem teſtimonia habeo ſanctorum Patrum Athanaſii, Gregorii, & Cyrilli in multis locis, quia nõ oportet dicere poſt adunationem duas naturas, ſed unam naturam Dei Verbi incarnatam.* Felix III. Pontifex in Epiſt. 3. errores Petri Fullonis refellens, ait: *Unam naturam Verbi Dei incarnatam, corpuſque Domini ſine animâ & mente, Apollinaris hæreſim roborat.* Hinc Orientales Epiſcopi Cyrillo Apollinaris hæreſeos notam inurebant, hæc eodem ad Succeſſum ſcribente: *Quia verò omnes Orientales putant nos Orthodoxos Apollinarii opiniones ſequi &c.* Cæterùm Cyrillus in laudatâ ad Succeſſum epiſtolâ congruum ejus propoſitionis ſenſum exponens, ait: *Si enim dicentes* unam naturam Verbi *tacuiſſemus, non adjicientes: Incarnatam, &c.* ubi unius in Chriſto naturæ ſe aſſertorem videri potuiſſe fatetur, niſi addendo *incarnatam*, alteram ſe pariter naturam Verbi Dei naturæ hypoſtaticè conjunctam aſſerere demonſtraſſet. Verbi enim natura erat ab æterno: ſed non erat ab æterno incarnata, ſed quo tantùm tempore humana natura in unitatem ſuppoſiti à Verbo ſuſcepta fuit; ut palàm ea propoſitio duas in Chriſto naturas exprimat, & non unicam, uti Eutychiani peſſimè interpretabantur. Hanc Cyrilli expoſitionem laudans Joannes Patriarcha Antiochenus in epiſtolâ ad Theodoretum, quæ num. 86. tom. 1. Variar. Epiſt. à V. C. Lupo editarum, legitur, ait: *Expulſus eſt enim clarè ab epiſtolâ ille adulterinus ſenſus unius naturæ, imò potius languor; & confeſſa quidem eſt differentiam naturarum.* Itaque ea propoſitio in ſenſu Dioſcori & Eutychianorum eſt hæretica: at juxtà S. Cyrilli interpretationem eſt Catholica. Utrumque ſenſum diſertè diſtinguit Synodus V. can. VIII. *Si quis &c. unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non ſic eam excipit, ſicut Patres docuerunt, quod ex divinâ naturâ & humanâ, unitione ſecundùm ſubſiſtentiam factâ, unus Chriſtus effectus eſt, ſed ex talibus vocibus unam naturam, ſive ſubſtantiam Deitatis & carnis Chriſti introducere conatur, talis anathema ſit.* Eandem theſim juxtà duplicem intelligentiam ad omnem æquivocationem tollendam, Canon conſiderat. Illam S. Flavianus inſeruit profeſſioni fidei ad Imperatorem Theodoſium tranſmiſſæ, & legitur cap. 5. in præmiſſis Synodo Calchedonenſi, & hæc ipſa Synodus Act. I. eandem profeſſionem ſibi lectam, approbavit. Eutychiani tamen ab Orthodoxis convicti, eò tandem devenere, ut affirmarent, ex Deo Verbo & naturâ humanâ unitis, tertiam naturam reſultaſſe, uti fit in homine, qui reapſe eſt una natura completa ex duabus partialibus naturis, animâ nempè & corpore compoſita. Juxtà hunc hæreticum ſenſum Eutychiani famoſam illam S. Cyrilli propoſitionem, veluti ſectæ teſſeram, jactabant, quos validè confutat S. Anaſtaſius Sinaita in libro, cui titulus, *Viæ Dux* cap. 23. quod inſcribitur: *Contrà Severianos, alia explicatio & ſolutio dicti illius: Unam divini Verbi naturam eſſe incarnatam.* Hoc Cyrilli effatum ſuo contrà tria Capitula edicto Juſtinianus inſeruit: *Et hoc*, inquiens, *quod dictum eſt ab ipſo:* Unam naturam Dei Verbi incarnatam *ſuſcipientes &c.* ubi ſenſum etiam hæreticum diſertè ex eodem Cyrillo explodit. Eandem theſim S. Martinus Papa, & Martyr approbavit in Synodo Lateranenſi canone V. Ex his patet unam eandemque propoſitionem iiſdem omninò vocibus expreſſam, in uno ſenſu ab Eccleſiâ damnari; in alio verò diverſo reprobari. Videſis plura apud Petavium lib. 4. de Incarnat. capite 6. & 7. & Thomaſſinum Diſſert. XIX. in Synodos num. 51. ubi ait: *Ambigua eſt ad utrumlibet, & verſatilis textura mera verborum.*

At inquit Neuſſer num. 6. Eccleſia ubi aliquam propoſitionem probat tanquam Catholicam, vel damnat uti hæreticam, eam ſemper in proprio & nativo verborum ſenſu conſiderat; cùm autem obvius ac proprius propoſitionis ſenſus ſit tantùm unicus, nulla unquam propoſitio in uno ſenſu ab Eccleſiâ damnari potuit: eademque in altero tanquam Catholico definiri. Hic Scriptor univocas propoſitiones cum æquivocis confundit. Eccleſia univocas propoſitiones, quarum unicus tantùm eſt ſenſus, probat, ſi veræ ſint; ſin verò falſæ, condemnat. At ſi propoſitiones ſint æquivocæ, ac duplicem ſenſum patiantur, quorum unus ſit Catholicus, alter hæreticus, Eccleſia eaſdem in ſenſu recto adprobat, & in falſo proſcribit. Facundus Hermianenſis lib. 10. de tribus Capitulis cap. 4. ait: *Nam & multa ſicut ſentimus, eloquimur: & multa non ſicut à nobis proferuntur, ita ſuſcipiuntur ab aliis.* Propoſitio illa Cyrilli ab Apollinario anteà enuntiata fuerat, eratque

que

Digitized by Google

que diverſorum ſenſuum capax, quorum alter Apollinariſ erat hæreticus: alter Cyrilli Catholicus, quos ſenſus non ipſa verborum textura, ſed proferentium intentio faciebat. Primum veluti quid materiale propoſitionis, alterum veluti formale conſideratur. Hinc Synodus V. utrunque ſenſum diſtinguens, eum probat quem *Patres docuerunt*; ita ut non ab ipſis tantùm verbis verus ſenſus acceptus fuerit, ſed ab intentione Patrum, in quâ nulla fuerat æquivocatio. Præterea propoſitio: *Unus de Trinitate paſſus eſt*, ambigui ſenſûs erat ob vocem *unus*. Hæc vox cùm ſit prædicatum tranſcendens, juxtà propriam, obviam, ac nativam ſignificationem poteſt convenire tùm eſſentiæ, tùm etiam cuilibet perſonæ divinæ. Jam vero ſi *Unus* accipiatur *eſſentialiter*, uti intelligebatur ab Eutychianis, memorata propoſitio eſt hæretica. Sin autem intelligatur *perſonaliter*, eadem eſt Catholica. Unx illa ſolitariè prolata utpotè tranſcendens, utriuſque ex æquo ſenſûs eſt capax. At juncta propoſitioni, unicum tantùm ſenſum formalem ſubit. Quare cùm vox *unus* in laudatâ propoſitione ab Eutychianis eſſentialiter perperam intelligeretur, jure eam theſim Felix III. ac Hormiſda reprobarunt, quòd indè vel pluralitas Deorum inducebatur, vel ipſamet divina natura paſſibilis in ſeipſâ perperam dicebatur. At in illâ propoſitione vox *Unus* perſonaliter, ſive pro divinâ perſonâ uſurpata, Catholicum ſenſum habet, in quo à Joanne II. approbata fuit. Et ſanè Pontifex in Epiſt. 3. ad Senatores definit: *Unum ex ſanctâ Trinitatem eſſe, hoc eſt, unam de tribus S. Trinitatis perſonis ſanctam eſſe perſonam ſive ſubſiſtentiam:* Quo alterò dicto omnem ab eadem propoſitione ambiguitatem amovit; ſignificans *unum* intelligi de perſonâ, non autem de eſſentiâ divinâ, quæ ſiniſtra erat Eutychianorum intelligentia. Cùm ſexaginta capitula ex libris Theodori Mopſueſtienſis Epiſcopi oblata fuiſſent Vigilio Papæ, ut eadem anathemate condemnaret, Vigilius in Conſtituto eadem proſcribens, paſſim verba *videtur adſtrui* inſerit; & ad cap. 56. ait: *Quæ verba ſi eâ intentione dicantur*; & poſt cap. 60. *Et quorum*, inquit, *præfata dogmata, quæ ſecundùm intellectum de his expoſitum, anathemati & damnationi ſubjicimus &c.* Quas determinati ſenſûs reſtrictiones adducens, non obſcurè indicabat, alios eoſque Catholicos ſenſus memoratis Theodori capitulis potuiſſe ſuperinduci, quos reapſe iiſdem circumpoſuit laudatus Facundus aliique trium Capitulorum defenſores. Et ſanè Facundus lib. 10. cap. 4. ultrò concedens, *quòd probatum Synodo fuerit illa Theodori eſſe capitula: undè*, inquit, *certum haberet quâ fuerint intentione prolata?* Horum tamen benignas, ſed ab intentione Auctoris prorſus alienas, interpretationes Synodus V. ac univerſa poſteà Eccleſia Catholica rejecit, Theodori non tantùm libris, verùm etiam perſonâ ejuſdem damnatis. Quo planè judicio totius Eccleſiæ conſenſu confirmato, demonſtratur, Eccleſiam in damnandis propoſitionibus in ſenſu ab auctoribus intento, non errare, neque latum ab eadem ſemel judicium, poſſe retractari; ſiquidèm oppoſitum affirmantes, Apoſtolica Sedes damnavit, uti patet ex epiſtolis Romanorum Pontificum, qui proximè Synodum V. conſecuti ſunt, uti pluribus oſtendit Noriſius in Diſſertatione de Synodo V. cap. 9.

Vitalis Apollinariſtarum apud Antiochiam Epiſcopus, communionem cum Romanâ Sede impetraturus, Romam tranſmittens, libellum fidei S. Damaſo Pontifici obtulit, ac verborum ambiguitate uſus, fucum eidem facere tentavit. Nam cætera inter fatebatur Chriſtum fuiſſe perfectum hominem ex carne, animâ, ac mente compoſitum. Cyrillus in libro ad Reginas cap. 10. recitans teſtimonia ſanctorum Epiſcoporum, quibus Neſtoriana hæreſis confutabatur, ea inter recenſet memoratam profeſſionem fidei Vitalis, cum titulo: *Vitalis Epiſcopi, ex ſermone de fide:* ubi autem hæc leguntur: *Si quis dixerit Dominum ac Salvatorem noſtrum, qui ex Spiritu ſancto, & Mariâ virgine ſecundùm carnem natus eſt, animâ, aut mente, aut ratione, aut ſenſu deſtitutum eſſe, anathema ſit.* Apollinarius initio animam, poſteà verò mentem in Chriſto fuiſſe negaverat, aſſerens Verbum divinum animæ ac mentis vicem ſuppleviſſe. Hinc cùm Vitalis palàm profiteretur fuiſſe in Chriſto animam, mentem ſeu rationem, ac ſenſum, Catholicæ velutì doctrinæ aſſertor in communionem à Damaſo receptus, literas etiam ab eodem ad Paulinum Patriarcham Antiochenum accepit, cui tanquam Catholicus commendabatur. Hac eadem arte S. Gregorio Nazianzeno impoſuit. Verùm ubi Antiochiam reverſus, aſſerebat ſe vocibus *animæ ac mentis* ipſummet Verbum divinum intellexiſſe, quod vicem animæ ac rationis in Chriſto gerere contendebat, Damaſus non modò Vitalem, verùm etiam ejuſdem libellum fidei abs ſe anteà probatum, damnavit. Rem hiſce enarrat idem Gregorius Nazianzenus Epiſt. 2. ad Cledonium: *Quoniam igitur eædem voces ſi rectè intelligantur, cum pietate conjunctæ ſunt; ſi perperam exponantur, impietate non carent; quid mirum ſi Vitalii quoque verba nos quidèm, ita ſuadente voluntate, in pium ſenſum accepimus &c. Quod etiam in causâ fuiſſe reor, cur ipſe quoque Damaſus, cùm poſteà rectiùs edoctus fuiſſet, ſimulque in priſtinis eos expoſitionibus perſtare audiſſet, eos ab Eccleſiæ cœtu abdicarit, fideique libellum cum anathematiſmo deleverit; tum etiam quòd fraudem eam, in quam per ſimplicitatem inciderat, permoleſtè ferret.* Ita libellum fidei, ſanam aliàs doctrinam præferentem juxtà proprium & obvium verborum ſenſum, at ex intentione Vitalis hæreticam intelligentiam occulentem, proſcidit; quemadmodum, inquit Vir eruditus, innocuæ ſilvæ exſcinduntur, quòd tutas latronibus latebras præbeant. Hinc Cyrillus nihil non Catholicæ fidei conſonum in eo Vitalis libello adnotans, ſed ſiniſtrum verborum ſenſum auctoris ignorans, Vitalem inter ſanctiſſimos Epiſcopos recenſuit, quod illi poſteà exprobravit Neſtorius in Epiſtolâ ad Scholaſticum Eunuchum, quæ cap. 15. legitur inter epiſtolas Patrum editas à V. C. Lupo. Hic tamen error Cyrilli memoratum libellum nobis ſervavit, cujus uti nuſquam alibi deſcriptio legitur, ita Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ profeſſoribus latuit.

Nemo ignorat Pelagianos æquivocarum vocum, ac ambiguarum propoſitionum verſutiſſimos architectos, erroneos ſenſus verbis in ſpeciem Catholicis incruſtaſſe, ita ut ipſi penè Auguſtino fucum fecerint. Eâ arte Pelagius in Synodo Palæſtinâ Catholici dogmatis profeſſor judicatus fuit. Hinc Sanctus Doctor in Libro de peccato Orig. cap. 16. Pelagii vafritiem acutè perſtringens, unàque Patres Synodi excuſans, ait: *Quando tibi illa damnanda objiciebantur, non ea Catholici Epiſcopi ſic intelligebant; ideò cùm illa damnares, Catholicum te eſſe credebant. Propterea ergo quod te illi ſapere exiſtimabant, abſolvendum fuit; quod verò tu ſapiebas, damnandum fuit. Non ergo tu abſolutus es, qui damnanda tenuiſti; ſed illud abſolutum eſt, quod tenere debuiſti. Ut autem tu abſolutus putareris, creditus es ſentire laudanda, cùm te judices non intelligerent, occultare damnanda.* Videſis eundem Sanctum

Docto-

Digitized by Google

Doctorem in Libro de Gratiâ Chriſti cap. 2. & 33.

Cum Pelagius ac Cœleſtius cauſam iterùm à Zoſimo Papa retractari impetraſſent, uterqua omne in eo ſtudium poſuit, ut Catholicam ſeſe doctrinam profiteri crederentur. Pelagius libellum fidei ad Sedem Apoſtolicam miſit, de quo Auguſtinus libro de peccato Orig. cap. 18. ait: *Videte latebras ambiguitatis falſitati præparare refugio, offundendo caliginem veritati, ita ut etiam nos, cùm primùm ea legimus, recta vel correcta pr pemodum gauderemus.* Ita penè deceptus fuit Auguſtinus, qui tamen omnes Pelagiani dogmatis latebras penetraverat. Cũ Pelagii literæ ac Cœleſtii libellus coram Zoſimo ac Urbanâ Synodo lectus fuiſſet, *Libellus ejus Catholicus dictus eſt*, uti ſcribit Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium Papam cap. 3. Et quidèm initio cauſæ antè definitivam ſententiam. Hinc Zoſimus utriuſque hæretici vicem dolens, Epiſt. 4. ad Epiſcopos Africanos ait: *Quod Sanctorum virorum, qui aderant, gaudium fuit? Quæ admiratio ſingulorum? Vix fletu quidam ſe & lacrymis temperabant. Tales etiam abſolutæ fidei infamari potuiſſe? Eſt ne ullus locus, in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermiſſum ſit?* Ambigua intelligentia gratiæ tantos dolos nexuit. Etenim Pelagius nomine *gratiæ* legem, doctrinam, ac exemplum Chriſti intelligebat, non verò ſpeciale Dei donum animæ infuſum, idemque à lege ac doctrinâ diſtinctum. Iterùm audiendus eſt Auguſtinus cap. 21. libri laudati de Pelagio pronuntians: *Viſus eſt tamen ad tempus aliquid dicere, quod fidei Catholicæ conveniret; ſed illam Sedem uſque ad finem fallere non prævaluit.* Nam Zoſimus Africanorum Patrum literis hæreticorum doloſas & ambiguas voces edoctus, eoſdem anathemate perculſos, Eccleſiâ ejecit. Interim Zoſimus Pelagii ſententiam in ſenſu omninò Catholico anteà laudaverat, quam tamen in ſenſu poſteà hæretico proſcripſit. Facundus lib. 7. c. 3. hæc ipſa enarrans, ait: *Quoniam aliud eſt, ſi quiſque ſimpliciter in hæretico dolos ſuos occulente, fallatur, ut eum putet Orthodoxum: & aliud, ſi ipſam jam hæreſim agnitam ſectetur, atque defendat.*

Redeo ad controverſam olim propoſitionem *de uno ex Trinitate paſſo*, ex quâ Neuſſer par. 2. Prodromi Velitaris c. 8. contrà Noriſium accuſationem inſtaurat, ſed adeò infeliciter, ut ne ſtatum quidèm quæſtionis intellexerit; quæ tamen in omni judicio principaliores accuſatoris partes eſſe cenſentur. Cùm paginâ 133. col. 2. dixiſſet Juſtinianum hoc dumtaxat inculcaſſe: *Chriſtum Filium Dei D. N. pro noſtrâ ſalute carne crucifixum* unum de Trinitate, *debere prædicari*, ſtatim exclamat: *quis unquam hoc negavit?* Hæc ſcribens & ſtatum quæſtionis ignoravit, & ipſum quod laudat, Juſtiniani teſtimonium aut non intellexit, aut ſe intelligere diſſimulavit. Juſtinianus in Epiſtolâ quæ ante 66. Hormiſdæ recitatur, hæc ad eundem Pontificem ſcribit: *Quidam aſſerunt Chriſtum Filium Dei Domini noſtri pro noſtrâ ſalute carne crucifixum,* unum de Trinitate *debere prædicari. Quod ſi ſuſcipiendum ſit paternâ proviſione Reverentia veſtra cautiſſimo ſuo reſcripto, quid ſequi, quidve ſuper hoc evitare debeamus, nos certiorare dignetur: quoniam verba videntur facere diſſenſionem; nam ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur.* Itaque Juſtinianus ſcribit quoſdam aſſerere nempè Monachos Scythas eiſque adſtipulantes, Chriſtum dici debere unum de Trinitate, quod utrum aſſerendum ſit, ut Hormiſdas declaret, impensè rogat. At Neuſſer ait; *Quis unquam hoc negavit?* Omnes, ò bone, qui Monachis Scythis adverſabantur, illud negabant. Juſtinianus dubium illud Pontifici reſolvendum proponit; igitur eam propoſitionem plerique negabant, quâ de re certiſſima protuli teſtimonia Diſſert. 1. cap. 4. ubi oſtendi hanc principaliter controverſam fuiſſe propoſitionem: *Chriſtus eſt unus è Trinitate.* Ferrandus Diaconus Epiſtolam ad Sevarum hiſce exorditur: *Magnorum virorum mihi negotium conaris adjungere, propter eos qui Deum noſtrum Jeſum Chriſtum negant, unum eſſe de ſanctâ & individuâ Trinitate.* Idem tradunt Joannes II. Pontifex, Maxentius, Dionyſius Exiguus, cæterique qui eâ ætate de eadem controverſiâ ſcripſerunt, quorum teſtimonia laudato loco produxi.

Progreditur Neuſſer: *Quid, amabo, diſertius contrà Scythas ſcribi potuit? qui* unum de Trinitate paſſum *volebant ſimpliciter, non præmiſſo nomine D. N. Jeſu Chriſti.* Iterùm errat. Nam Juſtinianus de iiſdem ſcribit: *Quidam aſſerunt Chriſtum Filium Dei &c.* uti proximè oſtendi. Monachi in libello fidei: *Si quis,* inquiunt, *non acquieſcat, confiteri Chriſtum unum de Trinitate etiam cum carne propriâ, qui pro nobis paſſus eſt in carne &c.* Denique Maxentius in fine Dialogorum ait: *Nec ego te unquam aliud aliquid, quàm hæreticum judicabo, qui Deum Verbum D. N. Jeſum Chriſtum qui pro noſtrâ ſalute paſſus eſt carne, unum eſſe ex ſanctâ & individuâ Trinitate non approbas.* En Monachos Chriſti nomen præmittentes, ſecùs ac accuſator fingit. Ille tamen errores addit, auget, accumulat. *Et manifeſtè,* inquit, *colligitur ex Maxentii reſponſione, in quâ fatetur Chriſtum Verbi perſonam non habere; ſunt ipſiſſima ejus verba:* qui autem non Dei Verbi perſonam Chriſtum habere fatentur, *nempe Monachi Scythæ.* Imò manifeſtè colligitur, Neuſſerum eandem epiſtolam non legiſſe, aut ſaltuatim fortaſſis lectam, neutiquam intellexiſſe. Maxentius eò loci arguit Neſtorianos, qui adſtruebant Chriſtum reapſe Deum non eſſe, ſed hominem, Dei tamen perſonam repræſentantem, *ut jam ſic vicarius quodammodò, ſive miniſter ſit Dei Verbi Chriſtus: non autem ipſe Deus Verbum ſit Chriſtus,* inquit Maxentius. Nam vicarius gerit perſonam Principis, cùm tamen ipſe Princeps non ſit. Tum addit: *Qui autem non Dei Verbi perſonam Chriſtum habere fatentur, ſed ipſum Deum Verbum Chriſtum credunt, & confitentur, ſicut unam perſonam ex Trinitate, ita & unum ex Trinitate prædicant Chriſtum.* Nec clariùs Maxentius loqui potuit, nec Catholicæ veritati conformiùs; Nec illa Scriptor pejus quidpiam eidem affingere potuit; ſiquidèm ait, Maxentium nomen *perſona Verbi* à Chriſto excludere, quum id in ſenſu Neſtorianorum à Maxentio negetur, qui ſtatim manifeſtè profitetur Chriſtum eſſe ipſummet Verbum divinum, *unam perſonam, ſeu unum ex Trinitate.* I nunc, ac de propoſitionum æquivocarum ſenſibus uti lubet, uti libet, diſputato; cùm interim hic adeò hallucineris, ut ambiguam hanc theſim: *Chriſtus habet perſonam Verbi*, in ſenſu Neſtoriano à Monachis negatam, in eodem hæretico ſenſu eiſdem affingas, & eo quidèm loco, ubi illi juxtà Catholicam notionem, laudatam propoſitionem enuntiant, ac ſiniſtram Neſtorianorum intelligentiam conſultis ac expreſſis verbis excludunt. Quis tibi de obvio ac proprio ſenſu propoſitionum ſcribenti fidem præſtabit, qui obvium verborum Maxentii ſenſum tam clarum, tamque manifeſtum in oppoſitum prorsùs intellectum, notionemque detorques?

Cùm Neuſſer Neſtorianum ſenſum cum Catholico Monachorum inſigni errore confuderit, hæc ſtatim loquitur: *Diſtinguo, quaſo, propoſitiones, ſi potis es; nunquam negavit Hormiſdas, nunquam Dioſcorus, nunquam Poſſeſſor, nunquam ullus Catholicus, Dominum N. Jeſum Chriſtum eſſe unum de Trinitate*, pag. 134. col. 1.

col. 1. Quis non miretur, hunc hominem adeò imparatum ad cauſam dicendam acceſſiſſe, ut ne illius quidem ſtatum perſpectum habuerit? Legeſis teſtimonia, quæ præclariſſima ac invictiſſima in Diſſert. 1. cap. 4. longo ordine produxi, ac, ſi potis es, intellige, omnes qui Monachis Scythis adverſabantur, negaſſe Chriſtum Dominum dici poſſe unum de Trinitate. Maxentius in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ, ait: *An fortè non eſt Catholicum, Chriſtum Filium Dei vivi unum confiteri ex ſanctâ & individuâ Trinitate? Pro HAC etenim* SOLA SENTENTIA *Scytharum Monachos conſtat ad Romanum fuiſſe profectos Epiſcopum, ſicut omnibus penè non ſolùm in hac regiâ Urbe, verùm etiam in univerſâ Italiâ Catholicis notum eſt.* Rem tamen notiſſimam noſter unus homo ignoravit. Hormiſdas eam propoſitionem approbare recuſavit, quòd inſuetâ Latinæ Eccleſiæ verborum formulâ exprimebatur. Hinc idem Maxentius per ſummam impudentiam Hormiſdam arguit: *Qui contentionem verborum, & ſubverſionem audientium judicat, Chriſtum Filium Dei vivi unum fateri ex Trinitate.* Maxentius eam propoſitionem admittere recuſantes, hæreticos falsò æquè ac contumeliosè appellabat. Et paulò inferiùs ſcribit ſe demonſtrare: *Qualiter & cur hæretici, ex quibus unus Dioſcorus*, unam perſonam Chriſtum prædicantes ex Trinitate, unum ex Trinitate Chriſtum *confiteri nullatenus acquieſcant.* Denique de Poſſeſſore Epiſcopo idem Maxentius hæc ſcripſerat: *Ambigit nemo, Poſſeſſorem, ad quem, & de quo hæc ſcribit, non ſolùm non confiteri* Chriſtum Filium Dei vivi unum ex individuâ Trinitate, *ſed adverſari eis, qui hoc fiducialiter confitentur, ac infideles & perfidos nefandâ accuſare temeritate.* Utri potior fides habenda? Neuſſer aſſeverat nunquam Dioſcorum, nunquam Poſſeſsorem, nullum unquam Catholicum negaſſe, Chriſtum eſse unum ex Trinitate. At Maxentius, qui agitatæ id temporis controverſiæ magnam in ſe partem recepit, oppoſitum apertè ac conſtanter affirmat. Huic cæteri qui ſynchroni eâ de quæſtione ſcripſerunt, fidem faciunt, uti laudato loco mihi oſtenſum eſt.

Hæc tamen ſtatim Neuſser adnectit: *Nunquam etiam negarunt Scythæ eſſe unam perſonam Trinitatis, vel unum trium; ſed Scythæ dici nolebant, unam perſonam de Trinitate paſſam.* Pag. eadem 134. Rem non intelligit. Scythæ dicebant unam de Trinitate perſonam paſsam eſse in carne; ſed addebant, ad interimendas Neſtorianorum verſutias, qui in nomine *perſonæ* inſidias ſtruebant, ſecuriùs dici, unum de Trinitate carne paſsum. At Monachorum adverſarii negabant dici poſse unum de Trinitate paſsum, quòd inficiabantur alteram propoſitionem: *Chriſtus eſt unus è Trinitate.* Erat logomachia, ſummâ tamen inter Catholicos contentione agitata. Hinc Ferrandus Diaconus, quò motas lites componeret, in Epiſtolâ ad Anatolium Romanæ Eccleſiæ Diaconum ſcribit cap. 15. *Omnis ergo Catholicus, aut unum de Trinitate paſſum ſimpliciter audiat, ſimpliciter dicat: aut loquens cautè, non tamen infideliter, unam perſonam de tribus paſſam fateatur; nec ideò quempiam judicet hæreticum, qui unum de Trinitate paſsum, illo ſenſu dicit, quo etiam ipſe unam perſonam de tribus paſſam veraciter dicit.* Eadem tradit Facundus lib. 1. de tribus Capitulis cap. 3.

Denique Neuſser hæc ſcribit: *Hormiſdas verò, Dioſcorus, imò & Juſtinianus, cùm hanc propoſitionem:* Unus de Trinitate paſsus eſt, *ab Eutychianis tanto ſtudio aſſertam, AMBIGUAM eſſe viderent, & in EORUM SENSU omnino HÆRETICAM, illam approbandam eſſe non putarunt; in CATHOLICO igitur SENSU facile intelligi poteſt, DIVERSO tamen à SENSU Anaſtaſii Imperatoris, Eutychianorum & Monachorum Scytharum, ac præ cæteris Joannis Maxentii.* Ita veritas invito pectore erumpit. An non hæc ipſiſſima eſt Noriſii ſententia, quam tamen tot anteà diris devoveras? Cogor hìc illam repetere, ut utriuſque collatio unà ſimul Lectorum oculis hæreat. Hæc ex Noriſio recitabas: *Rurſùs ſciendum eſt aliquas propoſitiones æquivocas modò ab Eccleſiâ rejici: modò approbari. Hoc oſtendimus lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 20. de illâ propoſitione:* Unus è Trinitate paſsus eſt, *quam Hormiſdas rejecit; at Joannes II. Vigilius, ac Synodus V. uti Catholicam definiverunt. Etenim in ſenſu Eutychianorum damnata fuit, quaſi Verbum in naturâ divinâ paſſum diceretur.* Nec linea fingi poteſt, quâ utriuſque veſtiûm pronuntiata diſcriminentur. Ille tradit aliquas *propoſitiones æquivocas* in uno ſenſu ab Eccleſiâ rejici, uti propoſitio: *Unus è Trinitate paſſus eſt*, ab Hormiſda rejecta fuit; nempè *in ſenſu Eutychianorum damnata fuit.* Tu verò ſcribis eam propoſitionem *ambiguam fuiſſe, & in Eutychianorum ſenſu omnino hæreticam.* Ergo illi ſimiliter loqueris; omnis enim hæretica Eutychianorum propoſitio damnata eſt ab Eccleſiâ. Ille aſserit eandem theſim in diverſo ſenſu eoque Catholico à Joanne II. ac Vigilio approbatam fuiſse. Tu concedis eandem *in Catholico ſenſu intelligi poſſe.* In hoc ergo ſenſu, *diverſo tamen à ſenſu Eutychianorum*, uti ſcitè loqueris, ab Apoſtolicâ Sede probari potuit. Eſtne ovum ovo, aut lac lacti ſimilius? Hinc aerem verberas, cùm magno verborum ſtrepitu clamas eâ Noriſii ſententiâ Eccleſiæ in dogmate fidei definiendo infallibilitatem oppugnari. Nam nunquam ille aſseruit Eccleſiam aliquam propoſitionem univocam, in eodem ſenſu acceptam, modò approbaſse, modò damnaſse. Verùm juxtà diverſam notionem cujuſpiam propoſitionis æquivocæ id de facto contigiſse monſtravi. Plura in hanc rem exempla addeoſat V.C. Thomaſſinus lib. 3. de Incarnat. cap. 24. quod hoc titulo ſignatur: *Fides ſententiis, non verbis trutinanda.* Cùm Monachis Scythis à Dioſcoro, ac Triſolio objiceretur, theſim *de uno è Trinitate paſſo* à diſcipulo Eutychetis Act. 4. Synodi Calchedonenſis aſsertam fuiſſe, Ferrandus Diaconus in laudatâ ad Anatolium Epiſtolâ cap. 16. reſpondet: *Patres autem noſtri in Concilio poſiti, ſenſum loquentis, non verba conſiderantes, nec illum propter hanc ſententiam pronuntiare Catholicum, nec ipſam ſententiam Catholicis tunc inſerere propoſitionibus voluerunt, ne viderentur intellectum loquentis approbaſse potiùs, quam verba. Mirabiliter tamen Spiritus ſanctus poſteà fideles admonuit, etiam per hanc ſententiam revinci Eutychianos, in qua duarum plena eſt confeſſio naturarum.* Propoſitio juxtà verborum texturam, eadem omnino erat penès Eutychianos ac Catholicos, at alius apud iſtos ſenſus, alia apud illos notio atque intelligentia. Verba erant ambigua, vocum contextus verſatilis, utrique pedi recto, ac claudicanti aptus cothurnus. Hinc Dialectici ex Ariſtotele in Topicis, docent æquivoca priùs diſtinguenda eſse, quàm definienda. Quia quamvis verba ſint eadem, res tamen ſignificatæ diverſæ ſunt, uti diverſus quoque eſt earundem in mente conceptus. Contradictio autem eſt negatio ejuſdem de eodem ſecundùm idem, uti loquuntur Logici; neque hæc prolixiorem conſiderationem deſiderant.

N CA-

CAPUT II.

Scrupuli contrà Apologiam Monachorum Scythiæ ab Anonymo Scriptore inducti, evelluntur.

PRodromi Velitaris, id eſt, levioris armaturæ militis incurſionem contrà ſcriptam ab Henrico Noris pro Monachis Scythiæ Apologiam, eâ præſertim parte repreſſi, quâ hìc læſæ infallibilitatis Eccleſiæ in decretis fidei condendis, reus traducebatur; cùmque velitibus depulſis, haſtatos, atque etiam triarios pugnam excepturos ſuſpicarer, improvisò neſcio quis larvatus ingenti ſcrupulorum acie ſtipatus, certamen dudum intermiſſum inſtaurat, inclamans laudatam Noriſii apologiam Eccleſiæ infallibilitati injuriam eſſe ac obnoxiam. Enimverò quò inſtitutæ abs ſe accuſationis invidiam declinare videatur, palàm denuntiat, ſe eos tantùm Romanis Cenſoribus ſcrupulos proponere, quibus ſemet in Noriſiani voluminis lectione pungi, ac ſtimulari perſentit. Ita æqui ac modeſti animi vir acerbiſſimam accuſationem mitiori ſcrupulorum nomine incruſtat, & quò licentiùs eandem intentet, ut Facundi Hermianenſis in Africâ Epiſcopi lib. 10. cap. 7. verbis utar, *alienorum dictorum ſcrupuloſiſſimus ac calumnioſiſſimus diſcuſſor*, nullis interim conſcientiæ ſcrupulis perſtringitur, dum civilium Magiſtratuum, ac Eccleſiæ decretis contemptis, libellos ſine Superiorum permiſſu, furtivis typis procudere, ac in vulgus quaquaverſùs ſpargere non veretur; imò eoſdemmet libellos ſupremis Romanæ Inquiſitionis Cenſoribus nuncupare, id eſt, in ipſorum judicum oculos conjicere, tam ſcrupuloſam, quam jactat, modeſtiam nec piget, nec pudet. Profitetur ſemet ſcrupulorum aculeis perſtringi: quibus tamen veluti trabalibus telis qualemcunque Noriſii æſtimationem confodiat, eumque gradu dejectum, in ordinem redigat. Haud tamen animum induxi, magnum ſtudium, multamque operam in rem ex deſcriptâ ſuperiori Diſſertatione totius controverſiæ hiſtoriâ, clariſſimam ac notiſſimam conferre, ne ferram, ut Tertulliani verbis utar, per eandem lineam fruſtra reciprocem. Hinc ſcrupulorum ſpinas, quibus bonus hic vir ſe pungi lamentatur, extremis digitis, ordinatim ac diligenter, & ut argumento operis congruentiùs loquar, ſcrupulatim evellam, & ne quandoque malo fato repullulent, radicitùs extirpabo.

§. I.

ANONYMUS.

„ SEdente S. Hormiſda (fuit hoc initium ſæculi „ ſexti) Scythæ quidam Monaſtico habitu Con„ ſtantinopolim venerunt, illicque tum ſuæ provin„ ciæ Epiſcopos, tùm verò Catholicos alios hæreſis „ accuſabant, qui nollent ad fidei profeſſionem à „ Synodo Calchedonenſi conſtitutam, iſta verba addere: *Crucifixus eſt unus de Trinitate.* Tum narrat Monachos à Legatis Pontificiis, & à Patriarcha repulſos, Romam perrexiſſe, ut Pontificiâ auctoritate ea propoſitio profeſſioni fidei adjiceretur. Hormiſdas Legatorum è regiâ Urbe reditum opperiendum duxit, priuſquam cauſa judicaretur. Monachi diuturnioris in Urbe moræ pertæſi, inde aufugerunt. Hormiſdas eorum temeritati indignatus, in Epiſt. 70. acerrime eoſdem redarguit. Hæc ille; recitans teſtimonia ex laudatis Hormiſdæ literis.

RESPONSIO.

EQuidèm factum ſcitè deſcribis. At ſtatum præcipuæ controverſiæ neutiquam aſſequeris. Ea autem erat, *num Chriſtus dici poſſet unus de Trinitate.* Illa altera propoſitio *de uno è Trinitate Crucifixo*, priorem illam conſequebatur. Lege caput IV. prioris Diſſertationis. Dioſcorus Legatus Pontificis in Suggeſtione, quæ poſt Epiſt. 67. Hormiſdæ legitur, ſcribit Victorem Diaconum à Scythis Monachis hæreſeos inſimulatum, ſe coram ac collegis, necnon Joanne Patriarcha auditum, qui cum quatuor Oecumenicas Synodos admittere profiteretur, *Scythæ*, inquit Dioſcorus, *è contrà inchoaverunt dicere: Addatur & unus de Trinitate. Nos è contrà diximus. Quod non eſt in quatuor Conciliis definitum, nec in Epiſtolis B. Papæ Leonis, nos nec dicere poſſumus, nec addere.* Interim diſce primò illi judicio Monachos non ſtitiſſe veluti reos aſſertæ cujuſpiam propoſitionis hæreticæ, ſed tanquam actores Victorem accuſantes. Prætereà diſce Legatos ac Patriarcham nequaquam eam Monachorum theſim damnaſſe, ſed ſolummodò recuſaſſe eandem in canones fidei referre, quæ una erat Monachorum inſtantia & petitio. Scrutare omnia eâ de re antiquitùs conſignata literis monumenta, nihil inſuper eo in judicio factitatum reperies. Hanc, quæſo, breviſſimam Judicum ſententiam in memoriâ habeto; nam ejuſdem poſteà repetitione graviorem tibi ſcrupulum evellam.

§. II.

Quid de his ſenſerint noſtrorum temporum Scriptores Catholici?

ANONYMUS.

„ EOs Baronius, Noriſio teſte, appellat Pſeudo„ monachos, verſipelles, impios, &c. Signis „ deniqne haud obſcuris, & argumentis minimè du„ biis compertos, ait fuiſſe Eutychianos hæreticos: „ ita tamen ut ſpeciem præſeferentes Orthodoxorum, „ ipſum Eutychetem cum ſuis ſectatoribus oppugna„ re videri voluerint &c.

„ Bellarminus de Joanne Maxentio Scytharum ſyn„ cello hæc ait: *Neſtorianos ita refellit, ut ad Euty*„ *chianos declinare videatur.* Addit eadem tradere „ Collectores Bibliothecæ Patrum, ac Binium, & „ Labbeum pariter Collectores Conciliorum.

RESPONSIO.

QUintilianus lib. 5. Inſtitut. cap. 7. ait: *Aliquando utrinque ſunt teſtes, & quæſtio ſequitur, ex ipſis utri meliores.* Equidèm ſi compertos habuiſſes Scriptores celeberrimos, qui Monachos Scythas ab omni Eutychianæ hæreſeos notâ abſolvunt, nullam Noriſio dicam dixiſſes, meque tam copioſi ſcrupulorum lolii extirpandi labore, aut ut veriùs loquar, faſtidio liberaſſes. Da aures in ditionem meam.

Annus agitur centeſimus, ex quo Gabriel Vaſquez celeberrimus Theologus, in 3. par. S. Thomæ, diſput. 15. de Incarnatione, omnium primus ſtrenuam Monachis Scythis advocationem commodavit. Hæc initio ſtatim capitis 3. præfatur: *Placuit enim rem hanc non obiter, ſed accuratè examinare; tum quia ad hæc uſque tempora hiſtoria hæc obſcura ſatis, & Catholicis Viris* (quos inter te quoque eſſe intelliges) *parùm intellecta fuit.* Vin ſcire, quàm Vir in Patrum lectione

ne æquè ac in Scholaſticâ palæſtrâ verſatiſſimus, ſententiam poſt accurratum examen, pronuntiaverit? Auſculta. *Quod igitur*, inquit, *attinet ad ipſos Monachos, exiſtimo primùm, eos non fuiſſe Eutychianos, unam tantummodò in Chriſto aſſerentes naturam, aut Deitatem ipſam paſſam fuiſſe, cùm oppoſitum in eorum ſcriptis appareat.* Quod cùm clariſſimè ex eorundem libellis demonſtraſſet, num. 44. ait: *Qua igitur ratione dicemus eos Eutychianos fuiſſe?* Et num. 63. *Rationes verò allata cap. 2. quibus Cardinalis Baronius contendebat, Monachos illos verè fuiſſe Eutychianos, meo judicio id non probant.*

Chriſtophorus de Ortegâ alter ex eadem Societate Theologus, diſput. 1. de Incarnat. quæſt. 4. certam. 1. num. 3. cùm dixiſſet Monachos Scythas, ac Maxentium Eutychiani erroris in tomo VII. magnorum Annalium incuſari, ait: *Eum Maxentium & Scythas Monachos apprimè eruditus Theologus Vaſquez ab omni ejus hæreſis ſuſpicione vindicavit.* Num homo Gallus Hiſpanos teſtes excipis?

En tibi duo præſtantiſſimi Scriptores, qui Theologiam dogmaticam nullo unquam ævo interituris voluminibus in Galliâ illuſtrarunt. Dionyſius Petavius omnium Scriptorum Societatis eruditorum judicio, princeps, tom. 4. Dogm. Theol. lib. 5. de Incarn. cap. 2. pag. 403. ſcribit: *Monachos illos Scythas, de quibus cap. 18. libri primi diximus, prorſùs Eutychianâ imbutos hæreſi fuiſſe, vulgò ſentiunt, præcipuè magno Annalium Scriptore. Sed qui profeſſiones fidei ab illis editas, ac cætera eorundem ſcripta, quæ extant, diligenter expenderit, nullum ibi veſtigium deprehendet hæreſis illius.* Ex recitatis teſtimoniis ex eorumdem libellis, ait: *Quocircà nihil in illorum facto, atque ſcriptis aliud culpes, niſi inconſultam rationem, ac præcipitem ardorem inculcandæ novitatis intempeſtivæ potiùs, minimèque neceſſariæ, quàm aut callidæ aut errore contaminatæ. Nam & Hormiſdas Papa in Epiſtolâ ad Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum, nullam aliam notam illis ſubſcribit, præter iſtam temeritatis, novitatis, contumaciæ, ac ſuperbiæ &c.* Præclariſſimi Auctoris volumina mole prægrandia, eruditione longè majora in doctorum hominum oculis, in ore famæ verſantur, in quibus unus tu hoſpes videris ac peregrinus; neque enim dubito, quin ſi hæc anteà legiſſes, non omnes ſtatim ſcrupulos exuiſſes.

Quartus teſtis idemque pariter in Galliâ occùrrit Ludovicus Thomaſſinus, tot editis de rebus Eccleſiaſticis itemque dogmaticis libris celeberrimus. Hic in Diſſert. XVIII. in Synodos, num. 10. ſcribit: *Quibus autem placebat*, unam de Trinitate perſonam *potiùs, quàm* unum de Trinitate, *dici Chriſtum &c.* ubi Vir eruditus ſtatum famoſæ quæſtionis expoſuit, quem Neuſſer penitùs ignoravit, hæc ait: *Porrò hinc quoque Hormiſdæ ſapientia admiranda impenſiùs venit, qui ſolam novitatem, & jurgiorum ſementem in hac propoſitione & ejus architectis averſatus eſt. Ex Maxentio enim, Ferrando, aliiſque ejus ævi ſcriptoribus exploratæ ſunt prælia tunc inter Catholicos ſuper hac re decertata; utriſque hinc & inde alias ex aliis diſtinctiunculas, ſenſuumque minutias comminiſcentibus, & implacata ferentibus jurgia.* Et paulò poſt: *Obſerva* (tecum loquitur) *hic autem hanc inter Catholicos hinc & inde homines exârſiſſe controverſiam &c. Catholicè utroſque de Verbi inhumanatione ſenſiſſe, de verbis altercatos eſſe; cùm huic propoſitioni alii ſenſus Catholicos illigarent; alii hæreticos ſubeſſe ſuſpicarentur; utriſque conveniret de ſenſibus Catholicis vel hæreticis, de eorum ad hæc verba alligatione diſconveniret.* Eſt hic liber editus Pariſiis Anno 1667. ſexennio priùſquàm Noriſius Pelagianam hiſtoriam evulgaret. Nihilne horum duodetriginta annorum ſpatio, Pariſiis intellexiſti? Idem Thomaſſinus de conſectariâ quæſtione, num unus è Trinitate paſſus ſit, prolixiùs ſcribit lib. 3. de Incarnat. cap. 14. ubi cùm utriuſque partis, nempè Monachorum Scytharum, & his adverſantium rationes diſcuſſiſſet, hæc num. IX. concludit: *Hæc ſumma eſt dubitationum rationumque, quæ Catholicos olim perdiu in inteſtina diſſidia convitiaque aſperarunt. Cùm enim una fides eſſet omnium, alii alios tamen ut hæreticos infamabant, quoſque ut Neſtorianos proſcindebant, ab iis viciſſim Eutychianiſtæ audiebant, non diſſidio fidei, ſed pacis & charitatis excidio.* Verùm hic nobilis Auctor plura te inferiùs docebit.

Produco quintum teſtem pariter ex Galliâ Duhamelium tom. 3. Theologiæ ſpecul. & pract. lib. 2. de Incarnat. cap. 3. ubi ait: *Hujus propoſitionis*. Unus de Trinitate eſt crucifixus, *non videtur ſubjectum ſimplex, ſed Deus ipſe jam homo factus. De hac igitur major olim orta eſt contentio, cujus auctores fuerunt Scythæ quidam Monachi, iique Catholici, Juſtini Imperatoris & Hormiſdæ Papæ temporibus.* Audiſtin' ut Monachos Scythas vocet Catholicos?

Sextus teſtis venit ex Lovanienſi Academiâ Chriſtianus Lupus, regius ac primarius Profeſſor, qui vaſtiſſimæ eruditionis titulo ubique literatarum gentium celebratur. Hic in notis ad Epiſtolas variorum Patrum, tom. 2. pag. 452. ait: *Etenim Joannis Maxentii ac ejus collegarum contrà quoſdam Acœmetenſis Cœnobii fratres acerba de iſto articulo, & quibuſdam ad eum ſpectantibus aliis, litigia turbabant omnem Orientalem Eccleſiam &c. Acœmetenſes Neſtorio, Joannes Maxentius putabatur adhærere Eutycheti.* Dein inferiùs cùm notaſſet theſim: *Deus eſt mortuus*, à ſanctis Patribus aſſertam fuiſſe, ait: *Ex hoc zelo, non ex Eutychiano ſpiritu, Joannes Maxentius in ſuis contrà Neſtorianos Capitulis ſcripſit: Si quis dicit, Chriſtum paſſum carne, Deum verò paſſum carne, dicere non acquieſcit, quod ipſum intelligitur Chriſtum paſſum carne, anathema ſit.* Ita vir doctiſſimus in Maxentio zelum Catholicum nullo Eutychiano ſpiritu infectum agnovit.

Extat Pariſiis vetuſtiſſimum Cœnobium S. Germani à Pratis, Congregationis Patrum Benedictinorum S. Mauri. In hoc ſcientiarum Atheneo viri doctiſſimi rei Eccleſiaſticæ eruditis libris illuſtrandæ, diurnam, nocturnamque operam impendunt. Nuſquam in uno agro Eccleſiaſticæ eruditionis meſſis aut lætior, aut copioſior efflorescit. Hos inter laudatur Dionyſius à S. Martha, qui nuperrimè nempè anno proximè elapſo 1694. vitam Caſſiodori Pariſienſibus typis edidit. Hic libro II. cap. 4. hæc ait: *Cependant certains Moines Scithes, QUI ETOINT ORTHODOXES, mais d'un eſprit un peu inquiet, s'entetèrent du têms de cet Empereur, de faire recevoir cette propoſition: Un de la Trinité à été crucifié dans la chair.* Cùm tamen Doctorem Sorbonicum vendites, de Monachis Gallicè teſtantem: *qui étoint Orthodoxes*, ullo ſinè interprete intelliges, nec opus erit adire Milphium, qui in Plauti Pœnulo tam bellum interpretem agit. Papè, ut hic teſtis in tempore venit! Cùm tu tot ſcrupulis pagellas illineres, ut Monachis Scythis Eutychianæ hæreſeos notam inureres, ac Noriſium eoſdem Orthodoxos aſſeverantem, in crimen vocares, eruditus Scriptor in regiâ Galliæ urbe in hac ipſâ causâ, tam ſplendidè Noriſio ſuffragabatur.

Adeſdum, homo ſcrupuloſe; paucis hîc te volo. Parvine ponderis tibi videntur ſeptem Scriptorum teſtimonia, quos inter Petavius, Vaſquezius, Thomaſſinus, ac Lupus? Hic mihi venit in mentem carminum Horatii apud Porphirionem.

Ciconiarum Rufus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior Plancis.
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.

Equidèm plures poteram teſtes appellare, & eos inter Doctorem Sorbonicũ, qui hanc controverſiam ſummâ, qua pollet eruditione, penitùs profligavit; ſed ne reponeres, hanc quoque Noriſii ſententiam, ab illo adoptatam fuiſſe, aliorum teſtimonia produxi. Probè noris teſtamentum ſeptem teſtibus obſignatoribus ratum, & omni fide dignum cenſeri. Putaſne, ſeptem Scriptores quorum quatuor magnarum gentium ſunt, in quæſtione facti nullam uni cuipiam ſententiæ extrinſecam, utì vocant, probabilitatem adjicere? *Eorum ergo appende ſententias. Nolo eſſe plures, ut eas te pigeat numerare. Sed non ſunt leves, ut eas dedigneris appendere; imò ſunt tam graves, ut te videam ſub earum onere laborare.* Quæ Auguſtini verba ſunt lib. 2. contrà Julianum cap. 10. Cur ergo uni Noriſio dicam dicis, cui cum tot Scriptoribus eſt cauſa communis? Ille longo licèt poſitus intervallo, eorundem veſtigia preſſit, acceptaſque ab illis voces fideli Echo reddidit.

Cùm ſcrupulorum paginulæ in ciſtâ diſtribuendarum per Urbem Epiſtolarum, ignorato delatore, repertæ, ullo ſinè portorio (quis enim ſcrupulos vel ſemiobolo redimeret?) iis quibus inſcriptæ fuerant, traderentur, unumque illarum exemplar Noriſio ab Illuſtriſſimo Viro oſtenſum fuiſſet, ille ſtatim calamum arripiens, unum & alterum verſum in priori albâ paginâ ſcribens, bonum ac ſimplicem Auctorem ad Vaſquezium ac Petavium remiſit, qui illi ſcrupulos evellerent. Hæc ubi Anonymus intellexit, aliam è veſtigio ſcriptiunculam ſubmiſit, in cujus titulo ſignabatur: *Reſponſio Henrici Noriſii, data die 11. Decembris 1694. ad libellum, cui titulus eſt: Scrupuli Doctoris Sorbonici ſuper Hiſtoriâ Pelagianâ &c.* Si mihi ulla fides, teſtor Noriſium non dico diem, ſed ne menſem quidèm ejus ſcriptæ abs ſe notulæ memoriâ retinere; neque enim tam facilem reſponſionem inter memorabilia, aut in diaria privata referri poſſe putavit. Enimverò noſter homo in eo reſcripto Vaſquezii ac Petavii teſtimoniis preſſus, huc, illuc ſe verſat, reverſatque, quouſque pag. 10. collecto veluti ſpiritu, hæc ſummatim fatur.

A N O N Y M U S.

,, ERgo ut rem in pauca contraham, hìc duæ poſſunt fieri quæſtiones, quarum altera Noriſii librum, altera ejus perſonam; hæc cauſam ipſius propriam, illa Romani cauſam Pontificis ſpectat. Prima, utrùm id quod modò dictum eſt, neceſſariò evidenterque ſequatur ex Noriſii doctrinâ? Altera utrùm idcirco vel Auctor, vel liber aliquâ notâ dignus ſit? Quid agit Noriſius? De primo ſolùm interpellatus, ad ſecundùm reſpondet cauſam aſſerens communem ſibi eſſe cum Vaſquezio ac Petavio. Atqui non id agebam, ut aliqua nota vel auctori, vel ipſi libro inureretur. Imò nec hoc quidem mea nunc intereſſe puto, utrùm vera, an falſa ſint quæ ſcripſit de Scythis Monachis; multò minus an eadem alii antè, vel poſt ipſum ſcripſerint. Hoc unum volui, approbato ejus libro, utì à Cenſoribus Pontificiis & Cardinalibus approbatum accepimus, approbari Cleri Gallicani doctrinam de fallibilitate Romani Pontificis, imò aliquid amplius. Hanc meam propoſitionem refellat Noriſius, & manus dabo. At quandiu non refellerit, quid mea refert, utrùm alios in eandem cauſam ſecum trahat? Pag. 10. examinis reſponſ. ad ſcrupulos.

R E S P O N S I O.

GRatulor, quòd Vaſquezio ac Petavio monitoribus, mitiorem ergà Noriſium ejuſque librum animum induiſti. Profiteris te neutiquam contendiſſe, *ut aliqua nota auctori vel libro inureretur.* Quorsùm ergo tot tandem ſcrupuli? Nonne initio ſtatim prioris opellæ pag. 4. conteſtabaris, abs te *ultramontano Doctore Cenſores Romanos admoneri de iis, quæ ſummi Pontificis Miniſter videtur ſcripſiſſe in præjudicium ſanctæ Sedis Apoſtolicæ?* Quæ ſi vera fuiſſent; Cenſores pro eâ fide ac obſequio, quo peculiariter Apoſtolicæ Sedi obſtricti ſunt, librum tam perniciosum, ac Pontificiæ auctoritati injurium unanimi ſtatim ſententiâ damnaſſent. Ciceronis verba ſunt in Oratione pro M. Cœlio: *Accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet.* An non omnes haſce accuſationis partes coram Cenſoribus contrà Noriſii librum adamuſſim implere pertentaſti? Crimen eſt, hæreticos à Patriarcha, à Legatis, à Summo Pontifice, ab Eccleſiâ Orientali & Occidentali damnatos, defendere. Hocce autem eſt crimen læſæ auctoritatis Apoſtolicæ Sedis in iis judiciis, quæ ad fidem pertinent. Quæ eſt ipſa finitio criminis ex Quintiliani documentis lib. 7. Inſtit. cap. 3. Tua verba ſunt pag. 4. par. 2. *Infallibilitatem Romani Pontificis Noriſianis aſſertionibus penitùs convelli videor mihi demonſtraſſe.* Porrò librum Noriſii tanto crimine notas, dum in titulo grandioribus characteribus ſcribis: SCRUPULI ORTI EX LIBRO. Et initio alterius partis, ais: *Scimus novos Cenſores deſignatos eſſe, ac ſententiam continuò dixiſſe, quâ dudum accuſatus is liber Noriſii, ne apice quidèm ſublato, approbatur, imò ſummis laudibus extollitur:* qui tamen, te cenſente, Romani Pontificis infallibilitatem convellit. Quæ autem argumenta profers non quidèm probabilia, ſed demonſtrationes à priori, ut inquiunt Logici, appellas: *Videor mihi demonſtraſſe.* Jactas pag. 7. *concluſionem legitimam atque ipſis oculis manifeſtam.* Pag. 8. *propoſitiones in antecedenti evidentiſſimè contentas.* Ita aggeras, oggeris, regeris argumenta firmiſſima, clariſſima, invictiſſima. Denique tot contrà Noriſii librum teſtes appellas, ut eorum verbis paragraphum ſecundùm ac tertium impleas. Qui ergo tam ſolicitè ac tam diffusè accuſationem contrà librum Noriſii omnes in partes extenderas, ubi primùm didiciſti Vaſquezium ac Petavium Scriptores celeberrimos eo in judicio Noriſiano volumini patrocinari, profiteris, non eo conſilio abs te accuſationem intentatam, *ut aliqua nota vel auctori, vel ipſi libro inureretur.* Mirus homo es, qui librum accuſas, ac nihil de eodem velis judices decernere. Quid tuis hiſce ſcrupulis à Cenſoribus poſtulas? Ut infallibilitas, inquis, Pontificis Maximi in rebus fidei ſarta tecta ſervetur. Benè ſactum. At enim, quæſo te, poteſtne illa illæſa judicari, Noriſii libro indemnato? Hoc planè pernegas. Liber igitur cenſorio ſtigmate ſignandus eſt, ne quid detrimenti Pontificia infallibilitas ejuſdem approbatione patiatur. At fortaſſis ita accuſas, ut velis

judices

Digitized by Google

judicés ſententiam ſuſpendere, *firmo*, utì dicunt, *remanente proceſſu?* Næ tam parvi fieri vis in judicio demonſtrationes, quas *evidentiſſimas* contrà eam Noriſii ſententiam temet producere profitebare, ut nihil apud judicea potuerint comprobare? Ridiculus planè fierem, ſi diutiùs tuis hiſce antilogiis confutandis, inſiſterem.

A N O N Y M U S.

,, AT negabit Noriſius in ſuâ horumq; Theologo-
,, rum doctrinâ contineri tres à me allatas pro-
,, poſitiones. Debuerat hoc ſacere unicum ſuæ de-
,, fenſionis caput: in id oportebat eum totum incum-
,, bere, ut luce meridianâ clariùs demonſtraret, ni-
,, hil planè ex ſuâ doctrinâ inſerri poſſe contrà aucto-
,, ritatem ſanctæ Sedis. Pag. 6. examinis &c.

R E S P O N S I O.

PRofectò luce meridianâ clariùs demonſtrabo, quantum luminis defectum paſſus fueris in illis propoſitionibus contexendis, ita ut in ſcriptis eâ de re antiquiùs monumentis nil planè veri perſpexeris. Hoc priuſquàm oſtendo, velim abs te teſcire, num Vaſquez, num Petavius, num Thomaſſinus, qui Monachos Scythas ab omni Eutychianæ hæreſeos notâ immunes pronuntiarunt, ſubodorati ſint, illorum defenſione Pontificiam infallibilitatem impeti, ac infringi? Si reapſe tantum abſurdi, utì putas, indè neceſſariò conſequitur, tardo illi, imbecilli, ac obtuſo ingenio, non verò, utì hactenùs audiverunt, acuto ac præſtanti fuiſſe dicendi ſunt, qui conſectarium illum errorem minimè adverterint. Id autem monſtro propius judicabitur. Nam Petavius Pontificiam auctoritatem contrà Salmaſium inſigni opere propugnavit. Thomaſſinus verò librum juſtæ molis in viginti diſſertationes digeſtum, elucubravit, in quo à capite ad calcem pro Apoſtolicæ Sedis infallibilitate demonſtrandâ, totis lacertis depugnans, ex rebus in Eccleſiâ quinque ſæculorum ſpatio geſtis, certiſſima Apoſtolicæ Sedis judicia inviƈtiſſimè demonſtravit. Hiccine tot eo in certamine palmarum pugil, dum Monachos Scythas fuiſſe Catholicos aſſeveravit, infallibilitatem Pontificiam convulſit, ac victrices palmas ſuamet dexterâ infregit, eâ in cauſâ turpiter prævaricatus, quam tanto ſtudio ac conatu defendandam ſuſcepetat? Imò ſcias Thomaſſinum acutiſſimi ingenii virum, ex ipſo Monachorum Scytharum facto, & ex ipſâ, quòd etiam atque etiam mirere, Maxentii invectivâ contrà Hormiſdam, Romani Pontificis infallibilitatem prævalidè demonſtraſſe. Contrahas licèt frontem, ac torvùm intuearis, recito teſtimonium viri doctiſſimi ex Diſſert. XVIII. in Synodos num. 7. *Quanti autem facerent Sedis Apoſtolicæ oraculum iſti Monachi, declarat idem mox Maxentius:* Pro hac ſolâ ſententiâ Scytharum Monachos conſtat ad Romanum fuiſſe profectos Epiſcopum &c. *Ergo Conſtantinopolim Romæ poſtpoſuerant, & tam longi itineris mariſque tædia pertulerant Monachi, Romæ quatuordecim menſes ſuſtinuerant, opperientes reſponſum, utique ut illi cederent. Quò ille enim alioqui labor?* Plura ibidem eam in rem proſequitur, ac ad oram marginis, quæ tuos oculos feriat, notam appoſuit: *Maxentius & Scythæ Monachi quanto in pretio habuerint oraculum primæ Sedis.* Si Cenſores te ad tribunal citarent, ac ex adverſo ſeſe judicio Thomaſſinus ſiſteret, nempè magni nominis ſcriptor, idemque infallibilitatis Pontificiæ inſigni opere defenſæ famâ inclytus: te contrà ſtante, non dicam obſcuri, ſed nullius nominis homine; atque ille è grandiori ſuo illo volumine graviter æquè ac conſtanter infallibilitatem Pontificiam à Monachis Scythis inſigni facto aſſertam, oſtenderet; tu verò è contrà ex tuis iſtis pauxillulis paginulis, quas tamen *primam partem* tomi contrà Noriſium deſtinati, nuncupas, *tres propoſitiones*, inde illas tuas *illationes ac conſequentias* objectares, ecquid judices deliberaturos exiſtimas? Hec tibi permoleſta, lepidâ quadam narratiunculâ mitigabo. Auctor eſt Valerius Maximus lib. 3. cap. 7. Marcum Æmilium Scaurum virum Conſularem, triumpho de Liguribus acto, ac cenſurâ geſtâ percelebrem, à Vario Sucronienſi obſcuri nominis viro judicio apud populum poſtulatum, hiſce tantùm varbis cauſam viciſſe: *Quirites, Varius Sucronienſis ait M. Æmilium Scaurum regiâ mercede corruptum, imperium P. R. prodidiſſe. Marcus Æmilius Scaurus huic ſe affinem eſſe culpæ negat; utri creditis?*

A N O N Y M U S.

,, SEd videat ipſe Noriſius quid loquatur. Quantò
,, enim plures erunt talis doctrinæ aſſertores,
,, tantò prævalebit opinio de fallibilitate Romani
,, Pontificis in materiâ fidei. Pag. 5. examinis &c.

R E S P O N S I O.

IMò tu videſis, qui & quæ loquantur; Inde enim diſces, quàm fallare infallibilitatem Pontificiam à tot præclariſſimis Scriptoribus lætam aſſerendo. Uſque adeo permiſcuit imis ſumma longus dies, ut unus tu videas, quæ viri eruditiſſimi acutiſſimâ, quâ valebant, oculorum acie penetrare non potuerunt? Agedum audiamus fortiſſimum, utì ſemel, & iterùm jactas, ſyllogiſmum, cujus fundamenta in hac propoſitione collocas:

A N O N Y M U S.

,, HOmines quos Epiſcopi ſui, deinde Primas,
,, poſteà Legati ſanctæ Sedis, ipſa demum
,, ſancta Sedes, uno verbo Romana ſimul & Græca
,, Eccleſia, auditis eorum ſermonibus, lectiſque
,, ſcriptis, cauſâ omni dudum & accuratè perpensâ,
,, unanimi ſenſu judicaverit hæreticos aut hæreſis
,, fautores: tales homines aſseri nihilominus poſsunt
,, non tantùm Catholici, ſed & defenſores Catholicæ
,, fidei, idque in eo ipſo puncto, in quo erraſse
,, ſancta Sedes & Eccleſia judicaverit. *Hæc ex pag. 4. Reſponſionis tanquam certa apud Noriſium recenſes;*
,, *dein pag. 7. ais:* Antecedentis partes ſingulas pro-
,, bavi tùm ipſis Noriſii verbis, tùm inſtrumentis
,, authenticis ab eo adductis. Conſequentia non ſo-
,, lùm evidens ſed penè ſynonyma eſt cum antece-
,, dente. Expectabam quid tandem reponeret Vati-
,, canus Probibliothecarius. Primò negaretne Scy-
,, thas damnatos fuiſse primùm à ſuis Epiſcopis, de-
,, inde à Conſtantinopolitanâ Eccleſiâ, ſimul ab
,, Apoſtolicis Legatis, ab ipsâ demum ſanctâ Sede?
,, At ipſe confeſsus eſt, & habemus eâ de re publica
,, documenta. Pag. 19. & iterùm pag. 4. examinis
,, &c.

R E S P O N S I O.

HOc eſt totius accuſationis compendium, hæc univerſæ criminationis ſumma, hæc omnium ſcrupulorum medulla. Porrò anceps hæreo, num vigil hæc monſtra literis conſignaveris; an potius mei me oculi fallant; adeo abſurda, falſa, & inania ſunt omnia, quæ coram hoc ſole evulgare nec

pudnri nec ſeligioni fuit. Faxo, cæteri intelligant, quos in errores tui te ſcrupuli præcipitem egerint. Uno hoc tamen laudandus venis, quòd nomen occultans, ſaltem pudori conſulueris. Quòd verò illa tua propoſitio in priori tuâ opellâ per partes abs te probatur, eaidem ſigillatim diſcutiam, ac majori qua potero, brevitate refellam.

§. III.

Quid de his Scythis jam olim ſenſerit Eccleſia.

A N O N Y M U S.

» PRimò Paternus Tomitanus Antiſtes, &
» comprovincialas Epiſcopi Scythas primi om-
» nium ſubodorati ſunt, ac cæteris cognoſcendos de-
» derunt. Ea propter accuſati ab iis fuere, velut
» Neſtorianæ hæreſis fautores. Iſti de ſuâ provinciâ
» Epiſcopos accuſant, inter quos eſt Paternus To-
» mitanæ civitatis Antiſtes. Omnes qui accipiunt
» Synodum Calchedonenſem, Neſtorianos dicunt,
» dicentes non ſufficit Synodus contrà Neſtorium.
» Suggeſtio Germani poſt Epiſt. 65. Hormiſdæ, &
» Suggeſtio Dioſcori per Eulogium poſt Epiſt. 67.

I.

Monachi Scythæ non fuerunt damnati ab Epiſcopis provinciæ.

NE quæſo graveris, me ductore, adire ad ſingula quæque Eccleſiaſtica tribunalia, in quibus Monachos Scythas hæreſeos damnatos arbitraris, & quidem tantâ certitudine, ut inde deſcriptam mihi proximè propoſitinnem citrà omne dubium aſſeveraveris. Videamus quid in Scythiâ contrà Monachos decretum fuerit, quæve de iiſdam habita ſint ab Epiſcopis judicia: *Hæc*, inquis, *ſcribit Germanus cum collegis Legatis ad Hormiſdam: Iſti de ſuâ provinciâ Epiſcopos accuſant, inter quos eſt Paternus Tomitanæ civitatis Antiſtes. Petitiones obtulerunt, & coacti piiſſimi Principis, & Domini Vitaliani Magiſtri militum juſſione, frequenter ad audientiam cauſæ convenimus &c.* Intellexiſtin' quid Legati ſcribant? *Iſti*, inquiunt, *de ſuâ provinciâ Epiſcopos accuſant.* Ergo, inquis, Epiſcopi damnarunt Monachos utì hæreticos aut hæreſis fautores. Hæc tua acuta eſt *illatio*, & neceſſaria *conſequentia*! Monachi, ò bone, erant actores, Epiſcopi rei; illi accuſabant; iſti verò judicio poſtulabantur. Monachi *petitiones obtulerunt* Legatis. Illi ergo judicium petierant contrà Epiſcopos. Paternus erat Metropolitanus Scythiæ, ac proinde non poterat in jus conveniri niſi apud Patriarcham aut Legatos Pontificios, utì reapſe apud eoſdem fuit à Monachis accuſatus. Tu verò actores mutas in reos; idem apud te eſt accuſare, ac damnari. Hac ſanè ratione cauſam in tuo foro, ac temet judice abſolviſti, Monachis hæreſeos condemnatis. Unum habes effugium, videlicet, ſi dicas Monachos in provinciâ ab Epiſcopis prædamnatos, ad Patriarcham ac Legatos poſteà appellaſſe. Hæc peracta primùm in Scythiâ condemnatio, & hanc ſubſecuta appellatio, unum te poſt annos 1174. auctorem habebit, ſinè ullo teſte, ſinè tabulis, ſinè ullo peracti judicii inſtrumento. Repones te id conjectari ex iis quæ poſteà Conſtantinopoli, ac dein Romæ contigere. Itane homo ſcrupuloſe, haud religioni duces, ex puris conjecturis, ac vaniſſimis ſuſpicionibus Monachos utì hæreticos Eccleſiaſtico judicio damnatos obtrudere? Præterea Legati ſcribunt Epiſcopos à Monachis accuſatos; quâ autem de re accuſati fuerint, non ſignificant, ut divinationi tantùm locus ſuperſit. Verùm ut accuſatio de hæreſi judicetur, verba Legatorum in unâ Epiſtolâ, & verba unius Dioſcori in alterâ in unum teſtimonium coactas, quo Epiſcopi à Monachis Neſtorianiſmi poſtulati eſſe videantur. Hoc planè eſt Lectoribus fallacias facere, ac præſtigiis illudere.

II.

Monachi non fuerunt hæreſeos damnati à Patriarcha.

QUid in judicio coram Joanne Patriarcha peractum fuerit, narrat Dioſcorus in literis ad Hormiſdam, quæ poſt Epiſt. 67. proximè leguntur. Scribit Monachos contentionem *de uno de Trinitate crucifixo: de Chriſto compoſito, aliiſque Capitulis*, cum Victore Diacono habuiſſe; additque: *Obtulerunt contrà ipſum libellum tam nobis, quàm Epiſcopo Conſtantinopolitano.* Itaque in hoc quoque judicio Monachi erant actores, & Victor reus. Eo in judicio, inquit Dioſcorus, *Prædictus Epiſcopus Synodum Calchedonenſem protulit: legit ante omnia quæ ſunt in eodem Concilio conſtituta, dicens:* Præter iſta nihil mihi adhuc dicatur. Qui ſequitur iſta, poteſt inter Catholicos eſſe. *Victor reſpondit:* Suſcipio ſimiliter & Epiſtolas S. Leonis, & S. Cyrilli Epiſtolas Synodales, quæ ſunt in Calchedonenſi Concilio allegatæ &c. *Scythæ è contrà inchoaverunt dicere:* Addatur & unus de Trioitate: *Nos è contrà diximus:* Quod non eſt in quatuor Conciliis definitum, nec in Epiſtolis Papæ Leonis, nos nec dicere poſſumus, nec addere. *Diſplicuit hoc dictum.* Habes ejus cauſæ cognitionem, atque latam in eadem ſententiam. Victor profeſſus Synodum Calchedonenſem, ab intentatâ accuſatione abſolvitur, ac Catholicus pronuntiatur. Monachi actores reclamant, admittendam pariter eſſe theſim *de uno ex Trinitate.* Inſtantia à judicibus non admittitur. Eodem, Amice, in luto hæres. Homo enim litigandi neſcius, forenſium cauſarum, ac tribunalium ignarus, judicia confundis, ſcribens Monachos à Patriarcha hæreſis damnatos. Erras. Illud fuit purum putum abſolutorium, non autem damnatorium judicium, in quo Victor ab illatâ hæreſeos notâ abſolutus fuit à Patriarcha, Monachorum memoratæ inſuper propoſitionis profeſſionem exigentium inſtantia repulſa. Hic autem mirari rursùs liceat tuas *illationes ac conſequentias* acutiſſimas. Eccum tuum enthymema: Patriarcha Victoram ab intentato hæreſeos crimine abſolvit; ergo Patriarcha judicavit Monachos hæreticos, aut hæreſis fautores. Ita ex tuâ Dialecticâ iterùm accuſator mutatur in reum, abſolvere perinde eſt ac condemnare, inſtantiam non admittere idem tibi videtur ac hæreſeos damnare. An hìc quoque finges in alio à recitato judicio Monachos à Patriarcha damnatos? Excute omnes ſcriptas eâ de cauſâ Epiſtolas, nuſqoam aut vola, aut veſtigium alterius peracti à Patriarcha judicii, aut latæ contrà Monachos hæreſeos convictos ſententiæ, apparebit.

Enimverò ſi accuratè & attentè, utì de his ſcripturum decebat, Dioſcori literas legiſſes, nuſquam imaginarium illud judicium à Patriarcha contrà Monachos pronuntiatum, finxiſſes. Appellas paginula 9. Suggeſtionem à Dioſcoro per Eulogiom ad Pontificem miſſam poſt 67. Epiſtolam Hormiſdæ. Eja age, legamus ab exordio Suggeſtionem, qua narrat, ſe literas accepiſſe: *in quibus*, inquit, *ſignificaſtis intentionem Monachorum Scytharum, & quomodo viſum fuerit Apoſtolatui veſtro Epiſcopo Conſtantinopolitano cauſam delegare, ut ipſe inter eos, & qui ab eis impetuntur, audiret.* Data eſt Epiſtola Idibus

Digitized by Google

Octobris Anno 520. Monachis Romæ quartum jam menſam agentibus. Quòd *illationes ac conſequentiæ* mirificè abs te laudantur, ut hac ſaltem amicâ tibi arta placeam, hocce ſormo enthymema: Hormiſdas Pontifex deliberaverat cauſam Monachorum delegare Patriarchæ C-P. igitur Monachi neutiquam fuerant hæreſis damnati ab eodem Patriarcha. Antacedens eſt Hormiſdæ teſte ejuſdem Legato Dioſcoro; conſaquentia in utroque foro eſt evidans. Nam ounquam delagatur cauſa Judici, à quo fuit reus antè damnatus, cùm factâ appellatione prior judex velut in reum damnetur; eſt enim appellatio *ſuffragium neceſſariæ defenſionis* Cod. Theod. *de Appellat.* L. 22. *& juris remedium.* L. 15. & *judicatum quod diſplicet, appellatio excludit.* Ibid. L. 5. *de juriſdictione.* Hinc in Epheſino latrocinio Elpidius Comes dixit: *Sacratiſſimus Imperator implens ipſe primùm ordinem legum, quarum eſt & inventor & cuſtos, præcepit eos, qui dudum judices fuerunt, in loco eorum eſſe qui judicandi ſunt.* Nam in retractorio judicio diſcutitur ſententia prioris judicis, à quo facta eſt provocatio. Cùm S. Athanaſius à ſententiâ Epiſcoporum Synodi Tyriæ & Antiochenæ ad Julium Pontificem appellaſſet, hic in Epiſtolâ ad Alaxandrinam Ecclaſiam de iiſdem Epiſcopis ait: *Ac proinde eos hortabamur, ut judicio ſe ſiſterent, & ſi poſſent, accuſationis cauſam certis documentis peragerent.* Itaque Monachi non fuerunt hæreſeos damnati à Patriarcha, aliàs Hormiſdaa nequaquam de illorum cauſâ dalegandâ cogitaſſet Patriarchæ longè illis ob factam appellationem infeſtiori. Verùm cùm in tot literis nuſquam mentio fiat appellationis, nulla planè intervenit; undè palam colligitur, Patriarcham nullo in judicio declaraſſe Monachos hæreticos aut hæreſis fautores. Et hi quidèm apud Hormiſdam conqueſti ſunt de Victore ab illatâ hæreſeos notâ à Patriarcha abſoluto, & iterùm cauſam Romæ diſcutiendam aſſe dicebant. Hæc non erat appellatio, ſed querimonia de ſententiâ Patriarchæ. Appellationis ac quærimoniæ diſcrimen habes in laudato titulo Cod. L. *Si nominatus.* Vide l. 17. ff. *de minoribus.* Hormiſdas Epiſt. 67. rogat Juſtinianum, ut impetret ab Imperatore, Romam dirigi Victorem, *cujus fidem*, inquit, *hi ipſi Monachi vehementer accuſant.* Quarè Monachi inſtabant, ut cauſa Victoris retractaretur, nec ullum verbum legitur de latâ contrà ipſolmet à Joanne Patriarcha ſententiâ. Videſna Victorem tanquam reum Romam evocatum; Monachos verò eſſa Romæ quoque accuſatores; ubi Victori probandum fuerat, Catholicam ſa fidem profiteri, nullo incumbante onere Monachis excutiendæ abs ſe hæreſeos notæ ſibi ipſis à Patriarcha judicio publico inuſtæ? Hæc ſi ſemel judicio tantùm non callido perpendas, nullus dubito, quin fateare, penes tua tantùm phantaſmata reperiri poſſa judicium, quod contrà Monachos hæreticos à Patriarcha C-P. peractum pronuntiaſti.

III.

Monachi Scythæ non fuerunt uti hæretici condemnati à Legatis Pontificiis.

A N O N Y M U S.

,, TErtiò. Legati Apoſtolici numero quinque,
,, viri omni exceptione majores, è quibus duo
,, ſanctitatis præcipuâ laude florebant, Scythas velut
,, Eutychianorum fœderatos anathemate perculerunt, de quibus ita ſcripſere ad Hormiſdam:
,, (Rogamus, ut conſuctâ cautelâ, & qua ſolet Do-
,, minus noſter vigilantiâ cogitetis, & quomodo ſu-
,, ſpendendi ſunt, qui à nobis taliter receſſarunt, &
,, à noſtrâ communione fuerunt ſeparati, & quid
,, eis reſpondeatur, vel quomodo eorum Capitula
,, repellantur; quia eos omnes Conſtantinopolita-
,, na exhorret Eccleſia).

R E S P O N S I O.

HÆc omnia dilucidè enarravimus cap. 5. Diſſertationis ſuperioris. Legati nullam ſententiam de hæraſi contrà Monachos pronuntiarunt, ſed tantummodò eorum inſtantiam rapulerunt, quâ contendabant, theſim *de uno ex Trinitate* libello profeſſionis fidei inſerendam eſſa. Voces *quomodò ſuſpendendi ſunt*, ex autographo Vaticano ibidèm emendavimus, reponentes: *ſuſcipiendi ſunt.* Non Legati Monachos Eccleſiaſticâ communione privarunt; ſed ipſimet Monachi ſimplici diſſociatione à Legatis ſemet ſepararunt, cujus diſſociationis citrà anathema exempla ibidèm laudavimus. Monachi quatuordecim circiter menſes Romæ degentes, cum Hormiſda Papa *communicaſſe* à Maxentio dicuntur. Et Pontifex Epiſt. 67. ſcribit: *Significamus Scythas Monachos allegaſſe plurima, quæ nos relinquere indiſcuſſa non poſſumus.* Eccleſia Conſtantinopolitana initio eoſdem exhorruit, non tanquam hæreticos, ſed utì hominas litigioſos, inquietos, & eò atiam moleſtiores, quòd non da re ipsâ, ſed de verbis tot inter Catholicos turbas excitabant; ſiquidèm ubi alii *unam perſonam de Trinitate* dicebant, illi *unum de Trinitate* tantâ obſtinatione aſſerendum eſſe contendebant, ut rafragantes Neſtoriani arroris inſimularent, utì diximus cap. 10 ejuſdem Diſſertationis. Quòd verò ad Legatorum Epiſtolam provocaſti: Videſis, an non Monachos ab hæreſi abſolvant: *Quia*, inquiunt, *& nos antè Imperatorem, & antè Senatum hæc indicavimus, dicentes: Extrà Synodos quatuor, extrà Epiſtolas Papæ Leonis, nec dicimus, nec admittimus; quidquid non continetur in prædictis Synodis, aut quod non eſt ſcriptum à Papa Leone, non ſuſcipimus.* En tibi ſententia illâ in cauſâ dicta à Legatis coram Juſtino Auguſto ac Senatu. Recuſarunt in fidai canones referre propoſitionem, *de uno ex Trinitate paſſo*, quod unum Monachi importuni, arrogantes, pervicaces, non tamen hæretici, urgebant. Addunt Legati; *Quoniam hæc illi nituntur aſſerere, eo modo ſibi ſatisfacere cupientes,* UT PROFITEAMUR ET DICAMUS unum de Trinitata paſſum eſſa, *quod nec Patres, nec Synodi dixerunt.* Hic totius arat ſtatus quaſtionis, controverſiæ cardo, ac litis conteſtatio. Una illa propoſitio in congraſſu Legatorum ventilata fuit. Monachi non tanquam cujuſpiam hæreſeos rei illi judicio ſtitere, ſed ut actores ac petitores. In judiciis reus debet judici ſatisfacere, ſive crimen diluendo, ut innocens abſolvatur; ſive convictus, admiſſi criminis pœnas dando. At enim eo in judicio Monachi volebant, ut Legati ſibi ſatisfacerent, profitentes, ac dicentes ſibi ſimiliter, *unum de Trinitate paſſum.* Hinc vides Monachos actores, Legatos verò non quidèm reos, ſed adverſarios contrà Monachos contendentes, ac conſtanter turbulentis, audacibus, temerariis, non autem hæreticis Monachis ſatisfacere negantes, in eâ propoſitione tanquam neceſſariò Catholicæ fidei dogmate, comprobandâ. Præterea Legati hæc ibidem Hormiſdæ ſcribunt: *Nobis quod viſum eſt ſcripſimus: in veſtrâ poteſtate eſt deliberare, quod vobis Deus imperaverit.* Significant quam ſententiam eâ in cauſâ tenuerint. Ipſam tamen cauſam

ex

ex integro Hormiſdæ judicio terminandam dimittunt. Non erat igitur ea cauſa de damnatâ quapiam hæreſi Monachorum, ſed de theſi adiaphorâ, quæ ex integro poterat ab Hormiſda, Deo inſpirante, diſcuti, ac definiri. Evaneſcit igitur hæreſis Monachorum à Legatis Pontificiis confixa. Nulla ibidem contrà eoſdem anathematum fulmina vibrata ſunt. Et à geſtis per Legatos, omnibuſque ſignatis eâ ætate tabulis excluſus, cogeris conjecturas aut longinquiùs arceſſere, aut de proximo, quòd eas mente tibi fingis, admovere, quò hæc tua opinio de Monachis Scythis à Legatis Pontificiis prædamnatis, tenui quadam veriſimilitudinis larvâ apud imperitos fidem inveniat.

A N O N Y M U S.

,, EQuidèm Noriſius teſtimonium rejicit Dioſco-
,, ri, quem licèt Hormiſdæ unicè carum ob re-
,, rum agendarum peritiam, ac doctrinæ copiam, at
,, conflato contrà Bonifacium ſchiſmate, *intrà paucos*
,, *dies*, ultore Numine, *ait fuiſſe extinctum*, *ut ex his*
,, *apertè intelligatur*, inquit, *quem hominem Monachi*
,, *accuſatorem habuerint*: Ipſa retuli verba Noriſii,
,, ſed quæ planè injurioſa ſunt Romanæ Eccleſiæ,
,, ſanctoque Agapeto, qui ſimul ac in Petri ſedem fuit
,, evectus, coacto eo fine Concilio, Dioſcori memo-
,, riam à calumniâ liberavit. Do verba Anaſtaſii in
,, Agapeto: *Hic in ortu Epiſcopatûs ſui libellos anathe-*
,, *matis, quos invidiæ dolo extorſerat Bonifacius à Pres-*
,, *byteris & Epiſcopis contrà canones contrà Dioſcorum*,
,, *in medio Eccleſiæ, congregatis omnibus, incendio con-*
,, *ſumpſit, & abſolvit totam Eccleſiam invidiâ perfido-*
,, *rum.* Ecce quo in numero Noriſius habet canonica
,, Eccleſia Romanæ ac ſanctiſſimorum ipſius Pontifi-
,, cum judicia. Dioſcorus S. Hormiſdæ unicè carus,
,, à S. Agapeto à calumniâ vindicatus, de Romanâ
,, Eccleſiâ cumulatiſſimè meritus, doctrinæ copiâ,
,, rerumque agendarum peritiâ inſignis, quia Scy-
,, thas accuſavit, homo improbus Noriſio, ac planè
,, ſceleſtus eſt: Scythæ verò ipſi à propriis Epiſcopis,
,, à Patriarcha, totâque Eccleſiâ civitatis Conſtanti-
,, nopolitanæ, à Legatis ſanctæ Sedis, ab Hormiſda
,, ſummo Pontifice, à Clero, populoque Romano in-
,, ter Eutychianos recenſiti, eoque nomine in horrore
,, habiti, homines ſunt in fide irreprehenſibiles, imò
,, ſanæ de Incarnatione doctrinæ vindices; quia Fau-
,, ſtum velut Semipelagianum habuerunt. Pag. 11.

R E S P O N S I O.

BEllè rhetoricaris: amplificas, exaggeras, ac verborum copiâ pagellam imples, cùm rebus deſtituaris, ita ut Laconicum illud tibi cogar reponere: *Nihil es præter vocem.* Ubi nam Dioſcorus *homo improbus ac planè ſceleſtus Noriſio eſt?* Tuas haſce voces reſorbe, ac à me rem teneto. Mortuo Felice IV. cùm major pars Cleri Romani Bonifacium II. elegiſſet, Dioſcorus homo Alexandrinus, multorum ſuffragia pecuniâ redimens, Pontificatum invaſit, quem tamen die 29. unà cum vitâ amiſit. Bonifacius mortuum in ſchiſmate Dioſcorum anathemati ſubjecit. Imperantis id temporis Juſtiniani teſtimonium in publico Edicto contrà tria Capitula produco: *Super hæc autem omnia quis ignorat ea, quæ noſtris temporibus in Eccleſiâ antiquioris Romæ contrà Dioſcorum acta ſunt? Qui cùm nihil in fidem peccaſſet, tamen propter ſolam Eccleſiaſticam ordinem poſt mortem ab eadem ſanctâ Eccleſiâ Romanâ anathematizatus eſt*, videlicet, *propter cauſam pecuniariam*, ut ibidem ſubjicit. Quæ etiam Benignus Epiſcopus Heracleæ recenſuit in Synodo V. Collat. V. pag. 481. ult. edit. qui addit: *Et hoc ſciunt omnes, qui degunt Romæ, & maximè qui in dignitatibus exiſtunt, qui etiam eidem Dioſcore communicatores permanſerunt uſque ad ejus mortem.* Itaque conſtat Dioſcorum ambitione ductum, malis artibus, ſchiſma conflaſſe, qui cùm die 29. extinctus fuerit, tam citam mortem Noriſius ultore Numine contigiſſe affirmavit. In tuis tantùm ſcriptis Dioſcorus *improbus ac ſceleſtus* legitur, cùm ea epitheta in libro Noriſii minimè appareant. Rursùs conſtat Dioſcorum poſt mortem anathemate damnatum fuiſſe. At Agapetus latum à Bonifacio deceſſore contrà illum anathema reprobavit, quòd Gelaſii Papæ ſententiam ſecutus, putavit non poſſe contrà hominem jam vitâ functum, anathema pronuntiari; cujus ſanè facti nullum anteà in Romanâ Eccleſiâ exemplum præceſſerat. Hic te volo, qui ais: *Ecce quo in numero Noriſius habet Canonica Eccleſiæ Romanæ ac ſanctiſſimorum ipſius Pontificum judicia.* Viden' uti tuos in caſſes temet inſcienter conjicias, quibus Noriſius nullatenus conſtringi poteſt, quippè qui hoc tantùm de Dioſcoro ſcripſit, conflaſſe ſchiſma, ac 29. die ultore Numine extinctum. Bonifacius II. cenſuit ſe poſſe Dioſcoro quamvis demortuo, anathema infligere. At Agapetus judicavit Dioſcorum jam defunctum, nullo poſſe anathemate percelli. Hinc Bonifacius damnat Dioſcorum. Illinc Agapetus Dioſcorum abſolvit. Qui Noriſium læſæ infallibilitatis Pontificiæ totâ opellâ inſimulas, ediſſere uter Pontifex erravit: damnans mortuum, an mortuum abſolvens? Tibi dicitur Dioſcorus *à S. Agapeto à calumniâ vindicatus.* Igitur calumniator tibi erit Bonifacius II. qui anathematis calumniâ mortuum Dioſcorum oneravit. An non tuiſmet retibus implicaris? I nunc, ac clama Noriſium protuliſſe verba, *quæ planè* (Hui, etiam *planè*!) *injurioſa ſunt Romanæ Eccleſiæ ſanctoque Agapeto.* O Superi mitem animum! Ecquænam horrenda Noriſius dixit? Dioſcorum, inquis, *conflaſſe contrà Bonifacium ſchiſmate intrà paucos dies ultore Numine fuiſſe extinctum, ut ex his apertè intelligatur, quem hominem Scythæ Monachi accuſatorem habuerint.* Nonne verum eſt Dioſcorum erogatâ pecuniâ, ſchiſma conflaſſe? An non pariter verum illum brevi extinctum, pœnas excitati ſchiſmatis dediſſe? Denique num æquè verum eſt ab hoc Dioſcoro Scythas Monachos apud Hormiſdam accuſatos fuiſſe? Unde, quæſo, unde ſcrupuli injuriarum eâ narratione illatarum Romanæ Eccleſiæ, ac S. Agapeto, tibi erumpunt? Unus tu ille homo es, qui ea tela contorques, quæ veritatis umbone repercuſſa, in tuummet caput impetu validiori reſiliunt. Agedum qui nobis narraſti damnatum anathemate Dioſcorum à Bonifacio Papa, eundemque à ſucceſſore Agapeto abſolutum, de quibus nec verbum quidèm fecit Noriſius, infallibilitatem Pontificiam in judicando contraria, illæſam oſtende. Unum huic profectò difficultati, qui eo in argumento unicè verſabare, verbum impendendum fuerat, qui tanto verborum apparatu contrà Noriſium declamabas. Scito illud judicium non pertinere ad dogma fidei, ſed ad diſciplinam. Scito eâ de re varias fuiſſe in Eccleſiâ ſententias. Scito denique Synodum V. poſt accuratam totius controverſiæ diſcuſſionem, damnato diu antè demortuo Theodoro Mopſueſtienſi, Bonifacii II. ſententiam approbaſſe, quam poſteà Romana Sedes contrà defenſores trium Capitulorum invictâ conſtantiâ defendit. Cantilena, quam recantas, de Scythis *à propriis Epiſcopis*, *à Patriarcha*,

à Le-

à Legatis Sanctæ Sedis &c. inter Eutychianos recenſitis, jam Lectoribus delicias dudum factas, inſtaurat.

I V.

Hormiſdas Pontifex nullius hæreſis Monachos Scythas damnavit.

A N O N Y M U S.

,, RESTAT audire S. Hormiſdam ſuo ac totius Ec-
,, cleſiæ nomine loquentem. (Et recitatâ parte Epiſtolæ ejuſdem 70. ad Poſſeſſorem, hæc addit)
,, Vos appello, Reverendiſſimi Cenſores, ex vobis
,, ſcire cupio, Catholicine, ac fidei vindices habiti
,, olim ab Eccleſiâ fuerint, quos (*en tertiò eadem can-*
,, *tilena*) ſui primùm Epiſcopi, deinde Conſtantino-
,, politana Eccleſia, ſimul Apoſtolici Legati, ipſe-
,, que ſummus Pontifex anathemate percellunt, ac
,, vitandos declarant, velut *Chriſtianorum omnium ad-*
,, *verſarios*, veneno *quod viſcera ſua penetravit* plenos;
,, *eò uſque tumoris elatos, ut ad arbitrium ſuum* (in
,, materiâ fidei) *utriuſque Orbis putent inclinandum eſſe*
,, *judicium*. Quis de Orthodoxis loquatur in hunc
,, modum? &c. Pag. 13.

R E S P O N S I O.

ROmani Cenſores, quos appellas, ſi quo te reſponſo dignarentur, mirari ſe dicerent, quòd res notiſſimas aut neſcias, aut certè diſſimules. Nam aliud eſt loqui Pontificem per reſcriptum privatum; aliud eundem ex Cathedrâ decernere. Hoc altero modo nomine totius Eccleſiæ loquitur. Illa ad Poſſeſſorem erat Epiſtola privata, quâ interroganti ſe Epiſcopo privatim reſpondit. Illa tamen Epiſtola ab universâ poſteà Eccleſiâ laudata eſt, ut patet ex literis Synodicis Epiſcoporum Africæ in Sardiniâ exulantium. In eâ verò Epiſtolâ nulla Monachorum hæreſis nominatur, nulla configitur. Sed turbulenti tantùm eorundem mores, novarum quæſtionum cupido, veterum Auctorum contemptus, genium inquietum, ingenium turbidum, ferox, ac violentum acri reprehenſione perſtringitur. Legerunt appellatam abs te Epiſtolam Theologi graviſſimi & eruditiſſimi, Petavius, ac Thomaſſinus, nullam in eadem hæreſim Monachorum damnatam adnotare potuerunt. Hæc Petavius lib. 5. de Incarnat. cap. 2. num. 2. ſcribit: *Quocircà nihil in eorum facto atque ſcriptis aliud culpes, niſi inconſultam rationem, ac præcipitem ardorem inculcandæ novitatis, intempeſtivæ potiùs, minimèque neceſſariæ, quàm aut callidæ, aut errore contaminatæ. Nam & Hormiſdas Papa in Epiſtolâ ad Poſſeſſorem Africanum Epiſcopum, nullam aliam notam illis ſubſcribit, præter iſtam temerariæ novitatis, contumaciæ, ac ſuperbiæ*; ac ſtatim laudata abs te Hormiſdæ verba recitat. Huic concinit Thomaſſinus Diſſert. 18. in Synodos num. 5. pag. 504. ubi non obiter, ſed accuratè hoc argumentum diſcuriens, ait: *Igitur à Poſſeſſore Epiſcopo Africano Conſtantinopoli agente, & à Monachis Scythis Romam profectis, eâ de re Hormiſda conſulebatur. Reſcripſit verò ille Poſſeſſori ea, quibus non falſam, ſed novam propoſitionem averſabatur: ejuſque vindices non ut errori, ſed ut curioſitati, & rixandi libidini implicatos objurgabat*; & pariter repetit fragmenta illius Epiſtolæ. Quis autem niſi ſtupidus auſit aſſeverare duos hoſce teſtes, qui in Patribus habitabant, & ex aſſiduâ illorum lectione ingentia volumina elucubrarunt, in laudatâ Hormiſdæ Epiſtolâ nullum damnatæ hæreſeos veſtigium obſervare potuiſſe, quam tamen nullius nominis homo circumſpectator, ut ait Plautus, cùm oculis emiſſitiis adverterit? Illoſne oculi, an intelligentia, an fortè fides defecit? Hi ſanè, quod Eccleſiaſticam eruditionem attinet, habent ſuffragium primæ ſententiæ, in quam tu quoque, ſi vis ſapere, raptim pedarius curras. Quòd ſi Hormiſdæ Epiſtolam, ut Auguſtini lib. 4. contrà Jul. oper. poſt. cap. 46. verbis utar, *non vis intelligere, aut ſi te fingis non intelligere; noli obſtrepere valentibus, ac volentibus intelligere.*

Monachi per menſes circiter quatuordecim Romæ degerunt cùm Hormiſda Pontifice communicantes; non ergo erant Hæretici. Hormiſdas Epiſt. 67. ſignificat Juſtiniano *Scythas Monachos allegaſſe plurima, quæ nos*, inquit, *relinquere indiſcuſſa non poſſumus.* Et paulò poſt: *In quorum allegationibus cum Legatis remeantibus, competenter fuerimus inſtructi, ſi quid reprehenſione dignum cognitio noſtra reperit, neceſſe eſt, ut circà eos teneamus Eccleſiaſticam diſciplinam.* Itaque Hormiſdas, priuſquàm Monachorum cauſam diſcuteret, Legatorum in Urbem reditum opperiebatur. Interim nondum ullâ ob hæreſim cenſurâ perculſi fuerant; hæc enim omnium maxima eſt, quæ *Eccleſiaſticæ diſciplinæ* rigore infligatur; quâ tamen diſciplinâ ſe uſurum dicit, ubi fortè in cognitione cauſæ Monachi erroris convicti fuerint. At illi ante Legatorum adventum, judicii petitione ultrò renuntiatâ, ex Urbe ſeceſſerunt ſinè ullo ab Hormiſda accepto reſponſo. Jam verò actor pleno jure poteſt ab intentatâ lite, ac petitorio judicio recedere. Illi tamen in culpâ fuere, quòd obligatam Hormiſdæ fidem infregerint, tumultum in plebe excitare conati fuerint, ac libellis Imperatorum ſtatuis affixis, contrà fuerint proteſtati. Fuga, Amice, non facit hæreticum. Quis enim S. Hilarium Arelatenſem, quòd contrà ſemet proximè proferendæ à S. Leone Magno ſententiæ, ſe arreptâ ex Urbe fugâ, ſubtraxit, hæreticum nuncupavit? Jam nobis ediſſere, quando, ubi, à quo Monachi pronuntiati fuerint hæretici? Quâ Vaticani parte anathematis fulgor intonuit, ac fulmen in Scythas decidit? At reclamas: *quos ſui primùm Epiſcopi, deinde Conſtantinopolitana Eccleſia, ſimul Apoſtolici Legati, ipſeque Summus Pontifex* ANATHEMATE *percellunt.* Liceat mihi Poetæ carmen invertere: 2. Metam. V. 308.

Undique das *tonitrus, vibrataque fulmina jactas.*

Sunt, ut Plinii voces lib. 2. cap. 43. reddam, *bruta fulmina & vana*; nempè hominis quaquaverſùm contrà Monachos anathemata fingentis inania phantaſmata.

Reponis Hormiſdam ex Apoſtolo 2. ad Timotheum cap. 3. vocare Monachos *homines ſui tantùm amatores, habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes; itaque eſſe vitandos.* Quæ verba inquis ab antiquis de hæreticis tantùm intelligi. Ita eſt. Sancti Patres paſſim ea verba prout jacent in laudatâ Epiſtolâ, de hæreticis intelligunt. Etenim Apoſtolus poſt peſſimas quaſque notas hæreticorum, vocat illos: *voluptatum amatores magis, quàm Dei: habentes ſpeciem pietatis &c.* & anteà illos dixerat *homines ſe ipſos amantes.* At cùm cæteras notas Hormiſdas omittat, non hæreticos, ſed viros Catholicos ſuæ tantùm opinionis amatores, ſpeciem quidèm pietatis in Monaſticâ tunicâ præſeferentes, ſed animo virtutibus vacuo, videlicet litigioſo, turbulento, præferoci &c. Ità eâdem phraſi uſus S. Proſper initio libri contrà Caſſianum ac ſectatores, qui erant planè Catholici, eoſdem dicit *habentes ſpeciem pietatis in ſtudio, cujus virtutem diffitentur in ſenſu.* Porrò Hormiſdas tradit Monachos *vitandos* non tanquam hæreticos,

ticos, ſed utì contentioſos, ſuiſque litigiis Catholicarum mentium pacem turbantes; quemadmodum idem Apoſtolus in priori ad eundem Timotheum Epiſtolâ cap. V. 11. ait: *Adoleſcentiores autem viduas devita.* Quo verbo haud illas hæreticas deſignavit. Non hac communi loquendi formulâ Pontifices hæreticos damnant, eoſque Catholicis vitandos jubent. Monachis non quidèm Scythis, ſed Scytharum in hac ipsâ causâ adverſariis Acœmetenſibus à Joanne II. damnatis, hæc de iiſdem Pontifex ſcribit Epiſt. 3. ad Senatores: *Acœmetas verò, qui ſe Monachos dicunt, qui Neſtoriani evidenter apparuerunt, Romana etiam eos damnat Eccleſia, à quibus vos propter canonem, qui cum excommunicatis Chriſtianum nec loqui, nec communicare permittit, diligentiâ paſtorali admonere non deſino, ut eorum etiam ſimplicem collocutionem vitetis, nihilque vobis cum eis æſtimetis eſſe commune.* Petavius loco mihi ſuperiùs laudato, attentè conſiderans damnatis Acœmetenſibus, probatam fuiſſe utì Catholicum dogma, defenſam à Monachis Scythis propoſitionem *de Chriſto uno ex Trinitate*, hæc ait: *Non eſt credibile Eutychianæ perfidiæ venenum ſub eâ latuiſſe.*

A N O N Y M U S.

„ AT quid diſputamus, utrùm Scythas pro hæreticis habuerit Hormiſdas, cùm ipſi ultrò Scythæ confiteantur eo ſe numero fuiſſe à ſummo Pontifice computatos: *Licèt eos,* inquit Maxentius, *publica veritatis conſcientia manifeſtè hæreticos non valeat accuſare* (Hormiſdas) *obliquè tamen & callidè hoc vult de eis intelligi &c.*

R E S P O N S I O.

UBi, amabo, eras, cùm tam præpoſterum judicium ex Maxentii reſponſione formabas? Maxentius contrà Hormiſdæ ad Poſſeſſorem epiſtolam infanda quæque per ſummam impudentiam eructans, cùm animadverteret, nuſquam ibidem Monachos utì hæreticos pronuntiari, unde vehementiori impetu Auctorem epiſtolæ invaderet, ſcribit, illum hæreſeos notam *non manifeſtè, ſed obliquè ac callidè* Scythis impegiſſe. Videſne ut tuomet jaculo ille tuus error de Monachis ab Hormiſda anathemate percuſſis, juguletur? Siquidèm ſi in eâ epiſtolâ palam anathemate afflati ſunt, manifeſtè ibidèm ut hæretici damnati fuiſſent; anathema enim in hæreticos publicè tales judicatos, emittitur.

A N O N Y M U S.

„ EX dictis hactenùs patet quemadmodum de tot tanque diverſis omnium Ordinum hominibus, qui ſive in Oriente ſive in Occidente Scythas Monachos viderunt, ſimul eorum ſcripta omnia perlegerunt, & curioſiùs collato cùm iis ſermone mentem ipſorum introſpexerunt, nemo non illos hæreticos pronuntiavit. Pag. eadem.

R E S P O N S I O.

QUæ tibi patent, cæteros latent. Imò ex hactenùs deductis, patet Monachos nec in Oriente, nec in Occidente, nuſquam gentium declaratos fuiſſe hæreticos. Hæc non vanis illationibus, & ductis de longinquo conjecturis, ſed ſignatis antiquitùs tabulis in tanto lumine collocavi, ut id tibi quoque jam patere poſſit, ſi tamen quandoque velis ſapere.

A N O N Y M U S.

„ DE Juſtiniano, quid reſpondere curem, nihil eſt; ſiquidèm Noriſius ipſe Juſtinianum fatetur à Papa perſtrictum eſſe quòd in causâ Scythicâ ſententiam mutaſſet. Pag. 15.

R E S P O N S I O.

EST quod te doceat Juſtinianus in Epiſtolâ, quæ præmittitur 66. Hormiſdæ. *Quidam*, inquit, *aſſerunt, Chriſtum Filium Dei Dominum noſtrum pro noſtrâ ſalute carne crucifixum*, unum de Trinitate *debere prædicari.* Hi erant Monachi Scythæ, quos ibidèm nominat, ac commendat Pontifici. Addit: *Quoniam verba videntur facere diſſenſionem: nam ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur.* Monachi dicebant: *Unus de Trinitate;* Adverſarii Monachorum dicere malebant: *Una perſona de Trinitate.* Idem Verbum Filius Dei Patris utrâque dicendi formulâ ab utriſque intelligebatur. Itaque lis tota hærebat in vocibus. At non voces; ſed interior intelligentia contrà fidem facit hæreticum. Scitè Hilarius lib. 2. de Trinitate: *Nomen nihil habet criminis, quod ſenſum non perturbat religionis.* Tune putas Monachos in quæſtione de nomine potuiſſe pronuntiari hæreticos, & anathemate fulguriri in Oriente & Occidente?

A N O N Y M U S.

„ AD Africanos in Sardiniâ exules mittunt Scythæ fidei profeſſionem, quam ſummè ſuâ intererat Catholicam inveniri, ut poſt anathema undique in ſe ſivè ab Oriente, ſivè ab Occidente vibratum, aliquos tandem communicatores invenirent. Afri Epiſcopi, qui de contentionibus in Oriente recèns exortis, nihil ſciebant, nec fraudem Eutychianorum ſub ambiguis vocibus latentem noverant, Monachorum ſcriptum probarunt; homines ipſos nec alloquti ſunt unquam, nec viderunt, tribus, opinor, exceptis qui literas deferebant. Quis conferat tale teſtimonium cum eâ nube teſtium ex utroque Orbe clamantium Scythas, quos ipſi viderant, audiverantque, eſſe hæreticos. Pag. 15.

R E S P O N S I O.

INjuriam Lectori facis, qui tam frequenter cantas, ac recantas: *Ab Oriente, ab Occidente, ex utroque Orbe.* Deſine jam tandem talibus. Veteres Aruſpices vani futurorum præmonſtratores, obſervabant, num fulmen à dexterâ, vel ſiniſtrâ potiùs parte decideret. Tu miſeros Monachos non ceſſas & ab Oriente & ab Occidente, dextrorsùs, ſiniſtrorsùs ex utroque Orbe anathematum fulminibus afflare. Nuſquam contrà illos tonuit ab Oriente; nunquam fulguravit ab Occidente. Verùm tuorum ſolummodò ſeſe invicem collidentium ſcrupulorum crepitacula contrà eoſdem inſonuere. Quæ de Africanis Epiſcopis dicis, te tranſmiſſæ ab illis reſponſionis neſcium oſtendunt. Nam ita illi ſcripta Monachorum probarunt, ut nullatenus tamen novam illam loquendi phraſim, pro quâ unâ recipiendâ Monachi tantas ubique turbas ciebant, admiſerint; ſed Hormiſdæ ſimiliter *pro uno* ex Trinitate, *unam perſonam* Trinitatis repoſuerint. Legeſis caput 7. noſtræ Diſſertationis hiſtoricæ, ac diſce quæ dicas. Scribis Afros Epiſcopos nihil ſciviſſe de contentionibus in Oriente recèns exortis. Erras. Nam iidem reſcribentes ad Monachos inſignem Epiſtolam Synodicam, cap. 17. recitant fragmentum Epiſtolæ Hormiſdæ, *quam*, inquiunt, *conſulenti ſe ſancto fratri, conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit.* Videſne illam Epiſtolam, in quâ, te interprete, Monachi Scythæ ab Hormiſda anathe-

anathamate percuſſi ſunt, notam fuiſſe Epiſcopis Africanis? At iſti cum plenâ ejus epiſtolæ notitiâ, cum Monachis & coràm, & per literas, utì patet, communicabant, ac proinde nulla ibidem anathematis fulmina contra Monachos coruſcarunt. Epiſtola Hormiſdæ ad Poſſeſſoré ſcripta eſt anno 520. Idibus Auguſti. Epiſtola verò Afrorum ſcripta eſt poſt mortem Hormiſdæ, quem *beatæ memoriæ Antiſtitem* ibidem appellant, ſed cùm adhuc dagerent exules in Sardiniâ, nempè anno 523. qui poſtremus fuit pontificatûs Hormiſdæ uti & exilii Epiſcoporum Africæ. Igitor iſti Patres ac Catholicæ religionis fortiſſimi Confeſſores, geſtorum in causâ Scytharum conſcii, optimè Hormſdæ epiſtolam ad Poſſeſſorem perſpectam habentes, cum iiſdem Scythis, ſeu eorundem ſociis, tanquam cum Catholicis, per literas communicarunt, ſecùs planè facturi, ſi in eâ epiſtolâ Scythæ hæretici pronuntiati fuiſſent, ac anathemate fulguriti.

Errorem errori accumulas, dum de Afris ſcribis: *Nec fraudem Eutychianorum ſub ambiguis vocibus latentem noverant.* Legiſtine unquam libellum à Monachis ad Africanos Epiſcopos miſſum? Quid clarius dici poteſt pro duabus in Chriſto naturis adſtruendis, quàm quæ Monachi illi cap. 2. 3. 4. & 5. nullâ ſinè ambiguitate fatentur? An non capite quinto, recipere ſe dicunt Concilium *ſanctum ac venerabile, quod apud Calchedonam celebratum eſt?* An non dilertè ibidem damnant *Eutychen, Dioſcorum, cum ſociis eorum, omneſque quos juſtè ac regulariter Sedes Apoſtolica condemnavit?* An non dicunt: *epiſtolas quoque beati Leonis amplectimur?* Ubi, ubi notas *fraudem Eutychianorum ſub ambiguis vocibus latentem?* Cùm Theodoretus Neſtoriani erroris ſuſpicione laboraret, in Act. VIII. Synodi Calchedonenſis, Patres ei dixerunt: *Dic apertè anathema Neſtorio, & qui ea, quæ ejus ſunt, ſapiunt.* Cùm ille aliquantiſper tergiverſatus, tandem dixiſſet: *Anathema Neſtorio*, ac profeſſus fuiſſet, ſe ſubſcripſiſſe epiſtolæ Leonis Papæ, Judices dixerunt: *Omnis iam dubitatio de Theodoreto reverendiſſimo Epiſcopo eſt ſoluta.* Et univerſa Synodus acclamavit: *Eccleſia Orthodoxum.* Enim verò Monachi ſcribentes ad Epiſcopos Africanos, anathema dicunt Eutycheti ac Dioſcoro: amplectuntur epiſtolas Leonis Papæ: duas in Chriſto naturas confitentur. Itaque de illorum fide Orthodoxâ *omnis jam dubitatio eſt ſoluta.* An fortè in illâ propoſitione *de uno ex Trinitate* obſervas *fraudem Eutychianorum ſub ambiguis vocibus latentem?* Audin' quid cap. 4. pronuntiant: *Hac de causâ Trinitas etiam poſt Incarnationis myſterium Trinitas manſit, quia idem Dei Verbum etiam cum propriâ carne*, UNUS EST EX TRINITATE. Et ſtatim: *Quapropter & Deum Verbum paſſum carne, & crucifixum carne, ſepultum carne ſecundùm beatum Cyrillum profitemur &c.* At Eutychiani dicabant Verbum non carne, ſed divinitate paſſum, teſte S. Felice Papa Epiſt. 5. ad Zenonem Auguſtum. Dicito ubi lateat fraus Eutychianorum? ubi lateant voces ambiguæ? Sed nondum errorum finis; ſiquidèm de Epiſcopis Africanis ſcribis: *Homines ipſos nec allocuti ſunt unquam, nec viderant, tribus, opinor, exceptis qui literas deferebant.* Qui res antiquitùs geſtas vetuſtis omnibus monumentis inconſultis, in literas mittit, is non hiſtorias, ſed fabulas narrat. Hinc haud miror, te hactenùs de Africanis Patribus tanta finxiſſe; ſiquidèm ſcripta eâ de re inſtrumenta, ac vetuſtos codices nec ſemel inviſens, omnia pro arbitrio fingis, ac refingis. Nam ſi legiſſes caput primum libri S. Fulgentii de Incarnatione & Gratiâ, quo unà cum collegis reſpondit Monachis memoratis, hæc tibi ſtatim in oculos incurriſſent; *Beatus frater noſter Joannes Diaconus à veſtrâ Societate directus, literas, nobis quas miſiſtis, habuit, quibus recenſitis, veſtram ſimul alacres & FIDEM cognovimus & ſalutem: imò in agnitione FIDEI veſtra nobis ſalus innotuit.* Africani Antiſtites qui literas receperunt, teſtantur unum Joannem ad ſe à Monachis miſſum. Tu ſcribis *tres* Monachos illam Epiſtolam ad Africanos pertuliſse. Potes quidèm ſcrupulos prout libet, prout lubet, multiplicare. At non potis es, ex uno tantùm homine tres homines facere. Interim videas ab Africanis Patribus commendari FIDEM Monachorum, quos tu & hæreticos, & multiplici anathemate damnatos obtrudis.

Denique concludis: *Quis conferat tale teſtimonium cum eâ nube teſtium ex utroque Orbe clamantium Scythas, quos ipſi viderant, audierantque, eſſe hæreticos?* Nullus profectò conferat iam ſplendidum tamque illuſtre Africanorum Antiſtitum teſtimonium cum eâ nube teſtium, quam tibimet in tuo cerebro addenſaſti. Teſtes clamantes hæreſim citaſti, apud quos ne ſemel quidèm hæreſis Monachorum auditur, utì locupletiſſimè demonſtravi. Tantos illos clamores *ex utroque Orbe* altiùs reſonantes, nec Vaſquez, nec Petavius, nec Thomaſſinus inaudiere. Aut illi extrà Orbem fuerunt; aut in hoc Orbe aurium uſum perdidere. Verùm cùm viri illi præſtantiſſimi in univerſo literario Orbe optimè audiant, tantus tibi jactatus clamor in imaginariis tantùm ſpatiis inſonuit.

§. IV.

Quid illi Scythæ de Hormiſda ſenſerint.

ANONYMUS.

„Videamus itaque, Maxentius & ſui quomodo „acceperint Epiſtolæ auctorem, quem, ta„tente Noriſio, ſciebant eſſe ſummum Pontificem: „*Certè*, inquiunt, *auctorem hujus Epiſtolæ hæreticum* „*eſſe, quiſquis ille eſt &c.* Tum Epiſtolam Hormiſ„dæ malignè interpretantes ajunt: *Nam & ipſi hæ*„*retici ad hoc ubique hanc ipſam Epiſtolam proferunt* „*&c.* Sexcentis in locis eum appellant *hæreticum* „*Neſtorianæ pravitatis fautorem &c.* Neque unius „dumtaxat Neſtorianæ hæreſis Summum Pontificem „accuſant, eum præterea Pelagianum eſſe conten„dunt his verbis: *Callidè tuam niteris occultare perfi*„*diam &c.* Pag. 16. 17.

RESPONSIO.

Sanctus Auguſtinus in libro contrà Donatiſtas poſt Collat. cap. 3. ſcribit eoſdem in magno illo congreſſu apud Carthaginem dixiſse, *nec cauſam cauſæ, nec perſonam præjudicare perſonæ: quod adversùs omnes humanas calumnias in ore habet univerſa Catholica Eccleſia.* Quàm procul abis ab hac ſententiâ, dum unius Maxentii verba omnibus Monachis Scythis adſcribis. Noriſius lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 19. de Maxentio ait: *Ego quidèm Scytharum Syncellitam non fuiſſe certum exiſtimo; ab illis enim ut extraneus loquitur in reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ.* Itaque nec cauſa, nec perſona Maxentii cauſæ aut perſonis Monachorum debet præjudicare. Unus Maxentius eam Hormiſdæ Epiſtolam oppugnavit, ac in ſingulari perſonâ ſemper ibidem loquitur. Tu eandem Epiſtolam ab omnibus refutatam pronuntias, dum ais: *inquiunt: appellant: accuſant: contendunt.* Peſſimam Maxentii cauſam cum Monachorum causâ communem facis, ac illius perſonam cum Monachis confundens,

unum

unum omnium os, eadem verba, idem crimen exhibes, ut cauſæ cauſa, & perſonis perſona præjudicet. Proximè unum Scytharum ad Africanos Præſules Legatum in tres multiplicabas; ac ſtatim unum Maxentium in Monachos plures diſpartis, ut univerſos unius crimine involvas. Quis unquam quæ ſcripſit Theodoretus contrà duodecim Capitula S. Cyrilli, imputavit Joanni Antiocheno, Cyro Tyrio, Helladio Tarſenſi aliiſque Epiſcopis Orientalibus, qui pariter Cyrilli Capitula averſabantur? Unius Theodoreti ſcripta in Synodo V. damnata ſunt, Joannes verò Antiochenus ſæpè ibidem laudatus eſt.

Itaque Monachos Scythas à Maxentio ſeparemus. Illi excluſi in Oriente, petitionem oblaturi Sedi Apoſtolicæ, Romam tranſmiſerunt, quo facto monſtrarunt ab unâ S. Petri Cathedrâ oracula de fide petenda eſſe. Quamvis verò Hormiſda cauſam comperendinante, morarum impatientes, indè receſſerint, nulla alia tribunalia adiiſſe leguntur, quòd ſciebant Sedem Apoſtolicam eſſe ſupremum Orthodoxorum tribunal. Et fortaſſis Româ aufugerunt, ſuſpicati Hormiſdam poſt adventum Dioſcori ipſis adverſantis, decreturum, illam loquendi formulam de uno ex Trinitate, ob vocem ambiguam, ac in uno ſenſu Eutychianis favorabilem, non debere à Catholicis uſurpari, ſed pro *uno*, eſſe *unam perſonam* dicendam, quemadmodum vox Chriſtipara ob Neſtorii hæreſim deſierat in Eccleſiâ uſurpari. Quod ſi ſemel contigiſſet, intelligebant cauſam ita fore deperditam, ut nullus ipſis locus futurus eſset reliquus, in quo retractatorium judicium perageretur. Sed mittamus haſce conjecturas, quibus in rebus adeò à noſtrâ ætate diſſitis, ac non multum cauſæ noſtræ neceſſariis, haud vacat indulgere.

Unus ergo remanet Maxentius Scytharum Monachorum advocatus, quo de homine quid Noriſius ſcribat, proximè intelliges. Ille quidèm quò liberiùs Epiſtolam Hormiſdæ impugnaret, finxit dubium ſe eſse, an illam Romanus Pontifex ſcripſiſset. Tu quidèm ſcribis: *Sciebat itaque Maxentius &c. Summi Pontificis Epiſtolam eſſe, quam refelleret: imò volebat à cæteris talem reputari.* Hoc alterum falsò aſseris. Nam Maxentius diſertè ſcribit: *Quomodo* Hormiſdas *non ſibi ipſi reperitur in hac Epiſtolâ ſcripſiſſe contraria? Si tamen non eſt (quod magis credendum æſtimo) ab hæreticis ficta.* Et inferius: *Unde quis facilè credere audeat, hanc à memorato viro (ut ſæpè diximus) directam Epiſtolam? Niſi fortè (quod de tanto Antiſtite credere importunum eſt) à memorato Dioſcoro poſteà depravatus, contrà ſuam ipſius ſententiam hæc ſcripſiſſe credendus eſt.* Quarè ita ſuſpenſo calamo de auctore Epiſtolæ ſcribebat, ut alteri potiùs quàm Hormiſdæ, eandem adſcribendam eſse putaret. At veritas non rarò invito auctore erumpit. Maxentius enim ibidem hæc ſcribit: *Sed abſit ut ex qualibet parte Catholicæ profeſſioni Romanus Epiſcopus contradicat.* Quâ propoſitione *nihil certius nihil conſtantius dici*, tradit Thomaſſinus diſsert. 18. in Synodos num. VII. ubi ex illo Maxentii dicto docet inferri: *Nunquam contigiſſe, nunquam fore, ut contingat, Romanum Epiſcopum à ſententiâ univerſæ Eccleſiæ deviare.* Hanc præclaram Maxentii pro Romani Pontificis in definiendis fidei dogmatibus infallibilitate ſententiam, non teſtimonii, ſed confeſſionis loco recipio. Haud tamen ex illâ reſponſione ad Epiſtolam Hormiſdæ Maxentius dicendus eſt hæreticus, quamvis Epiſtola hæreticè ſcripta ſit. Quis enim S. Cyprianum dixit hæreticum, cùm in Epiſtolâ ad Jubajanum tanta, ut ait S. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſ. con. Donat. cap. 25. *in Stephanum irritatus effudit?* Uno verbo, ut ab invidioſâ comparatione abſtineam, ſi Maxentius ea, quæ ibidem ſcripſit, obſtinatiùs defendit, nec meliori mente diſpunxit, homo planè ſchiſmaticus fuit: non tamen Eutychianus hæreticus, quod unicè Noriſius ſibi demonſtrandum eſſe putavit.

§. V.

Quid de illis Scythis ſtatuat Noriſius?

NOriſius lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 20. ſcribit: *Monet hoc loco gratitudinis officium, ut ſtylum ad alia properantem, parumper ſiſtamus, ac Joanni Maxentio, & Scythiæ Monachis ob egregiè Auguſtiniano nomini navatam operam, non modò grates referamus, ſed etiam vicem rependentes, Auguſtinianæ doctrinæ adversùs Fauſtum defenſoribus neceſſariam advocationem commodemus.* Quæ dicta ab Anonymo ſcrupuloſo in reprehenſionem vocantur.

ANONYMUS.

„ PRimùm quæro, Scythis illis quid Noriſius „ debeat, aut quale beneficii genus ab iis acce„perit? Non aliud certè quàm quod à Luthero & „ Proteſtantibus, qui pariter Auguſtinianæ doctri„næ defenſores ſe profitentur adversùs Papæ & papi„ſtarum errores. Pag. 28.

RESPONSIO.

PRæſentium intuitus, ac præteritorum memoria gratum facit, inquit Seneca lib. 3. de Benef. cap. 4. Noriſius cùm probè noſſet, quanto ſtudio ac ſolicitudine Petrus Diaconus cum collegis Monachis, ac Scythæ cum Maxentio pro S. P. Auguſtini doctrinâ contrà Fauſtum defendendâ, inſudaverint, ac dein adverteret eoſdem Monachos tanquam Eutychianos noſtro hoc ſæculo à nonnullis incuſari, aſſertæ olim ab iiſdem doctrinæ Auguſtinianæ memoriâ, ac nunc illis hæreſeos notæ intuitu, quòd eſſe, & haberi vult Auguſtinianus, pro S. Doctore defenſo, eorundem pariter Monachorum defenſionem ſuſcepit. Si quiſpiam patrem tuum ab hoſtium impetu defendiſſet, an non ille de te eſſet benè meritus, ita ut ingrati notam ſubires, ſi illi neſcio quo caſu periclitanti, quod facilè poſſes, ſubſidium denegares? Eccur S. Fulgentius doctiſſimus ejus ætatis Antiſtes Monachorum Scytharum patrocinium ſuſcepit? Audias à Chriſtiano Lupo Profeſſore regio Lovanienſi, in notis ad caput 17. Var. Epiſt. &c. pag. 138. *Fulgentius enim*, inquit, *omninò favebat iſtis Monachis: quòd ex pectore contrà Pelagianos agerent patrocinia divinæ Gratiæ.* Fulgentius eo in ſtadio Noriſio lampadem prætulit. Ecquid beneficii à Monachis accepere Vaſquez, ac Petavius, ut ſociatâ operâ, Monachos ab injuſtâ hæreſeos notâ vindicarent? Unius veritatis ſtudio illos ſibi defendendos eſse duxerunt. Noriſius & veritatis, & divinæ gratiæ, ac S. P. Auguſtini adversùs Semipelagianorum inſultus defenſi causâ, gratias ſe laudatis Monachis debere profeſsus, qualemcunque potuit, vicem rependit. Satin' hic tibi ſcrupulus exemptus eſt? Hæretici non ſunt Auguſtinianæ doctrinæ defenſores, ſed corruptores, ut præ cæteris Turrianus oſtendit in Confeſſione Auguſtanâ. *Quid autem in hoc miremur? Neque enim meliùs loqui potuit Auguſtinus, quàm Prophetæ, quàm Apoſtoli & Evangeliſtæ, quorum verbis ſimiliter malè intellectis, & incongruè adhibitis, tàm multi hæretici ſuos defendere conantur errores.* Verba ſunt Facundi Epiſcopi in Libro contrà Mocianum tom. X. Bibl. PP. edit. ult. pag. 109.

A N O N Y M U S.

„ UNdè enim habet Noriſius Maxentium & ſuos
„ veram & Catholicam Auguſtiniano dogma-
„ ti operam navaſſe, niſi ex eo libro, in quo apertè
„ pronuntiant Adverſarium ſuum, quem ſummum
„ Pontificem eſſe ſcirent, Pelagianæ perfidiæ eſſe
„ involutum erroribus, & ſuperbiſſimæ hæreſeos ſpi-
„ ritu animatum. Hos homines Noriſius Auguſtini
„ defenſoribus annumerat &c. Pag. 18.

R E S P O N S I O.

ILla indè habuit Noriſius, undè eadem celeberrimi Purpurati Patres, ac ſummi Scriptores acceperunt. Cardinalis Baronius *ex eo libro* hæc habet: *Quinam autem colligantur ex Fauſti duobus libris errores ſcriptis S. Auguſtini & ſententiæ Catholicæ adverſantes, tu videillos collectos à Maxentio* (attende, undè habet) *in reſponſione ad Hormiſdam Pontificem, ubi in pluribus Fauſtus declaratur hæreticus.* Ad annum 490. Undè habet Cardinalis Bellarminus in lib. de Script. Eccleſ. V. *Joannes Maxentius* de quo ait: *Fauſtum & Pelagianos egregiè refellit ex libri S. Auguſtini.* Undè habet Gabriel Vaſquez in 1. 2. diſp. 199. cap. 3. ſcribens: *Sententia Petri Diaconi, & Joannis Maxentii tàm in materiâ de gratiâ & libero arbitrio, quàm in damnandis libris Fauſti, magni momenti eſſe debet.* Et diſput. 190. cap. 8. num. 73. *Joannes Maxentius & ipſe in hac parte Auguſtinianus.* Et cap. 9. num. 86. ait: *Probatur primò ex Joanne Maxentio doctrinæ Auguſtini in hac parte ſtudioſiſſimo.* Et in 1. par. diſp. 89. cap. 1. de libris Fauſti ait: *Eoſdem damnat Joannes Maxentius in reſponſione ad Hormiſdam.* Et idem repetit cap. 4. num. 24. Undè habet Petavius, cujus verba, velis, nolis, perhonorifica de Maxentio exſcribo, ex lib. 13. de Incarnat. cap. 6. num. 8. *Falluntur autem* (horum unus tu quoque es) *qui Maxentium iſtum tanquam Eutychianâ infectum hæreſi culpant, ut ejus elevent fidem. Nam ut in eo minimè laudandus eſt, quòd adverſùs Romanum Pontificem contumaciùs ſe geſſerit: ſic illius hæreſis invidiâ, à qua* (audin') *longiſſimè abfuit, minimè onerandus eſt.* Et de Petro Diacono ſcribit tomo 1. lib. 10. cap. 16. num. 7. *Perſpicuum eſt illi Scriptori Auguſtinianam placuiſſe doctrinam.* Hos præclariſſimos Scriptores non teſtes meos produco, ſed appello contrà te judices, ut illis, quam inaudiviſti, ſententiam pronuntiantibus, mutire, ac ne hiſcere quidèm contrà debeas. Priuſquàm ad acerbiſſimam accuſationem tranſeo, inſignis error, quem admiſiſti, mihi emendandus venit. Nam putas ex ſolâ reſponſione Maxentii ad laudatam Epiſtolam Hormiſdæ Noriſium intellexiſſe Scythas veram & Catholicam Auguſtiniano dogmati operam navaſſe. Erras. Illa reſponſio unius Maxentii opus eſt, hominis à Monachis extranei, ſaltem uti Noriſius arbitratur. Nihil cum illâ Monachis eſt. Hi collatâ operâ librum *de Incarnatione & gratiâ* accuratiſſimè elucubratum, ad Epiſcopos Africanos in Sardiniâ exules tranſmiſerunt. In tribus ultimis ejus libri capitibus œconomiam divinæ gratiæ exponunt, ac Semipelagianorum præcipuè errores refellunt, & in fine damnant *libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, qui de Monaſterio Lirinenſi provectus eſt.* Hujus rei narratio à Noriſio prolixè deſcribitur, ac lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 18. utranque paginam implet, ut non poſſim non mirari, te nihil horum vidiſſe eo præſertim loco, ubi verſus, imò ſyllabas in examen ſeverus cenſor vocaſti, ut ubique copioſior tuorum ſcrupulorum ſeges exſurgeret. Hic eſt ille Monachorum Orientalium liber, quem tu §. 3. pag. 15. profeſſionem fidei Scytharum appellabas, & à tribus illorum Legatis ad Africanos Epiſcopos miſſum dicebas, quemve Afros Epiſcopos vocum ambiguitate deceptos, probaſſe autumaſti. Per tuam te fidem, obteſtor; legiſtine hunc Monachorum librum? Si legiſti, cùm ibidem univerſa divinæ gratiæ doctrina contrà Pelagianos eorumque reliquias, juxtà S. Auguſtini ſententiam, explicetur, quâ confidentiâ objicis Noriſio, quòd ex ſolâ reſponſione Maxentii ad Epiſtolam Hormiſdæ, habeat, Monachos veram & Catholicam Auguſtiniano dogmati operam navaſſe? Sin autem librum illum ne quidèm ſemel vidiſti, cur audes aſſeverare in eodem *fraudem Eutychianorum ſub ambiguis vocibus latentem?* Viden' qualis homo ſis! Judicas de incognitis: quæ cæteris ſunt cognita, neſcis. Diſce tandem, undè ea habuit Noriſius.

A N O N Y M U S.

„ HOs homines Noriſius Auguſtini defenſoribus
„ annumerat, proque Petri ſucceſſore hære-
„ ſis Pelagianæ damnato, gratiam ſe debere profite-
„ tur: adeò ut non poſſint non eſſe Catholici qui-
„ cunque pro Auguſtino, etiam contrà Sedem Apo-
„ ſtolicam inſurgunt. Pag. 18. 19.

R E S P O N S I O.

MEmento laudatæ mihi Auguſtinianæ contrà Donatiſtas ſententiæ: *Nec cauſa cauſæ, nec perſona perſonæ præjudicet.* Ne, quæſo, Monachos, horumque cauſam cum Maxentio ſuam peſſimè cauſam defendente, confundas. Noriſius inter S. Auguſtini defenſores numerat eos Monachos, qui ſummum ergà Sedem Apoſtolicam obſequium palam conteſtantes, hæc ad Africanos Epiſcopos cap. 5. memorati libri ſcripſere: *His adjicientes Eutychen, Dioſcorum cum ſociis eorum, omneſque, quos juſtè ac regulariter Sedes Apoſtolica condemnavit.* Videſne, uti Apoſtolicæ Sedis judicia contrà Eutychianæ hæreſis Principes ac ſectatores venerentur, atque defendant? Quantùm verò in controverſiis de divinâ Gratiâ Apoſtolicæ Cathedræ decretis iidem detulerint, palàm faciunt capite ejuſdem libri octavo, hanc ex ſubjectis S. Cœleſtini Papæ Epiſtolæ capitulis, ſententiam repetentes: *Satis ſufficere credimus quidquid ſecundùm prædictas regulas Apoſtolicæ Sedis nos ſcripta docuerunt, ut prorſùs non opinemur Catholicum, quod apparuerit præfixis eſſe ſententiis contrarium.* Poteratne expreſſiori aſſeveratione ſuum ergà Apoſtolicam S. Petri Sedem, ejuſque ſucceſſores obſequium profiteri? Damnant cum Sede Apoſtolicâ omnes Eutychianos, ac Pelagianos. Damnant tanquam non Catholicum quidquid ſtatutis ab Apoſtolicâ Sede regulis contrarium appareat.

Scribis: *Proque Petri ſucceſſore hæreſis Pelagianæ damnato, gratiam ſe debere profitetur.* Equidèm Noriſii vicem etiam atque etiam doleo, cùm videam illum abs te tam gravi, tamque nefario crimine onerari, ut illi expiando, nedum editi ab ipſo libri proſcriptio, ſed nec ejuſdem combuſtio ſufficeret. Uni tibi nomen tuum occultanti impunè licèt viro innocenti, adeò iniquo ac impudenti mendacio calumniari. Hæc de Maxentio Noriſius ſcribit lib. 2. cap. 19. *Undè omni prorſùs modeſtiâ depoſitâ veluti in hæreticum furibundus inſiliens, mille conviciorum plauſtra evomuit,* nempè in Hormiſdam Pontificem. Item:

Inſimulare Pontificem homo petulantis ingenii non vere-tur, quaſi Pelagio occultè faveret? verba Maxentii ſunt abſynthio amariora. Præterea: *Sed perperam tantum blaſphemiæ Hormiſdæ objicit.* Et rursùs: *In quo etiam veteri ſe vitio teneri Maxentius oſtendit.* Denique ait: *Verùm quòd ex S. Auguſtini dictis in eo libello Fauſtum confutavit, hoc* UNICUM *encomium à poſteris habuit.* Hoccine, mi homo, eſt *pro Petri ſucceſſore* Hormiſdâ *damnato, gratiam ſe debere profite-ri?* Si te in præſentia tam falſam calumniam Noriſio importantem, dicerem *omni depoſitâ modeſtiâ furi-bundum; hominem petulantis ingenii; ac tibi verba omni abſynthio amariora, ac tantùm blaſphemiæ, ac vetus vi-tium* objicerem, putareſne à me tibi gratias referri, ac tot convicia in gratiarum parte reponeres? Noriſi-us ſcripſit Maxentium ſolummodò ob Auguſtinianam doctrinam defenſam, à poſteris laudari, uti ex Baro-nio, Bellarmino, Vaſquio, ac Petavio proximè intel-lexiſti. Quòd verò doctiſſimos Cenſores ſubinde compellas, temet eorundem judicio ſiſto, ac manife-ſtæ in Noriſium calumniæ reum poſtulo, dum audes coram hoc Sole eidem objicere, quòd *pro Petri ſuc-ceſſore hæreſis Pelagianæ damnato, gratiam ſe debere pro-fitetur.* Hæc tam falſa, tam acerba, tamque im-pudens accuſatio nullum tibi ſcrupulum excitat, ut planè mirum ſit, velle te ſcrupuloſum haberi. Cre-dat Judæus Apella.

ANONYMUS.

„ MAnifeſtum eſt itaque (Noriſio judice) Scy-
„ thas ab omni prorsùs errore abſolvi: & Ca-
„ tholicos pronuntiari. Quid quod eoſdem fidei
„ defenſores, & adversùs Eutychianam hæreſim vin-
„ dices appellare non dubitat? Pag. 19.

RESPONSIO.

ITa planè manifeſtum eſt, nec Monachos Scythas, nec Maxentium fuiſſe Eutychianos. Nec ſolus, nec primus id ille pronuntiavit, non enim laureolam in muſtacio quærit. Unus eſt è multis, qui id anteà docuerant. Ita enim de Scythis judicaverant Vaſ-quez, Petavius, Thomaſſinus, aliique quorum lo-cupletiſſima teſtimonia produxi. Si legiſſes librum Monachorum de Incarnatione & Gratiâ, ſtylum à tam falsâ accuſatione ſuſpendens, in contrariam ſen-tentiam pedibus iviſſes. Sanctus Fulgentius cum col-legis Africanis, qui librum memoratum diligenti & accurato examine diſcuſſerunt, poſt præfationem reſcripti ad illos ſub eodem titulo libri, initio cap. 2. ita exordiuntur: *Dicitis itaque, vos juxtà ſancto-rum Patrum traditionem D. N. Jeſum Chriſtum in dua-bus naturis unitis & INCONFUSIS, id eſt, divini-tatis & humanitatis in unâ perſonâ ſive ſubſiſtentiâ confiteri.* An non hæc Monachorum profeſſio ab Africanis Patribus laudata, Eutychianam hæreſim jugulat? Lege caput 3. ac diſces, Monachos præcla-riſſimis Gregorii Nazianzeni, Cyrilli, ac Athana-ſii teſtimoniis Neſtorianos unàque etiam Eutychia-nos convincere. Imò ibidem nobis ſervarunt inſi-gne fragmentum Malchionis Presbyteri, qui in Concilio Antiocheno contrà Paulum Samoſatenum totius certaminis ſummâ in ſe ſuſceptâ, hæreticum prævalidâ oratione confutavit, teſte Euſebio libro 7. cap. 29. edit. Valeſii. Gabriel Vaſquez utroque noſtrûm planè doctior, hiſce omnibus diligenter perpenſis, tom. 1. in 3. p. diſp. 15. de Incarnat. cap. 2. num. 44. *Qua igitur*, inquit, *ratione dicemus eos Eutychianos fuiſſe?*

§. VI.

Quid ex hoc Noriſii judicio conſequatur?

ANONYMUS.

„ COnſequitur primò, homines quos Epiſcopi-
„ ſui, deinde Primas, poſteà Lega— Pag. 19.

RESPONSIO.

SIleas, quæſo, jam tandem ſileas; hoc enim quod primò conſequi putas, jam ſuperiori §. III. mi-nutatim contritum eſt; ſiquidèm oſtendi Monachos Scythas nec à Provincialibus Epiſcopis, nec à Patri-archa, nec à Legatis ſanctæ Sedis, nec ab Hormiſdâ Pontifice damnatos fuiſſe tanquam hæreticos. Rele-ge, & intelliges, quomodo nihil eorum, quæ commi-niſceris, inde ſequatur. Eodem impulſu ruit, quod alterum conſequi affirmas; nihil enim ſacri Judices in materiâ dogmatis definiverunt, ſed oblatam à Mo-nachis propoſitionem inter fidei canones adſcribere recuſarunt; hoc autem non eſt judicare, ſed judici-um juſtis de cauſis ſuſpendere. Ferrandus Diaconus qui id temporis vivebat, conſultus ab Anatolio Ro-manæ Eccleſiæ Diacono, de illâ quæſtione unius de Trinitate paſſi, reſpondit cap. 11. datæ ad illum Epi-ſtolæ: *Undè deſiſtendum à contentionibus reor: expectan-dum potiùs perſuadens, patienterque hanc dubitationem ferendam, donec univerſalis Eccleſiæ auctoritate, vel pro-nuntietur ſuſcipienda, vel prodatur abjicienda.* Nullum ergo eâ de propoſitione judicium Eccleſia protulerat. Hormiſdas inſtantiam Monachorum rejecerat, quod non eſt judicare, ſed cauſam haud diſcuſſam in medio relinquere. Profectò mirus homo es, qui nolle judi-care, idem putas ac judicare. Scis theſim de aliquâ Dei dilectione neceſſariâ ad hoc, ut attritio poſſit eſſe diſpoſitio ſufficiens ad valorem ſacramenti Pœniten-tiæ, à quibuſdam delatam fuiſse Apoſtolicæ Sedis tan-quam hæreticam, & à Synodo Tridentinâ prædamna-tam. At Alexander VII. in decreto firmato die 5. Maij A. 1667. vetuit, ne eâ de controverſiâ diſputan-tes, alterutram ſententiam ulliuſe cenſuræ Theologi-cæ, alteriuſve injuriæ aut contumeliæ notâ percelle-rent, *donec*, inquit, *ab hac ſanctâ Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Itaque Sedes Apoſtolica inſtantes pro illâ propoſitione damnandâ, repulit, ſive contrà illo-rum votum, rem ſub lite reliquit. Nunquid petito-res damnationis hæreticos appellabis? Quid ſi illi de non impetratâ damnatione conqueſti fuiſſet? Equi-dèm nec tum illi fuiſsent hæretici. Haud ſecùs Mo-nachi non obtentâ approbatione laudatæ propoſitio-nis, contradixere judicio non utique definitivo in ma-teriâ fidei, uti perperam ſcribis, ſed judicio ſuſpenſi-vo, ut ita loquar, judicii definitivi, quod eſt conqueri de excluſâ petitione, quod citrà hæreſim contigit.

ANONYMUS.

„ COnſequitur tertiò, talem eſse poſse illum, qui
„ ſummo Pontifici hæreſim penè in faciem ex-
„ probrat, ſcribitque eum fuiſse prævaricatum in
„ materiâ dogmatis, faviſse errori, doctrinam hæ-
„ reticam diſsemiaaſse, hæreticum eſse tam ſuper In-
„ carnationem, quàm ſuper gratiâ. Pag. 20.

RESPONSIO.

NEc cauſa cauſæ, nec perſonis perſona præjudi-cet. Illa unum Maxentium perſtringunt, ex-traneum à Monachis, & extraneam pariter cauſam in reſponſione ad Hormiſdam petulanter aggreſſum, quamve Monachi Scythæ haud probaſse credendi ſunt. Sancti Patres, quos inter Auguſtinus eâ in pa-læſtrâ princeps eſt, legerunt Epiſtolam S. Cypriani

ad

ad Jubajanum, & alteram ſancti Firmiliani Cæſarienſis in Cappadociâ Primatis ad Cyprianum, in quarum utrâque S. Stephanus Papa non unâ cenſuræ notâ ſignatur; nullos tamen eoſdem Sanctos hæreticos appellavit. Uti Maxentius dubitavit, an illa Epiſtola ad Poſseſsorem Epiſcopum reapſe ab Hormiſda dictata fuiſset, ita in dubio eſt, an idam Maxentius re poſteà cognitâ, dicteria in Hormiſdam prolata, obſtinatiùs defenderit. Ut ut de Maxentio judices, Monachi Scythæ ac illorum collegæ fuerunt Catholici, eorumque ergà Apoſtolicam Sedem obſequium ex libro ad Africanos Epiſcopos tranſmiſſo, proximè oſtendi. Cùm Monachi Româ Joannem Diaconum cum libello fidei ad Afros in Sardiniâ exulantes miſerunt, Epiſcopi ab eodem Legato omnia in eâ hactenùs causâ Romæ geſta, dubio procul noverunt. Illi etiam Antiſtites ex Epiſtolâ Hormiſdæ ad Poſſeſſorem optimè intellexerant tumultus à Monachis legatione fungentibus, ac ex Urbe ſugientibus excitatos. At iidem Præſules Africani in Epiſtolâ Synodicâ hæc Legatis Monachorum Romæ degentibus ſcribunt poſt laudatos libros S. Auguſtini ad Proſperum & Hilarium ſcriptos: *Quorum mentionem beatæ memoriæ Hormiſdas Sedis Apoſtolicæ glorioſus Antiſtes in Epiſtolâ, quam conſulenti ſe ſancto fratri conſacerdotique noſtro Poſſeſſori reſcripſit, cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit.* Ex his plura ſcitu digna colligimus. In primis illam Epiſtolam ſcriptam fuiſſe poſt mortem Hormiſdæ, qui obiit anno 523. menſe Aprili. Præterea intelligimus poſt obitum Hormiſdæ Orientalium Monachorum Legatos fuiſſe Romæ. Rursùs quoſdam illorum diverſos fuiſſe ab iis, qui ſedente Hormiſda anno 520. id eſt, antè triennium Romæ turbas excitare fruſtrà conati, inde diffugerant; ſiquidèm in literis Juſtiniani ad Hormiſdam tom. IV. Conc. pag. 1516. vocantur *Achilles, Jomaes, Leontius, & Mauritius.* At qui libello ad Africanos Epiſcopos miſſo ſubſcripti leguntur, nominantur *Petrus Diaconus, Joannes Monachus, Leontius Monachus, & Joannes Lector.* Nec Achilles, nec Mauritius hìc leguntur. Cùm verò ex libello fidei conſtet eoſdem apud Apoſtolicam Sedem inſtitiſse, pro approbandis theſibus *de uno ex Trinitate; de Chriſto Compoſito; ac de B. Virgine verè ac propriè Dei genitrice*, manifeſtum eſt eoſdem Monachorum, qui in Scythiâ degebant, cauſam apud Sedem Apoſtolicam continuaſse. Et ſanè qui fieri poſſit, ut Africani omnia eâdem in causâ Romæ anteà geſta à Joanne Legato intelligentes, Epiſtolam Hormiſdæ ad Poſseſsorem iiſdem inculcaverint, qui tam acri reprehenſione in eadem perſtricti fuerant? Quicquid igitur aut Maxentio, aut prioribus Scytharum Legatis ex laudatâ Epiſtolâ Hormiſdæ opponas, nequiquam ipſorum ſodalitati, aut communi Monachorum in Oriente degentium in fide Orthodoxâ præjudicat, cùm jam me hoc tibi primùm præmonſtrante, videas eoſdem Scythas etiam poſt mortem Hormiſdæ, novos habuiſſe in Urbe Legatos, ut ſua illa Capitula Apoſtolicæ Sedis definitione confirmarentur. Hæc tam clara ac dilucida geſtorum narratio te prorsùs exarmat: omnia abs te contrà Monachos Scythas, eorumque collegas objecta, in fumum redigit, ipſorumque fidem Catholicam ac etiam poſt datam prioribus Legatis repulſam, interruptum ergà ſanctam Petri Sedem obſequium, luce clariùs meridianâ demonſtrat.

ANONYMUS.

„ TAle coram Orbe Chriſtiano teſtimonium ex
„ Urbe pronuntiat ſanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Probibliothecarius, eujus auctoritati, ſi verum eſt,
„ acceſſiſse quinque Apoſtolicos Cenſores, qui ſenten-
„ tiam eandem ſuo calculo comprobent, quis, amabo,
„ bo, futurus eſt poſthac Eruditorum hominum ſen-
„ ſus? Pag. 20.

RESPONSIO.

COnſtans Eruditorum ſenſus ac certus inter omnes conſenſus erit, te imparatum à libris, & inconſultis ſcriptis Auctorum inſignium, neſcio quas tantùm *illationes ac conſequentias* ex ſemel uni tibi fictâ Monachorum hæreticorum *in utroque Orbe* damnatione jactantem, ad Noriſii ſententiam accuſandam deſcendiſse. Quid ais? *Tale coram Orbe Chriſtiano teſtimonium ex Urbe pronuntiat &c.* Vah quàm grandia nomina ſonas *Orbis & Urbis*! Noriſius haud illâ ex Urbe pronuntiat, ſed tu clanculùm in aliquo ſi non Urbis, ſaltem Orbis angulo, eadem tanquam ex ſententiâ Noriſii conſectaria tam concinnè tibimet fingis, ac pingis. Auctor antè annos quatuor ac viginti Patavii in privatâ cellulâ librum elucubravit, qui primum illi aditum ad famam aperuit, quam nonnulli tùm editis invectivis, tùm etiam ſactitatis accuſationibus, premere ſperantes, mirificè auxerunt, ut non libri eruditio, ſed renovata ejuſdem diſcrimina, notumque periculis nomen, eundem longè inſigniorem feciſse videantur.

§. VII.

Noriſio effugium præcluditur.

VIderis jam tibi victoriam ac triumphum canere; dum effugia cuncta Noriſio præcluſa putas, ne quoquàm poſſit te inſequentem evadere. Nam tibimet augurari Noriſium objectis abs te perterritum, in fugam ſe conjecturum, quam tamen quaquaversù tuorum ſcrupulorum indagine intercluſeris. At ille intrepidus ſtationem & ſervat, & tuetur; neque juſſit ſuccedaneum agere, tuorumque ſcrupulorum aculeos non tantùm hebetare, ſed prorsùs infringere.

ANONYMUS.

„ QUippè aliud eſt Scythas ipſos universè & ab-
„ ſolutè prædicare velut omni ex parte Or-
„ thodoxos, imò fidei vindices: aliud eorum ſcripta
„ & quidèm ea ſolùm, quæ hodie extant, ab Euty-
„ chianâ hæreſi eximere. Ut poſteriori duntaxat
„ modo iſtos defendas, ſatis eſt, ſi doceas, nullam in
„ hiſce ſcriptis propoſitionem eſse manifeſtè Euty-
„ chianam, & quæ non poſſit Catholico ſenſu exponi.
„ Porrò id unum in gratiam Scytharum Monachorũ
„ fecere Theologi, quos diximus, ut ipſorum verba
„ ſatis oſtendunt. In quo ſanè veteribus non contradi-
„ cunt, qui Scythas illos pro hæreticis habuere. P. 21.

RESPONSIO.

UNum *Cochlæum aliumve quempiam* Maxentio ſive Monachis faventem nominaſti. At cùm primùm Noriſius appellavit tot illuſtres ſcriptores, nemo miratus eſt, te tales ac tantos Scytharum patronos ignoraſse. Enimverò ſi tu ſemel concedas, nullam in illorum ſcriptis Eutychianam propoſitionem notari, cauſam iidem coram judice, temet eos abſolvente, vicerunt. In Epheſinâ Synodo Neſtorii ſcripta producta ſunt, in Calchedonenſi Eutychetis, ac Dioſcori dicta repetita fuerunt, priuſquàm illi tanquam hæretici damnarentur. Quòd ſi nulla hæreſis in Scytharum libellis apparet, undè hæretici dicendi ſunt? Thomaſſinus, Duhamelius, Dionyſius à S. Marthâ Monachos Scythas Catholicos fuiſse teſtantur. Quod verò unius Eutychianæ hæreſeos

non illis inurebatur, ab hac eodem Vaſquez, ac Petavius vindicarunt. Quàm verò falsò aſſeras eos à veteribus pro hæreticis habitos fuiſſe, ſuperius evici, omnia tribunalia adeundo, in quibus eoſdem damnatos eſſe clamabas. Imò judicium laudavi ſancti Fulgentii & collegarum Præſulum, qui Catholicam Scytharum fidem commendarunt.

ANONYMUS.

„ POteſt igitur ſine fidei, vel Romanæ Sedis injuriâ, negari quòd Scytharum ſcripta Eutychianam hæreſim contineant: at verò ipſos etiam auctores ab ejus ſuſpicione liberare qui aggreditur, imò tam ſtrenuos fidei defenſores laudat, ut apertè facere videatur Noriſius, is ſupponit primò ſenſum Catholicum, quem illorum ſcriptis tribuit, eum ipſum eſſe, quem iſti ſibi propoſuerunt. Pag. 21. 22.

RESPONSIO.

REm acu tetigiſti. Juſtinianus rogans Hormiſdam, ut exortam Monachos inter & alios ex adverſo controverſiam de uno ex Trinitate, Apoſtolicâ definitione decideret, ſcribit in Epiſtolâ antè 66. Hormiſdæ: *Quoniam verba videntur facere diſſenſionem; nam ſenſus inter Catholicos omnes unus eſſe probatur.* Itaque ſenſus idem erat, ſed verba tantùm erant diverſa. Scythæ dicebant: *Unus è Trinitate*; Adverſarii malebant dicere: *Una perſona è Trinitate.* Maxentius in reſponſione ad Hormiſdæ Epiſtolam ait: *Unam perſonam Chriſtum prædicantes, unum ex Trinitate Chriſtum confiteri nullatenus acquieſcunt.* Quid ergo fingis Monachos in ſenſu non Catholico eam propoſitionem intellexiſſe? Facundus Hermianenſis, qui id temporis vixit, lib. 1. de tribus Capitulis cap. 3. ait: *Nihilque de verbo ſit diſſidendum; placere omnibus debet, ut unus ex Trinitate, vel de Trinitate crucifixus, pro unâ perſonâ dicatur.* Intellexiſtin' quid dicant? Dicunt verba fuiſſe diverſa, ſed unum eundemque utrorumque ſenſum Catholicum. Tu verò è contrà ſcribis, verba eadem fuiſſe, ſenſum verò diverſum. Si hoc non eſt aut turpiter falli, aut doloſè fallere, quid eſt?

ANONYMUS.

„ SEcundò, nihil aliud ab his ſcriptum fuiſſe, quòd hæreſim magis ſaperet. Tertiò, nihil eos in privatis ſermonibus inter ſuos Symmiſtas docuiſſe, niſi quod ſcriptis illis publicis continetur. Pag. ult.

RESPONSIO.

UBinam gentium, ubi terrarum te eſſe putas? Judex, mi Doctor, juxtà allegata, & probata ſententiam pronuntiat. Vaſquez, dein Petavius, & eorundem exemplo Noriſius Monachos Scythas ex ipſorummet ſcriptis, quæ extant, nullâ Eutychiani erroris lue infectos fuiſſe monſtrarunt. Cardinalis Baronius ex ipſiſmet illorum ſcriptis eoſdem in memoratæ hæreſeos ſuſpicionem vocavit. At tu eos hæreticos inclamas ex ſcriptis, quæ non extant, & ex familiaribus, iiſque cum Symmiſtis ſecretis ſermonibus, id eſt, ex iis quæ de ipſis poſt duodecim ſæcula imaginaris, ac pro arbitrio comminiſceris. Hoc, ſi ſapis, non eſt conſcientiæ, uti jactas, ſcrupuloſæ, ſed judicii temerarii, cujus in judicio non modò nulla ratio habetur, ſed à Theologis ac Philoſophis moralibus vitio vertitur, ac damnatur. Finge tibi, cauſam hanc diſcuti coram Cenſoribus, quibus tuos ſcrupulos inſcripſiſti. Noriſius ex Monachorum ſcriptis quæ extant, probat Monachos nihil Eutychiani erroris tradidiſſe, imò eoſdem Synodum Calchedonenſem ac S. Leonis Magni Epiſtolas recepiſſe; damnaſſe verò (quæ illorum ſunt verba) *Eutychen, Dioſcorum cum ſociis eorum, omnibuſq; quos juſtè, ac regulariter Sedes Apoſtolica condemnavit.* Tu verò eoſdem Eutychianiſmi accuſans, citas ſcripta quæ non extant, & quorum nuſquam mentio habetur; citas ſecreta illorum colloquia, nullo tibi eadem aut proditore, aut exploratore indicante. Quam, quæſo, ſententiam Cenſores doctiſſimos pronuntiaturos putas? An fortè appellabis teſtem *totam antiquitatem*?

ANONYMUS.

„ QUartò, denique nihil in his libellis contineri, quod aliunde fidei Catholicæ principiis repugnet. Hæc ſunt, inquam, quæ neceſſariò involvit Noriſiana pro Scythis apologia: idque nihil aliud eſt, quàm totam antiquitatem, quæ illos pro hæreticis habuit, ut vidimus, calumniæ accuſare. *Ibidem.*

RESPONSIO.

JAm divinabam, te *totam Antiquitatem* uni tamen tibi nudiuſtertiùs cognitam, appellaturum. Monachi libellum de Incarnatione & gratiâ, uti dicebam, Patribus Africanis miſerunt, hæc cap. 1. præfati: *Undè ſuppliciter petimus, & obſecramus beatitudinem veſtram, quatenus diligenti examinatione, ea quæ inferiùs continentur, diſcutientes (ut decet veriſſimos & intrepidos Chriſti prædicatores) ſcriptis ſententiam veſtram nobis patefacere jubeatis, ut ſi Deo præſtante, Catholicæ fidei conveniens, & Apoſtolicis traditionibus noſtra apud vos (ſicut non diffidimus) fuerit comprobata &c.* Præſules Africani S. Fulgentio Epiſcopo omnium eâ ætate doctiſſimo, ejus libelli examen, & ad Monachos reſcripti remittendi onus injunxerunt. Ille verò libellum Monachorum Orthodoxæ fidei undequaque conformem eſſe affirmavit, idque repoſito ſub eodem titulo, volumine publicavit. Nullus hactenùs in eo Petri Diaconi ac collegarum Monachorum libro quidquam à Catholicæ fidei puritate diſſonum invenit, ſed omnes communi conſenſu eundem Petrum ejus tantùm libelli gratiâ, inter ejus ſæculi Patres ſive probatos Scriptores, cum laude numerarunt. Nam Suarez Proleg. 6. de Gratiâ cap. 6. num. 26. ait: *Fuerunt autem illi Africani ad ſcribendum rogati à Petro Diacono cum aliis viris* (nota) *Catholicis Orientalibus, qui ex Oriente Romam miſſi fuerant &c.* Ubi cùm librum à Petro ac collegis ſcriptum nominaſſet, ait: *In cujus tribus ultimis capitibus vehementer exagitat Semipelagianos, ut in ſuperioribus attigimus, & veram de gratiâ doctrinam ſapienter exponit, idemque inter graviores antiquos de gratiâ Scriptores hic Petrus numeratur.* Didacus Ruiz in doctrinâ Patrum ſummâ cum laude verſatus, diſput. 11. de prædeſt. ſect. 1. num. 8. ſcribit: *Denique cùm tres Patres, Proſper, Fulgentius, & Petrus Diaconus doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione profiteantur &c.* Petavius tom. 1. Dog. Theol. lib. 9. cap. 16. num. 7. de eodem Petro ait: *Perſpicuum eſt illi Scriptori Auguſtinianam placuiſſe ſententiam.* Videſis Vaſquez in p.p. diſp. 91. cap. 11. num. 78. & 1. 2. diſp. 199. cap. 3. num. 13. & alibi. Dum verò appellas contrà Monachos *antiquitatem, quæ illos pro hæreticis habuit*, haud fidem invenies, qui ignoraſti, quid de iiſdem ſenſerint tot recentes Scriptores, qui longè meliùs quàm tu, perſpectam antiquitatem habuerunt, ob hujus enim notitiam Petavius ac Thomaſſinus de Dogmaticâ Theologiâ benè meriti ſunt. Quàm verò præposterè Monachos uti hæreticos anathemate percuſſos dixeris à Primate, à Patriarcha, à Legatis Apoſtolicis, ac demum à Pontifice Hormiſda, ſigillatim oſtendi, ut jam tota tam ſæpè tibi decantata antiquitas, muſtea tantùm opinio ſit, quam nuperrimè expreſſiſti.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

ANONYMI SCRUPULI

Circà veteres Semipelagianorum Sectatores evulſi ac eradicati.

ALteram ſcrupulorum partem diſcuſſuro, veniâ mihi opus eſt, quam haud ſanè rogarem, niſi Anonymus novis iterùm ſuſpicionibus non tam Noriſii volumen onerare, quàm ejuſdem Cenſorum judicium pulſare aggreſſus, id adeò tenui & exili apparatu tentaſſet, ut verear, ne mihi vitio vertatur, qui bonas horas tam levi operi refutando, perdiderim. Equidèm ſcio, me actum agere, cùm jam hac ipsâ in causâ plures doctrinâ ec eruditione percelebres tam luculenter ac diſſertè Noriſio ſimiliter pronuntiaverint, nt id ii ſolùm ignorare poſſint, qui ſua ſecum phantaſmare agitantes, elienorum ſeriptorum penitùs incurioſi, ſe ae ſua tantùm ſidera norunt. In hac autem defenſione adornandâ, quòd tota in ſacto quæſtio verſatur, teſtimoniis potiùs quàm argumentis inſiſtam; niſi ubi ab Anonymo objecta, ſolvenda venient. In priori ſcrupulorum parte Noriſius incuſabatur, quòd Monachos Scythas in utroque Orbe hæreſeos damnatos, aſſeruiſſet Catholicos, imò & Orthodoxi dogmatis contrà Eutychianos vindices ac defenſores. In hac autem oppoſitum eidem crimen impingitur, videlicet, quòd plures Galliæ Epiſcopos, ac inſignes Patres, & hos inter Vincentium Lirinenſem Semipelagianis addixit. Hæc novorum ſcrupulorum radix mihi levi brachio evellenda.

A N O N Y M U S.

„ SCimus novos Cenſores deſignatos eſſe, ac ſen-
„ tentiam continuò dixiſſe, quâ dudum accu-
„ ſatus is liber, ne epice quidem ſublato, appro-
„ batur, imò ſummis leudibus extollitur. Er pu-
„ tas Danielem eſſe te, qui dicere poſſis: *Revertimi-*
„ *ni ad judicium?* In præſatione.

R E S P O N S I O.

QUid in examine ejus libri actum ſit, qualis prolata cenſura, eut quale denique judicium pronuntiatum fuerit, neſcio. Omnia hæc in ſupremo Orthodoxæ fidei tribunali, ſanctiori, quàm Eleuſina olim myſteria, ſecreto peraguntur; nullæ ibi ſatiſcunt rimæ, ex quibus ſummæ, utì dicis, delatæ libro laudet ad tuas uſque aures defluxerint. Equidèm librum objectis erroribus immunem judicatum, inde ſtatim apparuit, quòd S. D. N. INNOCENTIUS XII. motu proprio, Auctorem libri in maximum Romanæ & univerſalis Inquiſitionis Conſultorum Collegium cooptavit. Quid autem Noriſio honorificentius deferri potuit, quàm in Cenſorum, ad quos ſcribis, ordinem edlegi, ec aſſidere judicibut, quibus corem in libro reus nuper edſtiterat; & cùm accuſatores tentarent librum proſcribi, Auctorem in eorum, qui de libris judicant, numerum à Summo Pontifice adſcribi? At enim Cenſores ed inſtaurandum de eodem libro judicium provocas. Terentius in Phormione Act. II. ſc. 3. ait:

At tu, qui ſapiens es, magiſtratus adi,
Judicium de eâdem causâ iterùm ut reddant tibi:
Quandoquidèm ſolus clamas, & ſoli licet,
Hic de eadem causâ bis judicium adipiſcier.

Sed eur in causâ adeo ſeriâ Comici poetæ verbis ludam? S. Auguſtini ſummi Eccleſiæ Doctoris breviſſimam unàque graviſſimam ſententiam inaudias: *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem?* Lib. 2. oper. imperf. contrà Julianum num. 103.

§. I.

Quid de Vincentio Lirinenſi, deque ejus Commonitorio adversùs hæreſes ſenſerit Eccleſia?

ANonymus laudat Commonitorium S. Vincentii Lirinenſis advertùs profanas hæreſum novitates. Scribit Auctorem in Romano Martyrologio inter Divos recitari. Producit elogia eidem delata. Hæc omnia etiam Noriſius laudaverat, denſatis inſignium Scriptorum elogiis, quibus idem Commonitorium jure ec merito decorarunt. Itaque io priori paragrapho nullus eſt Anonymo ſcrupulus evellendus.

§. II.

Quid de Vincentio ejuſque libro ſentiat Noriſius?

A N O N Y M U S.

„ VIrum illum doctrinâ & ſanctitate adeò cele-
„ brem non modò Semipelagianis aceenſet No-
„ riſius, ſed quod gravius eſt, ipſum ejus Commo-
„ nitorium tantè Eccleſiæ approbatione omnibus
„ ſæculis commendatum, eâdem Semipelagianiſmi
„ notâ infamat. Peg. 7.

R E S P O N S I O.

NOn unus Noriſius quoſdam nævos Semipelagianiſmi in tam pulchro corpore notavit. Joannes Garnerius, qui pereruditit notis Marii Mercatoris libros abs ſe publicatos, illuſtravit, Diſſert. 1. de Auctoribus Pelagianæ hæreſis, cap. 6. pag. 150. ſcribit: *Denique ſi qua Pelagiani erroris fuligo Lirinenſibus adhæſit, ut adhæſit ſanè, ea certè non ex Juliani, ſed ex Caſſiani ſocietate, & multis quidèm antè annis, ut ex Commonitorio Vincentii colligitur.* Ita Scriptor, qui de Pelagianâ hæreſi eccuratos commentarios exaravit, idemque & Gallus, & è Societate Jeſu, demonſtraturut contrà Hieronymum Vignerium Lirinenſes neutiquam ab adveniente illùc anno Chriſti 440. Juliano Eclanensi erroneas de divinâ gratiâ opiniones admiſiſſe, id probat ex unico Commonitorio Vincentii, in quo nonnulla Semipelagianæ conformia doctrinæ ednotaverat; quam Lirinenſes ex Caſſiani primùm ſocietate conceperant.

Alter teſtis veniat Claudius Fraſſen, qui tom. 1. Academiæ Scoti tract. 2. diſp. 3. ert. 2. ſect. 1. quæſt. 1. ſub titulo: *De ſequacibus Pelagii*, §. 2. pag. 421. ait: *Vincentius Lirinenſis videtur etiam adhæſiſſe, & faviſſe Semipelagianis, cenſeturque ab aliquibus ſcriptor ob-*

jectionum Vincentianorum, *quibus S. Proſper reſpondit. Quod etſi cætera taceant, hoc ſufficienter evincit, quòd eodem modo Cæleſtini Papæ Epiſtolam, quâ ſe Catholici tuebantur adverſus Semipelagianos, in ſuas partes ſicut & alii Semipelagiani adverſus Catholicos uſurpare non dubitavit.* Et hic Theologus ex Ordine Minorum, Gallus & ipſe, ac Doctor Sorbonicus, qui ex Commonitorio ſufficienter evinci putat, Vincentium in Semipelagianorum parte fuiſſe.

Tertium teſtem appello Joſephum Antelmium Canonicum Forojulienſem, virum in rebus Lirinenſium verſatiſſimum, quippè qui Diatribam de *Secretis Lirinenſium* elucubravit. Hic Diſſert. IX. de ſcriptis ſanctorum Leonis ac Proſperi, num. 17. pag. 420. ſcribit de eodem Commonitorio: *Quod ſupereſt opus iſtud aureum licèt & nunquam ſatis pro dignitate commendandum, ea etiam fine intentum, ut Auguſtini doctrinam in ſuſpicionem traheret, tam maximè penes Eruditos invaluiſſe penè perſuadeor.* Plura eo de argumento adnotat, quæ opportuniori poſteà loco intelliges. Audin' uti rem hanc Eruditis jam confeſſam ac teſtatam fatetur, quam tu tamen in crimen trahis?

Quarto loco non unus, ſed plures teſtes ad tribunal deſcendunt, eruditiſſimi Patres Benedictini ex inſigni monaſterio Pariſienſi S. Germani à Pratis, qui in appendice tom. X. operum S. Auguſtini, pag. 132. in notis ad Epiſtolam S. Cœleſtini Papæ ſcribunt: *Hunc locum Vincentius Lirinenſis ſub Commonitorii finem ſic à vero ſenſu contrà Proſperum & Hilarium detorquet, ut ipſe haud injuriâ in erroris Semipelagiani ſuſpicionem veniat.* Sunt quoque hi teſtes ex Galliâ, & ob edita, correcta, ac illuſtrata Sancti Auguſtini volumina, in ore Literatorum ſummâ cum laude verſantur.

Quintum cito teſtem Ludovicum Thomaſſinum Diſſert. XIII. in Synodos pag. 460. num. 30. *Ergo*, inquit, *ſi de Hilario Arelatenſium Epiſcopo, ſi de Vincentio, ſi de Caſſiano, de Gennadio, de Sidonio Appollinari, ſi de Fauſto acerbiùs quid aliquando excidit magnis Viris, id æqui bonique conſulendum eſt, & in doctrinam, in quam incautè & per ſimplicitatem incurrerant, non in perſonas refundendum.* Videſne uti Vincentius cum Semipelagianæ ſcholæ Doctoribus nominetur? Et hic pariter eſt Scriptor Gallicanus.

Sextum ex Hiſpania teſtem arceſſo magnum Salmanticenſium Doctorem Baſilium Poncium Legionenſem, qui in priori parte Relectionum de auxiliis divinæ Gratiæ cap. 4. pag. 40. ſub titulo: *De errore Semipelagianorum &c.* ait: *Præcipui inter eos fuere Caſſianus Chryſoſtomi diſcipulus &c. Vincentius Lirinenſis, & Fauſtus Regienſis.*

Septimus ex eadem Auguſtinianâ gente ſuccedit Chriſtianus Lupus, regius Profeſſor Lovanienſis, in Eccleſiaſticâ eruditione nulli hoc noſtro ſæculo ſecundus. Hic tom. 4. in Synodos, in notis ad canonem 22. Dictat. Gregorii VII. pag. 575. ſcribit: *Sancti Auguſtini de divinæ gratiæ ac prædeſtinationis efficaciâ doctrinam Sulpicius Severus, Lirinenſis Vincentius, aliique olim Gallorum Clerici ac Monachi oderant peſſimè, adeòque infamabant, ut maledicendi ſtudio ſemetipſos apud omnem poſteritatem reddiderint famoſos.* Hæc videri poſſint acerbius dicta. Verùm refero tantùm fideliter teſtimonia, nec probo, ſi quid juſtæ offenſionis cauſam dare videatur. Enimverò, uno dempto Poncio, cæteri ab anno 1668. ad uſque annum 1690. recitatâ de Vincentii Lirinenſis doctrinâ, teſtimonia pronuntiarunt. Cur ergo unus Noriſius in crimen vocatur? cur uni illi conflatur invidia? cur, cùm tot in eâdem cum ipſo navi ſint, contrà unum illum accuſationum tempeſtas toties excitata, & nuper improviſo tuorum ſcrupulorum turbine inſtaurata deſævit?

A N O N Y M U S.

„ EQuidèm ut illum à formali hæreſis crimine ex-
„ cuſet, addit Noriſius tunc Semipelagianiſmi
„ profeſſorem fuiſſe, quando adhuc fas erat eâ de re
„ in utramque partem diſputare. Sed eundem inte-
„ rim deſcribit hominem vafrum ac ſubdolum, imò
„ hypocritam, ac ſycophantam, quippè qui Com-
„ monitorium ſuum ſcripſerit, ſpecie quidèm adver-
„ sùs omnium temporum hæreticos, reipſa ut Augu-
„ ſtinum oppugnaret, ac tanquam hæreticum tradu-
„ ceret; qui hoc fecerit poſt ipſam S. Cœleſtini Pa-
„ pæ Epiſtolam, quâ disertè vetatur, ne quis ita de
„ Sancto Doctore loqui audeat: qui non modò hanc
„ Epiſtolam pro Auguſtino ejuſque diſcipulis ſcri-
„ ptam, fraude malâ in contrariam partem detorſe-
„ rit, verùm etiam Vincentianas objectiones contrà
„ Sanctum Doctorem, ejuſque diſcipulos compoſue-
„ rit &c. Pag. 7.

R E S P O N S I O.

JAm prædixi, me totius defenſionis ſummam in inſignium Scriptorum teſtimoniis collocaturum. Hæc ait laudato loco Lovanienſis Doctor Lupus pag. 758. *Aureum illud Vincentii pro fidei Catholicæ antiquitate Commonitorium, ad inſtar canonum Antiochenorum, eſt malæ radicis non malus per omnia fructus. Oſtendere conatur, non Auguſtini, ſed ſuorum dogmata eſſe avita, ideoque hæc, non iſta per Cœleſtinum fuiſſe comprobata. Epiſtolam, quòd impugnari non poſſet, ita placuit detorqueri.*

Claudius Fraſſen laudati libri pag. 422. recitato prolixiori teſtimonio S. Proſperi ex cap. 43. contrà Collatorem, ait: *Quibus liquet quàm diverſimodè Cœleſtini Epiſtolam Vincentius & Proſper in ſuas partes deducerent. Nam Vincentius vel ſaltem Adverſarii Auguſtini, ex eâ Epiſtolâ urgebant illud, quòd antiquitati novitas cedere debeat; unde colligebant, ſi Auguſtinus in prioribus ſcriptis conſentiat antiquitati, in poſterioribus non item, Cœleſtini elogia ad priora tantùm Auguſtini ſcripta pertinere. Contrà Proſper ex eâdem Epiſtolâ urgebat, laudationem Auguſtini &c. non minùs de poſterioribus quàm de anterioribus ſcriptis intelligendam affirmabat.*

Joſeph Antelmius Diſſert. IX. proximè appellatâ pag. 421. ſcribit: *Hoc valentiſſimi pugilis Vincentii partibus concedere tandem neceſſe erat experimentum, ut quæ hunc jam egregiè demonſtrarunt laudati Viri docti, ſuas in fortunas acceſſere contendiſſe Cœleſtini contrà Lirinenſes ac Maſſilienſes, pro Auguſtini doctrinæ commendatione, elicitas à Proſpero literas, ita nunc videre par eſt, quâ exquiſitâ induſtriâ jaculum aliò contorſerit.* Ex adductis Vincentii ſententiis, addit: *Quaque deinceps Auctor eo ſummo artificio commentari pergit, ut arcani conſciis tantò magis videatur in ſancti Hipponenſis Præſulis placita latenter invehi, quantò in omnes alias hæreſes ſtudioſiùs inſurgere primâ fronte conſpicitur.* Idem tradunt Benedictini Patres in notis proximè mihi laudatis, ut mirum ſit, Anonymum horum Auctorum voces Noriſii opinioni conſonas, de proximo non audiviſſe. Scripſit Noriſius Vincentium *vanâ quidem ſed argutâ interpretatione* Cœleſtini Epiſtolam contrà Proſperum ac Hilarium detorſiſſe. Hoccine eſt deſcribere Vincentium *hominem vafrum*

ac

ac ſubdolum, imò planè hydocritam ac ſycophantam? Noli, quæſo, Benedictinis ſyncellitis de Auguſtinianâ doctrinâ benè meritis, tantâ verborum acrimoniâ, ut tuam tibi vocem reddam, ſycophantari.

Sanctus Proſper reſponſum edidit *ad objectiones Vincentianas*, ex quâ libelli inſcriptione non pauci eruditi jam olim illarum auctorem dixere Vincentium Lirinenſem. Laudati Patres Benedictini tom. X. operum S. Auguſtini, in Appendice pag. 207. ſcribunt: *Lovanienſes obſervant eſſe, qui arbitrantur, objectionum ſcriptorem Vincentium Lirinenſem illum fuiſſe, cujus extat adverſùs profanas vocum novitates Commonitorium ſcriptum circiter annum* 434. Lupus verò in peculiari tractatu de Eccleſiæ & Reipublicæ contrà Pelagianos decretis pag. 457. operis poſthumi ait: *Lirinenſis enim Monachus Vincentius, quidam Maſſilienſes Clerici, Galli adhuc alii & Genuenſes ex ejus* nempè Auguſtini, *libris fabricarunt fœdos iſtos articulos, ex quibus profluit calumnia hæreſis Prædeſtinatianæ.* Videſis Antelmium pag. 424. §. *Si etenim ſeriò perpendantur &c.* Auguſtinus ſententiam de prædeſtinatione ad primam gratiam, ſive ad initium fidei, necnon ad finalem perſeverantiam independenter à præſcientiâ meritorum sive de congruo ſive de condigno, tradiderat. Huic doctrinæ plurimi in Galliæ inſignes Viri contradicebant, objicientes illud abſolutum Dei prædeſtinantis decretum, teſte Proſpero in literis ad Auguſtinum, *lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre; removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.* Hæ objectiones à Scholaſticis argumenta ab abſurdo vulgò dicuntur, quibus ex aſſertâ quapiam ſententiâ, portentoſæ quædam conſectariæ propoſitiones colliguntur, quas velint, nolint, devorent oportet illius ſemel poſitæ ſententiæ aſſertores. Ejuſmodi ſunt objectiones Vincentianæ, quibus S. Proſper Auguſtinianæ doctrinæ vindex acerrimus, edito libello ſatisfecit. Vincentius acerbiorem ſanè notam, in illo diſputationum æſtu, adverſariis inuſſit. At hos longè ſeverioribus dictis excepit S. Proſper poſtremâ parte libri contrà Collatorem. Quis neſciat quâ cenſuræ acerbitate Hieronymus in Epiſtolâ ad Theophilum, & Cyrillus in literis ad Atticum, Magnum Chryſoſtomum perſtrinxerint? Brevem hanc apologiam donat Baronius circa finem Anni 412: *Homines enim illi erant, & humanis paſſionibus obnoxii.* An non Hieronymus in Epiſt. 14. ad Auguſtinum ſcribit ſe ſine jus Epiſtolâ *quadam hæretica judicaſſe?* Additque: *Provocat ſenem; tacentem ſtimulas; videris jactare doctrinam.* At eximiâ Auguſtini moderatione factum eſt, ne amica illa diſputatio in majorem controverſiam excreſceret.

A N O N Y M U S.

,, QUi ſciens, prudens, & malâ fide ſummo Ec-
,, cleſiæ Paſtori imponit, ut contrà expreſſam
,, ejus ſententiam Auguſtinum ex defenſore antiquæ
,, fidei, novatorem, ex Catholico hæreticum ab ipſo
,, factum eſſe perſuadeat: qui *in tantum charitatis ob-*
,, *litus* eſt, ut ad conflandam ſanctiſſimo Doctori ejuſ-
,, queDiſcipulis invidiam, *ineptiſſimarum blaſphe-*
,, *miarum prodigioſa mendacia*, his affingat, profectò
,, multum abeſt, ut ſanctitatem attigerit, cùm iam
,, longè non ſolùm à Chriſtianâ charitate, ſed ab in-
,, fimo vel humanæ probitatis gradu remotus ſit. Hæc
,, tamen ſunt, quæ de Vincentio Lirinenſi Noriſius
,, à ſe primùm detecta gloriatur. Pag. 8.

R E S P O N S I O.

CUm S. Cœleſtinus in Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ adverſùs Semipelagianos Auguſtini doctrinæ detrahentes, ſcripſiſſet: *Deſinat ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem:* Vincentius cap. 43. Commonitorii ait: *Deſinat, inquit, ſi ita res eſt, id eſt, ſi ita eſt, ut apud me quidam urbes & provincias veſtras criminantur, quòd eas quibuſdam novitatibus conſentire noxiâ diſſimulatione faciatis; deſinat itaque, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem. Ergo hæc fuit beati Cœleſtini beata ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem: ſed potiùs novitas deſineret inceſſere vetuſtatem.* Claudius Fraſſen Doctor Sorbonicus tom. 1. Academiæ Scoti tract. 2. diſp. 3. pag. 422. ſcribit de Vincentii interpretatione: *Ungendo tenus perè illud (ſi) non obſcurè indicat ſe criminationem Proſperi & Hilarii pro falsâ habere.* Idem docent Lupus, Antelmius, ac Patres Benedictini, quorum ſuperiùs teſtimonia recitavi. Hæc S. Cœleſtinus ſcribit: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circà Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt, tantùm neſcio quibus Presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adverſantia veritati.* Itaque Proſper & Hilarius *neſcio quos presbyteros* apud Cœleſtinum accuſaverant. At Vincentius ait eoſdem *Urbes & Provincias* in crimen apud Cœleſtinum vocaſſe. Et toties replicans illa *ſi ita eſt*, illatam criminationem falſitatis inſimulare viſus eſt. Sed hæc aliàs diſcuſſa ſunt. In eâ Epiſtolâ non Auguſtinus, ſed Proſper & Hilarius dicuntur à Maſſilienſibus reprehenſi quòd *prædicarent adverſantia veritati.* Vincentius, Caſſianus aliique ſententiam S. Auguſtini de prædeſtinatione antè prævisa merita novitatis incuſabant, quòd ſecùs anteriores Patres docuerant; ex illâ enim neceſſitatem fatalem aliaque abſurda inſerri contendebant. Dionyſius Petavius tom. 1. dogm. Theolog. lib. 9. cap. 6. egregiè probat S. Auguſtinum ſtatuiſſe, Deum antè præviſionem meritorum prædeſtinaſſe electos ad gloriam. Idem verò toto capite tertio contendit oſtendere, ſanctos Patres Auguſtino anteriores in contrariâ ſententiâ communi conſenſu fuiſſe. Ergone dicetur Petavius *S. Auguſtinum ex defenſore antiquæ fidei novatorem, ex Catholico hæreticum feciße?* Novatores appellantur, qui nova dogmata Orthodoxæ fidei antiquitùs traditæ contraria comminiſcuntur; non qui novam opinionem in quæſtione nondum ab Eccleſiâ definitâ, proponunt. At enim conſtat Maſſilienſes laudatæ Auguſtini ſententiæ novitatem objeciſſe; de illis enim ſcribit S. Proſper in literis ad S. Auguſtinum: *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt; & ea quæ de Epiſtolâ Apoſtoli Pauli Romanis ſcribentis, ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentiuntur, affirmant.* Quibus reſpondet S. Doctor cap. 14. de Prædeſt. Sanct. & cap. 19. de Dono perſeverantiæ, ubi ſanctorum Cypriani & Ambroſii auctoritate ſuam de prædeſtinatione ſententiam confirmat. Quarè cùm Semipelagiani novitatem Auguſtinianæ ſententiæ objectarent, indè memoratam Cœleſtini Epiſtolam ſuæ ipſorum opinioni favorabilem jactabant.

Quid

§. III.

Quid de ſanctiſſimis quinto ſæculo Galliæ Epiſcopis ſtatuat Noriſius?

A N O N Y M U S.

„ NEque hic ſiſtit Noriſius. Unà cum Vincentio Lirinenſi alia ſplendidiſſima Galliæ noſtræ lumina, ſanctiſſimos dico quinti ſæculi Antiſtites Semipelagianiſmi accuſat: & quod antè illum auſus erat nemo Catholicus, ſic accuſat, ut eos errore planè voluntario, ac malæ fidei veritatem impugnaſſe ſignificet. Pag. 9.

R E S P O N S I O.

NOriſius ſcribit Semipelagianorum ſententiam nondùm fuiſſe ab Eccleſiâ damnatam; undè nullum Epiſcoporum Galliæ ſanctitati præjudicium intulit. At ſi dixiſſet id temporis pleroſque Galliæ Epiſcopos ipſa Pelagiana dogmata, ac ſuperbæ hæreſis errores à Summis Pontificibus Innocentio, Zoſimo, ac Bonifacio, totque Africanis Synodis prædamnatos, defendiſſe, in quas querelas erumperes? quas contrà illum accuſationes inſtrueres? quæ tribunalia delationibus non fatigares? At ſcito diverſos Galliæ Epiſcopos puros putos Pelagianos fuiſſe. Ne frontem contrahas, ſed aures patienter commoda. Recito Edictum Cæſaris Valentiniani III.

Imperatores Theodoſius Auguſtus, & Valentinianus Cæſar Armatio Viro Illuſtri, Præfecto Prætorio Galliarum.

DIverſos Epiſcopos nefarium Pelagiani & Cœleſtiani dogmatis errorem ſequentes, per Patroclum ſacroſanctæ legis Antiſtitem præcipimus conveniri. Quos quia confidimus emendari, niſi intrà viginti dies ex conventionis tempore, intrà quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeque Catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco Sacerdotes fideles ſubrogari, quatenus præſentis erroris macula de populorum animis tergatur, & futuræ bonum diſciplinæ teſtituatur. Data VII. Idus Julias Aquilejæ. D. N. Theodoſio Auguſt. XI. & Valentiniano Cæſare Conſulibus.

Patroclus erat Metropolita Arelatenſis, cui Valentinianus injunxit, ut Epiſcopos Pelagianos, niſi reſipiſcerent, ex provinciis Gallicanis expelleret, Armatio Præfecto Prætorio Galliarum manus eidem dare juſſo. Qui pulſi fuerint, quive ad meliorem frugem redierint, neſcimus; nec credo te poſſe divinare. Interim vides imperialium legum terrore quoſdam facilè potuiſſe Pelagianam hæreſim mitigare, ac ad Semipelagianiſmum declinare. Hæc ſcribit Chriſtianus Lupus in Opuſc. poſthum. pag. 456. *Per Patroclum Arelatenſem Epiſcopum ac laudatam Valentiniani legem, correcti in Galliâ Epiſcopi reliquere diſcipulos eruditione ac pietate illuſtres; verùm qui Pelagianis erroribus ſic valedicerent, ut tamen in S. Auguſtini adversùm illos ſcriptis quædam improbarent.* Viden utì Semipelagianos eruditione ac pietate illuſtres nuncupet. Quod ad hos attinet, Noriſius eos inter unum & alterum nominavit, nempè S. Hilarium Arelatenſem, ac Fauſtum Rejenſem. Et quidèm Hilarium Arelatenſem Semipelagianis adhæſiſſe disertè teſtatur S. Proſper in fine Epiſtolæ ad S. Auguſtinum: quod ipſum tradunt plures alii, quorum poſteà teſtimonia appellabo. Unus modò inſtar omnium mihi ſit Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre tom. 3. Theol. diſp. 113. ſect. 2. num. 36. ubi de Proſperi Epiſtolâ ſcribit: *Denique infrà non longè a fine iterùm illos* nempè Semipelagianos, *meritis & honoribus claros, & ipſum Hilarium Arelatenſem adhuc in humanis agentem, qui ex parte Auguſtino diſſentiebat, ſanctum appellat.* Interim interrogemus teſtes, num plures Epiſcopi in Galliâ Semipelagianorum partes ſecuti fuerint; poſteà de ſanctis, ſivè ſanctiſſimis ſermonem faciam.

Ludovicus Molina ait: *Quæ* Auguſtini *doctrina plurimos ex fidelibus præſertim ex iis, qui in Galliá morabantur, non ſolùm indoctos, ſed etiam doctiſſimos viros, atque in Epiſcopali dignitate conſtitutos, mirum in modum turbavit, ne dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam. Ne enim ejuſmodi doctrinæ adhærerent, hæreſi potius Pelagianæ ex parte aſſentiendum putabant.* In Concordiâ grat. & lib. arb. quæſt. 23. art. 4. diſp. 1. memb. ult. pag. 856. edit. Lugdun. 1593.

Gabriel Vaſquez ſcribit: *Horum Maſſilienſium dux fuit Caſſianus, quem ſecuti ſunt per Galliam Epiſcopi ferè omnes ſuæ ætatis, inter quos ut quibuſdam placet, fuerunt Vincentius Lirinenſis & Galli permulti.* In 1. par. diſp. 91. cap. 8. num. 43 Et anteà diſp. 89. capite 4. num. 24. loquens de Maſſilienſibus, ait: *Horum ſententiam ſecuti ſunt multi per Galliam Epiſcopi, ad quos Cœleſtinus Epiſtolam illam ſcribit.*

Petavius tom. 3. Dogm. Theol. in tract. de Pelag. & Semipel. hæreſi cap. 7. num. 1. pag. 622. ſcribit viſum eſſe Auguſtinum totum dare gratiæ ſinè ullâ energiâ voluntatis: *Quæ res*, inquit, *haud levem apud Catholicos & pios ejus nomini conflavit invidiam, præſertim Gallicanas Epiſcopos, & Presbyteros in Lugdunenſi & Arelatenſi provinciâ, velut Maſſiliæ ubi tum eruditione & ſanctitate florebat Caſſianus &c. Ilis ergo tacitè Auguſtinum vellicabant, quòd Pelagiani erroris odio in extremum alterum evectus pluſculum gratiæ & Dei auxilio tribuiſſet.*

Theophilus Raynaudus in libro de bonis ac malis libris num. 581. pag. 326. ſcribit: *Unde diſcimus Hilarium Arelatenſem aliaſque Gallicanos Epiſcopos & Doctores in libros Auguſtini ſtrinxiſſe cenſuram, quos Cœleſtinus I. Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ ſeverè & fortiter compeſcuit, & enubilatâ ſenſim caligine, quam livor & æſtus affectuum inimicorum obduxerat, verum eſſe apparuit, quod de Auguſtino dixit Facundus Hermianenſis* lib. 9. de tribus Capitulis; *Auguſtinus vir adamantinus, in quo omnes adverſariorum dentes franguntur.* Num vox *livor* tibi acerbior videtur? Eâ uſus eſt S. Fulgentius de iiſdem Semipelagianis in Galliâ ſcribens lib. 1. ad Monimum cap. 30. *Huic itaque*, inquit, *pravitati, quæ B. Auguſtini dictis non ex veritate, ſed ex livore obiiciebatur, tali Proſper ſermone reſpondit.*

Sed his omnibus præferendus eſt Bonifacius II. Papa, qui in Epiſtolâ ad S. Cæſarium Arelatonſem ait: *Indicas enim quòd aliqui Epiſcopi Galliarum, cùm cætera jam bona ex Dei acquieverint gratiâ provenire, fidem tantùm, quâ in Chriſto credimus, naturæ eſſe velint non gratiæ.* Data eſt Epiſtola ſub initium anni 530. qui fuit ab obitu S. Auguſtini centeſimus; tam altas radices egerat in Epiſcoporum etiam mentibus Semipelagiana doctrina, ut vix poſt ſæculum potuerit extirpari.

ANO-

A N O N Y M U S.

,, HOc ſufficit quod ex illo diſcamos. Primò,
,, pleroſque Epiſcoporum, qui Gallicanis Ec-
,, cleſiis præfuerunt, indè ab ortu Semipelagianæ hæ-
,, reſis circà Annum 420. ad finem circiter ejus ſæ-
,, culi, ſi non etiam ulteriùs, Semipelagiano erro-
,, re implicitos fuiſse. Secundò: Non poſse juxtà
,, Noriſium aliquos ab illo numero eximi eo nomi-
,, ne, quòd ſanctitatis fama præ cæteris claruerint
,, Nunc videamus quò hæc pertineant. Pag. 13.

R E S P O N S I O.

JAm intellexiſti ex Bonifacii Papæ literis, ac ex ſcriptis inſignium Doctorum, Epiſcopos quoque in Galliâ Semipelagianorum partibus adhæſiſſe. Fuerintne pauci, multi, plures, nec mea, nec ipſorum intereſt, ut intelliges. Extremo ſæculo *aliqui*, fervente diſputatione *multi* vel *plures* eſse potuerint. Si paucos dixeris, eoſdem facilè digitis computabis. Quod illorum ſanctitatem ſpectat, accipe reſponſum S. Remigii Archiepiſcopi cum ſuâ Lugdunenſi Eccleſiâ in libro de tribus Epiſtolis cap. 35. ubi cùm dixiſſet S. Auguſtinum libros de Prædeſt. Sanct. & de Dono perſever. elucubraſse, ait: *Compellente ſcilicet tantâ ſuper hac re querimoniâ & perturbatione magnorum & ſanctorum apud Gallias virorum, qui ejus diſputationibus in tantum permoti fuerant, & quodam tædio affecti, ut prædeſtinationis ſenſum, qui ab eo conſtanter & inſtanter prædicabatur, vel falſum, vel quaſi valdè periculoſum, potiùs tacendum eſse judicarent.* Ita Semipelagiani qui doctrinæ Auguſtinianæ contradicebant, *magni & ſancti* appellantur. Hæc ille didicerat à S. Proſpero, qui Semipelagianos per literas Auguſtino deſcribens, ait: *Poſsumus quidèm ad credendum eſse conſtantes, ſed ad auctoritatem talia ſentientium non ſumus pares; quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt &c.* Quæ poſtrema verba vitæ ſanctimoniam exprimunt. Accedat teſtis locupletiſſimus Jacobus Sirmondus, qui tom. 1. Conc. Galliæ pag. 605. in notis ad Synodum Arauſicanam II. ait: *Intererat autem Concilium iſtud, quod Leonis olim Papæ temporibus adſcribitur, ad hæc potius tempora differri propter multos doctrinâ & pietate præſtantes viros: qui ſpatio interjecto, favere in Galliâ viſi ſunt Semipelagianis, quorum placita in hac demùm Synodo, quam Sedis Apoſtolicæ auctoritas comprobavit, penitùs exploſa, & rejecta ſunt.* Intelligis quis & quæ dicat? Sirmondus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ conſultiſſimus, tradit plurimi intereſse Synodum Arauſicanam affigi anno 529. *ob multos doctrinâ ac pietate præſtantes viros*, qui à pontificatu Leonis Magni, nempè ab annis ferè nonaginta, in Galliis Semipelagianis favere viſi ſunt. Audiſne uti dicit *multos?* At, inquis, non eos Epiſcopos nuncupat. Eſto; vocat tamen *pietate præſtantes*, cujus ratione Noriſio dicam dicis. Itaque expunge illa verba: *Hoc ſufficit quod* ex *illo diſcamus.* Haud tibi opus eſt Noriſii magiſterio, nec illè vellet, cum homine tam ſcrupuloſo operam perdere. Diſce illa ex Bonifacio II. ex S. Proſpero, ex Eccleſiâ Lugdunenſi. Diſce ex Molina, Vaſquio, Raynaudo, Petavio, Sirmondo, aliiſque à me productis Scriptoribus. Cùm neminem illorum conſulueris, quid mirum, ſi tot undique ſcrupulis implicitus Cenſores roges, ut te ex iiſdem expediant? Hic verò vetuſta Eccleſiarum diptycha perluſtras; conſulis Sammarthanorum tabulas, ac plures ſanctos Antiſtites, qui quinto ſæculo in Galliâ floruere, recenſes, ac concludis pag. 14. juxtà Noriſium ex tanto numero benè multos Semipelagianos extitiſſe. Jam dixi, nolle me eoſdem ad calculos vocare.

A N O N Y M U S.

,, POſito quòd Semipelagiani fuiſſe probarentur,
,, hæc facilis & obvia reſponſio ſuppetebat: er-
,, raſſe illos bonâ fide, ac ſinè pertinaciâ, paratos ſen-
,, tentiam mutare ubi primùm Eccleſia præciperet;
,, cùm interim per ignorantiam involuntariam & in-
,, culpabilem neſcirent opinionem illam noxiam eſſe,
,, ac Semipelagianæ hæreſi reipſa connexam. Atque
,, hanc reſpondendi rationem vulgò inierunt quicun-
,, que aliquem ex antiquis defendere ſunt aggreſſi,
,, quem à Semipelagianiſmo vindicari non poſſe cre-
,, derent. Pag. 14.

R E S P O N S I O.

NOn ibo inficias, imò ultrò concedo, Semipelagianos doctrinâ ac pietate præſtantes viros, paratos fuiſſe ſententiam mutare, ſtatim ac contrariam Eccleſia præcepiſſet. Etenim uti ſcribitur in primo capitulo aſſuto S. Cœleſtini Epiſtolæ: Semipelagiani *ea tantummodo ſequi & probare* profitebantur, *quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Petri Sedes contrà inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit, & docuit.* At enim peto abs te, Apoſtolicane Sedes antè Synodum Arauſicanam docuerat initium fidei in nobis non ex nobis, ſed ex Deo eſſe? Si affirmas; omnes Semipelagianos reapſe hæreticos facis: quippè qui damnatam ab Eccleſiâ opinionem defenderunt. Sin autè negas; erat ergo res illa quæſtionis, non dogmatis, ita ut quilibet pro arbitrio utram partem poſſet citrà læſæ fidei notam tueri. An non hæc tota eaque ſolida ratio eſt, quâ Noriſius Semipelagianorum ſanctitatem defendit? Hæc ille ſcribit lib. 2. Hiſt. Pelag. capite 11. *Tunc ab Auguſtino in controverſiâ de prædeſtinatione ad fidem recedebant, quando fas erat, ea de re in utramque partem diſputare; anno enim demùm centeſimo ab Auguſtini obitu, S. Doctoris ſententia in Arauſicanâ Synodo inter fidei canones relata eſt.* Quòd video, te in iis parum eſſe verſatum, undè ex multarum rerum ignorantiâ tanta tibi ſcrupolorum ſeges excrevit, ſtylum tui unius inſtruendi gratiâ, tantiſper hic ſiſtam.

Semipelagiani omnes bonos virtutum actus gratiæ divinæ adjutorio fieri contrà Pelagium fatebantur. Solùm initium fidei, noſtris viribus fieri poſſe autumabant, quam quidèm opinionem citrà leſæ fidei periculum, in utramque partem diſputari poſſe dicebant. Caſſianus Semipelagianæ Scholæ conditor, Collat. 13. cap. 11. ſcribit: *Et ita ſunt hæc quodammodo indiſcretè permixta atque confuſa, ut quid ex quo pendeat, inter multos* MAGNA QUÆSTIONE *volvatur, id eſt, utrùm quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus; an quia Deus miſereatur, conſequamur bonæ voluntatis initium.* Ubi initium fidei aliquando eſſe ex nobis, probat ex Zachæi ac boni Latronis fide, *qui deſiderio ſuo vim quamdam regnis cœleſtibus inferentes, ſpecialia vocationis monita prævenerunt.* Et cap. 15. idem de Zachæi fide repetit, cui addit etiam Cornelium, cujus fides plenam gratiæ largitionem præceſſit, tanquam occaſio, non tamen velutì meritum de condigno. Itaque num initium fidei ſit ex dono Dei, an ex nobis, non dogma fidei attinere, ſed *magnam inter multos quæſtionem* eſſe profitetur. Proſper in Epiſtolâ ad Auguſtinum, cùm dixiſſet, in Semipelagianorum opinione virulentiæ Pelagianæ fibram nutriri, *ſi principium ſalutis malè in homine collocetur; ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur,*

ſertur, ut ideò quis adjuvetur, quia volut, non ideò quia adjuvatur, velit, ſtatim ait: *Ac primum quia plerique non putant, Chriſtianam fidem hac diſſenſione violari, quantum periculi ſit in eorum perſuaſione patefacias.* Itaque Semipelagiani aſſeverabant, nihil de initio fidei ſive ex Deo, ſive ex nobis decretum fuiſſe ab Eccleſiâ, ſed eſſe rem adiaphoram, & inter Catholicos liberè ac licitè controverſam. Hinc nulla ad Semipelagianorum ſanctitatem defendendam ratio expeditior ac facilior adduci poteſt, quàm nondum ea de re quidpiam ſtatutum fuiſſe ab Eccleſiâ. Cùm enim hæreticus ſit, qui pertinaciter damnatas ab Eccleſiâ opiniones & errores tuetur, Semipelagiani ab omni hæreſeos notâ à Noriſio liberantur. Hanc planè viam iniit Auguſtinus, ut S. Cyprianum hæreticos rebaptizantem, à culpabili errore defenderet. Etenim lib. 1. de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. 18. de baptiſmi quæſtione ait: *in qua tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſtâ quæſtione, ſalvâ pace, ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis.* Et lib. 4. cap. 6. *Quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Eccleſiâ.* Et lib. 2. cap. 4. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati, cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur.* Ita pariter viri eruditiores Semipelagianorum ſanctitatem defendendam eſſe duxerunt. Audiſti Sirmondum, qui ait inteeeſſe Synodum Arauſicanam differri ad annum 529. *propter multos doctrinâ & pietate præſtantes viros, qui ſpatio interjecto ſavere in Galliâ viſi ſunt Semipelagianis.* Ludovicus Thomaſſinus diſſert. 13 in Synodos num. 30. pag. 460. cùm nominaſſet Hilarium Arelatenſem, Vincentium, Fauſtum, Caſſianum &c. ait: *Ita fiet ut non invideamus, non obtrectemus ſpectatæ eorum complurium ſanctitati, cui Auguſtinus & Proſper ipſi applaudebant. Nec magnoperè ſatagemus, an antè obitum acquieverint ſaniori doctrinæ. Cùm ad Arauſicanæ ſaltem uſque Synodi tempora inter Catholicos numerari non deſierint.* Theophilus Raynaudus cap. 3. Apologiæ pro Valeriano Cemelenenſi ſcribit: *Erunt ergo qui exiſtiment eam maculam eſſe in Valeriano minorem, quòd Valerianus eo ævo vixerit, eaque in regione, cujus plerique omnes Præſules* (dolentne tibi oculi?) *& viri ſanctitate ac eruditione præſtantes, ad eundem ſcopulum naufragantes, de initio fidei ex humanæ voluntatis aliquo per ſe ipſam niſu; deque gratiâ Dei humanæ invocationi ſubjunctâ &c. à D. Auguſtino impunè diſſidebant: donec poſt annos circiter LX. eoque ampliùs Concilii Arauſicani II. definitione, proſcripto errore, veritas Catholica conſtabilita eſt.* Litigabas cum Noriſio, quòd *pleroſque Præſules*; & nullam Vaſquio fidem dabas, qui *omnes ferè Epiſcopos* in Galliis Semipelagianos dixerunt. At Raynaudus abjectâ particulâ diminutivâ, utrumque numerum junxit, *pleroſque omnes* affirmaos Semipelagianizaſſe.

Poſt teſtes graviſſimos ac doctiſſimos, judicem appello, ad cujus tribunal à tuis hiſce ſcrupulis provoco. Is eſt Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre in ſcholaſticâ palæſtrâ ac Eccleſiaſticâ eeuditione verſatiſſimus, idemque de utrâque editis doctiſſimis voluminibus, benè meritus. Veniam det magni nominis Princeps purpuratus, quòd exili huic opellæ ejus ſeorentiam auſim inſerere. Ille tom. 3. Theolog. diſp. 113. ſectioni ſecundæ huncce titulum præfigit: *Quinam fuerint illi ſervi Chriſti qui doctrinam Auguſtini in Galliâ ſugillabant.* Cùm autem pluribus erudite demonſtraſſet Semipelagianos fuiſſe Doctores Orthodoxos, num. 38. hæc ſcribit: *Quam in rem notanda ſunt verba Henrici de Noris doctrinâ & profeſſione Auguſtiniani lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 23. paginâ mihi 229. ubi referens acta Synodi Arauſicanæ II ſub Felice IV. Papa,*
„ *poſt exſcripta verba quædam præfationis ſubdit* (Sequ-
„ untur viginti quinque canones, quibus Semipela-
„ gianorum ſententiæ QUÆ EO USQUE CITRA
„ LÆSÆ FIDEI CRIMEN LIBERE DEFENSÆ
„ FUERANT, condemnatæ ſunt, ut abſque hære-
„ ſeos notâ à quovis in poſterùm propugnari non po-
„ tuerint. Quæ plerique non advertentes, magnam
„ ſanctis Patribus Hilario Arelatenſi, Vincentio Li-
„ rinenſi, & ut alii etiam volunt, Joanni Chryſo-
„ ſtomo aliiſque è Græciâ Doctoribus injuriam irro-
„ gari conqueruntur, ſi Semipelagianorum ſententias
„ aſſeruiſſe dicantur; id enim fecere vel nondum motâ,
„ vel pendente lite &c.) Videſne ſententiam Noriſii ab Eminentiſſimo ac ſapientiſſimo Auctore non modò approbatam, verùm etiam grandioribus characteribus, queis fieret notabilior, expreſſam?

Et ſanè uſque ad approbatam à Bonifacio II. Synodum Arauſicanam, dubiam fuiſſe ſententiam de initio fidei, patet ex ejuſdem Pontificis Epiſtolâ ad S. Cæſarium, in quâ cùm dixiſset, indicatum ſibi ab eodem, quoſdam in Galliâ Epiſcopos fidem humani tantùm arbitrii viribus deputare, addit: *Poſtulans, ut pro AMBIGUITATE tollendâ, confeſſionem veſtram, quâ vos è diverſo fidem rectam in Chriſto, totiuſque bonæ voluntatis initium, juxtà Catholicam veritatem per prævenientem Dei Gratiam ſingulorum definitis ſenſibus inſpirari, authoritate Sedis Apoſtolicæ firmaremus.* Ita res adhuc erat in quæſtione: dubia erat & ambigua, quamvis dicat Bonifacius tam multa à S. Auguſtino, ac Romanis Pontificibus de divinâ gratiâ ſtatuta fuiſſe, *ut nulli ulteriùs debeat eſſe* AMBIGUUM, *fidem quoque nobis ipſam venire de gratiâ.* Et ſanè Synodus Arauſicana ea, quæ ſuperiùs ex Caſſiano adduxi, palàm condemnans, ait: *Undè manifeſtiſſimè credendum eſt, quod & illius Latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturâ, ſed divinæ largitatis donum.* Hinc Labbeus tom. IV. Concil. pag. 1042. ſive, quòd errati ſunt numeri paginarum, in notis ad Concilium Arelatenſe Anni 475. ſcribit: *Cæterùm gravi ac diuturnæ contentioni, quæ SANCTISSIMOS & doctiſſimos utrinque viros in Galliâ centum ampliùs annos exercuit, finem poſteà tandem attulit Synodus Arauſicana II. quæ totam de gratiâ & libero arbitrio controverſiam ex Sancti Auguſtini ſententiâ compoſuit.*

Jam ad te redeo. Scribis Semipelagianorum ſanctitatem defendi, quòd *per ignorantiam involuntariam & inculpabilem neſcirent opinionem illam fidei noxiam eſſe, ac Semipelagianæ hæreſi reipſa connexam.* Videſis quæ ſcribas. Nulla erat id temporis hæreſis Semipelagiana; atque illa opinio antè Synodum Arauſicanam erat ſub lite intee Catholicos, ſicut pleræque aliæ opiniones antè expeeſsam Eccleſiæ definitionem. Quod addis omnes ab ignorantiâ involuntariâ & inculpabili eorundem defenſionem collegiſse, jam falſum eſse didiciſti ex Syrmondo, Raynaudo, Labbeo, Thomaſſino. Imò Antelmius Diſsert. 1. de vero Auctore Capitulorum &c. par. 2. num. 15. pag. 68. ſcribit: *Atque cùm ſit OMNIUM aſſenſione firmatum judicium, Noſtrorum*, id eſt Semipelagianorum

Digitized by Google

norum, *fidem an è Synodi Arauſicanæ celebrationem, in jus vocari non potuit*. At tu confugis ad ignorantiam involuntariam & invincibilem, quæ ſanè haud eſſe potuit in Epiſcopis, quando ea opinio fuiſſet tanquam hæreſis ab Eccleſiâ damnata. Ignorantia invincibilis, ſi ſapis, eos etiam excuſat, qui tuentur hæreſes, quas neſciunt ab Eccleſiâ cum anathematis interminatione proſcriptas. Atquouſque opinio quæpiam non eſt prædamnata, licitè poteſt defendi: ac vanum & ſuperfluum eſt eandem aſſerentes ob igoorantiam invincibilem à culpâ, quæ nulla eſt, excuſare. Hæc forſitan meliùs proximè intelliges.

A N O N Y M U S.

,, SEd illam ipſam defenſionis viam, ut Vincentio,
,, ita Gallicanis Epiſcopis, de quibus agitur,
,, ſollicitè præcluſit Noriſius. Cùm enim Rodericus
,, de Arriagâ, juxtâ communem ſententiam, dixiſ-
,, ſet invincibilem ignorantiam multis Semipelagia-
,, norum Maſſilienſium patrocinari potuiſſe, ſic ille
,, in eum inſurgit. *Et poſt verba Noriſii, addit*: Quod
,, ſi jam tum involuntarium fuiſſe negat talium erro-
,, rem, cùm de his circà initia ad Auguſtinum ſeri-
,, pſere Proſper & Hilarius; quantò magis poſt ulti-
,, mos S. Doctoris libros, ubi multò validiùs atque
,, apertiùs Catholica fides Semipelagianiſmo contra-
,, ria ſtabilitur; poſt S. Cœleſtini Epiſtolam in Se-
,, mipelagiaoos ſcriptam; poſt tot alios Proſperi tra-
,, ctatus, quibus idem error planiſſimè revincitur?
,, Non potuere igitur, ſi Noriſium audimus, abſque
,, gravi culpâ, imò niſi malâ fide, Semipelagianis
,, partibus addicti manere. Pag. 15.

R E S P O N S I O.

COnſtat inter doctos, ex ignorantiâ ſcrupulos naſci; hinc facilè à ſcrupulis ad ignorantiam retrograderis. Verùm, ut quidpiam ſaltem de ignorantiâ diſcas, meamet manu ad S. Thomæ ſcholam in præſentia te duco, ut quæ Angelicus præceptor in 1. 2. q. 76. art. 2. docet, intelligas: *Unde*, inquit, *propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt; undè horum ignorantia dicitur invincibilis, quia ſtudio ſuperari non poteſt, & propter hoc ignorantia, cùm non ſit voluntaria, eò quòd non eſt in poteſtate noſtrâ illam repellere, non eſt peccatum. Ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, NON autem, ſi ſit eorum QUÆ QUIS SCIRE NON TENETUR.* Hæc S. Doctor. Tu ignorantiam partiris in invincibilem, ac vincibilem, & hanc ais eſſe voluntariam, culpabilem, ac malæ fidei; cùm illa prior ſit inculpata ac bonæ fidei. Erras; nam ignorantia culpabilis ac malæ fidei eſt ſpecies ſubalterna ignorantiæ vincibilis, quæ rectè ab Angelico in binas ſpecies dividitur, quarum prior eſt culpabilis, cùm eſt eorum, quæ quis ſcire debet; poſterior verò inculpata, quæ eſt eorum, quæ quis ſcire nullâ lege tenetur. Quòd verò in ſcholâ verſamur, libeat ſyllogizare: Ignorantia vincibilis ejus quod quis ſcire nullâ adhuc lege tenetur, eſt compoſſibilis cum ſanctitate, atqui ignorantia vincibilis Semipelagianorum erat ejus, quod ſcire nullâ adhuc lege tenebantur, ergo talis eorum ignorantia erat compoſſibilis cum ſanctitate. Major propoſitio eſt certa, quia ex Angelico Doctore, ea ignorantia vincibilis non eſt peccatum, quod ſolum non eſt compoſſibile cum ſanctitate. Utì enim non facere id, quod nullâ lege fieri imperatur, non eſt peccatum: ita nullum peccatum eſt, neſcire id, quod ſciri nullâ lege jubetur. Minor verò propoſitio conſtat ex ſuperiùs narratis. Nam de initio fidei ex nobis, an potiùs ex Deo, erat teſte Caſſiano, *inter multos magna quæſtio*; erat controverſia ſub *ambiguitate*, utì ait Bonifacius II. erat res quæſtionis non dogmatis, *quæ*, ut ait Labbeus, *ſanctiſſimos & doctiſſimos utrinque viros in Galliâ centum ampliùs annos exercuit*; donec illi Synodus Arauſicana à Bonifacio II. confirmata, finem impoſuit. Num potis es, quodpiam decretum Sedis Apoſtolicæ, vel cujuſpiam Synodi canonem invenire, quibus antè Synodum Arauſicanam opinio illa de initio fidei ex nobis, & non ex Deo, damnata fuerit? Si nullum ejuſmodi decretum invenis, nullâ lege tenebantur, ad eam opinionem exuendam. Si talem quempiam canonem produces; deturpatur pietas Epiſcoporum Galliæ, qui ex laudatis Bonifacii II. literis anno adhuc centeſimo ab obitu Auguſtini, in Semipelagiano luto hærebant; ſiquidèm Epiſcopi tenentur ſcire canones Eccleſiaſticos, ac proinde illorum ignorantia eſt in ipſis culpabilis. Hac ratione ſolvitur quæſtio juris, & optimè cum illâ ignorantiâ vincibili Semipelagianorum ſanctitas componitur. Tu quidèm negotium tibimet fruſtrà faceſſis, ac diſtinguens ignorantiam in invincibilem, & vincibilem: in involuntariam, & voluntariam: in incolpatam, ac culpabilem: in eam denique quæ bonæ ſit fidei, & alteram malæ fidei, imples paginulas, ac ſcrupulos multiplicas. Deſine talibus. Ignorantia, ſive illa ſit invincibilis, ſive vincibilis, ejus quod quis ſcire non tenetur, perinde eſt; non eſt peccatum, ſanctitatem non contaminat, nihil tibi prodeſt, nihil Noriſio nocet.

Jam verò ſi velis ad quæſtionem facti tranſire, nempè inquirendo num ignorantia Semipelagianorum reapſe vincibilis, an verò potiùs invincibilis dicenda ſit, ibimus, Amice, in longum, ac plurimis difficultatibus uodique ſeptam viam calcabimus. Quamvis enim ſupponamus ignorantiam vincibilem illam dici, quæ humano ſtudio ac diligentiâ ſuperari poteſt, ſumus in limine, ac integra reſtat via: nam in taxandâ menſurâ ſtudii ac diligentiæ requiſitæ ad hoc, ut ignoraotia invincibilis & vincibilis diſcerni liquidò poſſint, taotum ineſt difficultatis, ut Michael de Elizalde acutiſſimi ingenii vir lib. 5. de doctrinâ morum quæſt. 15. rem exponere aggreſſus, ejuſdem velutì pondere preſſus, in fine concluſerit, neceſſariam diligentiam medio jullo à nobis vix poſſe taxari; multum quidèm eſſe faciendum; at determinari non poſſe plus, & minus; cùm qui multum ſtudii ponunt, dubitent, ne pro munere ſuas partes impleverint; & qui minus diligentiæ navant, debito ſatisfeciſſe putantes, ipſamet confidentiâ delinquant. Ad hæc de voluntario indirecto diſputandum eſt. Prætereà num diligentiæ debitæ ſit pura omiſſio, eaque tantùm volita interpretativè. Denique an intellectus neceſſariò ſpecificativè aſſentiatur opinioni, quæ ſibi veriſimilior apparet, ita ut non poſſit minùs veriſimilem amplecti; qua de re doctè æquè ac acutè diſputat Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez diſſert. 3. de recto uſu Opinionum probabilium cap. 2. Hæ quidèm & aliæ plures ſalebræ complanandæ ſunt, varii quæſtionum ſinus penetrandi, & multæ diſſolvendæ perplexitates. At Noriſius uno ictu Gordium hunc nodum ſecans, ſcribit Gallicanos illos Doctores non peccaſſe, negando initium fidei eſſe donum Dei, quia id nullâ adhuc lege antè Synodum Arauſicanam credere cogebantur.

Ita

Ita Auguſtinus Cypriani hæreticos rebaptizantis errorem cum ejuſdem ſanctitate conjunxit; & ita pariter tot viri doctiſſimi Semipelagianorum pietatem ac ſanctimoniam eo, quo tenebantur, errore deturpatam fuiſſe negarunt.

Præterea Noriſius Semipalagianorum ſanctitatem non modò à formali, ut inquiunt Scholaſtici, verùm etiam à materiali peccato hæreſeos defendit, à quo aitam tua illa ignorantia invincibilis illos nullatenus vindicat, ut quamvis non formaliter, fuerint tamen materialiter hæretici. Nam qui tuetur errorem, quem invincibiliter ignorat damnatum fuiſſe ab Eccleſiâ, eſt materialiter hæreticus; quamvis errori inhærendo, non peccet. Ejuſmodi facis Semipelagianos, pro quorum ſanctitate tot ſcrupulos moves, verſas, reverſas. At qui tuetur opinionem nullâ adhuc lege ab Eccleſiâ proſcriptam, is ſanè nec formaliter, nec materialiter eſt hæreticus. Hanc planè ſanctitatem Noriſius Semipelagianis attribuit. Cur ergo illum violatæ Antiſtitum Galliæ ſanctimoniæ reum poſtulas, quos tu materialis hæreſeos nævo inficis, à quo tamen Noriſius eoſdem vindicat? Si hac in re quiſpiam adhuc te ſcrupulus pungit, ad Franciſcum Suarez, maximum ac celeberrimum Theologum temet remitto, qui Prolegom. V. de gratiâ cap. 5. num. 6. hæc tibi in aures inſuſurrabit: *Nondum enim erat illa ſententia* Semipelagianorum *hæreſis vel erroris damnata ab Eccleſiâ, ut Proſper in fine libri contrà Collatorem apertè docet, Caſſianumque inter Catholicos numerat.* Enimverò, cùm dixiſti omnes qui Viros ſanctos Galliæ defendendos ſuſcepere, ab ignorantiâ invincibili legitimam illorum excuſationem eruiſſe, legeraſne Suarium, Sirmondum, Raynaudum, Cellotium, Labbeum? Conſulueraſne hacumce rerum peritiſſimum Thomaſſinum, ac Semipelagianorum conterraneum eumdemque Lirinenſium ſecretorum ſcrutatorem Antelmium? Illæne etiam literæ grandiori formâ in Eminentiſſimi Scriptoris volumine expreſſæ, tuos oculos fugere? Dic, amabo, horum, quâ laborabas, ignorantiam ad quam ſpeciem contrahes? Invincibilem, an vincibilem appellabis?

Quòd verò etiam brevem illam Noriſii in angulo libri appendicem ſcrutatus es, ut ſcrupulos majori numero impleres; ibique idem Scriptor negavit Semipelagianos ignorantiâ invincibili laboraſſe, hanc ejus ſententiam paucis expediam, ne in eas te meque difficultates proximè indicatas, conjiciam, opportunum de eadem poſteà ſermonem facturus. Sanctos Galliæ Epiſcopos cum ſanctis Auguſtino, ac Cypriano comparabo, illorumque errorem ex ignorantiâ vincibili cum eorundem ſanctitate componam. Sanctus Auguſtinus in libro de prædeſt. Sanct. cap. 3. laudatâ ſententiâ Apoſtoli 1. Cor. IV. 7. *Quid autem habes quod non accepiſti?* ait: *Quo præcipuè teſtimonio etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis;* quem errorem initio ſui Epiſcopatûs depoſuiſſe teſtatur. Itaque S. Doctor in eo verſabatur errore, qui præcipuus poſteà fuit ac proprius Semipelagianorum. Quia autem dixerit Auguſtinum ſic errantem, fuiſſe ſinè charitate, ac omni privatum ſanctitate? At illa ignorantia erat vincibilis, quia adhibitâ diligentiâ, quam poterat ex Paulinæ Epiſtolæ lectione adjungere, errorem emendaſſet. Si Auguſtinus illam ignorantiam reapſe vicit, eadem profectò vincibilis fuit. At inquies, ſinè notitiâ aut advertentiâ ad laudata verba Apoſtoli, illa erat ignorantia invincibilis. Nihil dicis. Nam habitâ illâ advertentiâ, ea pariter ignorantia reapſe victa fuit; ac proinde fuerat anteà vincibilis. Repones: In illo priori ſigno ſive inſtanti, in quo Auguſtinus cœpit advertere textum Apoſtoli, tunc ignorantiam anteà invincibilem, tùm primùm cœpiſſe vincibilem eſſe. Jam vocamur ad ſigna, ac inſtantia, quæ quidam ad evadendas inextricabiles difficultates, ullo ſinè fine multiplicant. In illo inſtanti incipit ignorantia reapſe vinci, non autem eſſe invincibilis; & in illo ignorantia eſt proximè vincibilis, cùm antè illud inſtans eſſet remotè, ſive non tam proximè vincibilis. Præterea: In quocumque inſtanti ſive tempore, quo S. Doctor potuit legere, & advertere illud dictum Apoſtoli, poterat ſuperare illam ignorantiam; at omni tempore à baptiſmo ad Epiſcopatum potuit legere, & advertere verba Apoſtoli, ergo toto eo medio tempore potuit illam vincere, ac ſuperare ignorantiam. Eo inſtanti, quo legit, & advertit, vicit. Et quocumque potuit inſtanti legere & advertere, potuit vincere. Igitur erat ignorantia vincibilis, non invincibilis. Rursùs hæc propoſitio complexa conditionalis eſt vera: Si Auguſtinus legat & attendat verba Apoſtoli, vincet ignorantiam, quâ laborat, at in quocumque inſtanti poterat conditionem illam purificare, ac proinde in quocumque inſtanti poterat ignorantiam illam depellere. Sed quid pluribus argutando moror in re apud ipſummet Auguſtinum confeſſa ac manifeſta? Nam lib. 1. Retract. cap. 23. fatetur ſe in expoſitione Epiſtolæ Apoſtoli ad Romanos adhæſiſſe errori Semipelagianorum de initio fidei ex viribus liberi arbitrii, additque: NONDUM DILIGENTIUS QUÆSIVERAM *nec adhuc inveneram, qualis ſit electio gratiæ &c.* quæ etiam repetit cap. libri de Prædeſt. Sanctorum. Itaque teſtatur ſe tunc erraſſe ob omiſſam diligentiorem inquiſitionem, quam ad veritatem aſſequendam non adhibuit, cùm illam tamen potuiſſet adhibere. Itaque taliter errans, ignorantiâ vincibili laboravit, quæ intervenit, quoties ex omiſſione diligentioris inquiſitionis erratur. Num dices impoſſibile Auguſtino fuiſſe, tunc uti majori diligentiâ? Quo tandem argumento hanc impoſſibilitatem demonſtrabis?

Hæc explicari poſſunt exemplo ducto à conſcientiâ erroneâ. Qui operatur ex conſcientiâ vincibiliter erroneâ, operatur ex ignorantiâ vincibili. At erroneè ita operans, licèt tunc nullam habeat advertentiam malitiæ, imò putet ſe rectè agere, nihilominùs peccat, quia ſaltem poteſt malitiam advertere; quamvis hæc advertentia ſit incompoſſibilis cum judicio practico erroneo, quocum perperam tunc operatur. Chriſtus Dominus Joannis VI. 2. ait: *Ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Cùm autem Apoſtolorum occiſores, ac Chriſtianorum perſecutores putabant obſequium ſe Deo præſtare, judicabant ſemet rectè & meritoriè etiam apud Deum operari, cum quo errore intellectûs erat incompoſſibilis advertentia ad malitiam occiſionis ac perſecutionis Chriſtianorum. Illi tamen ex ignorantiâ vincibili peccabant, quia tenebantur, neceſſariam diligentiam adhibere, ad conſequendam Chriſtianæ fidei veritatem; quæ omiſſio diligentiæ faciebat, ut peccata illa eſſent ipſis voluntaria indirectè, & ex neceſſitate conſequenti derivarent, cujus ipſimet, requiſitum ſtudium ac diligentiam omittentes, auctores fuerant. Hæc ignorantia ita illis erat peccatum, ut eſſet etiam cauſa peccati, nempè occiſionis Chriſtianorum. Illa tamen licèt vincibilis, ignorantia Auguſtini non erat peccatum, quia erat ejus, quod ſcire nondum aliquâ

le ga

Digitized by Google

lege jubebatur. Hinc S. Thomas in 2. Sent. diſt. 22. q. 2. art. 1. ait: *Nec eſt mirum, ſi hoc ipſum, quod eſt ſcientiã carere, eſt peccatum ei, qui poteſt, & tenetur habere.* Unde oondum exiſtente definitione Eccleſiæ, error Auguſtini de initio fidei ex nobis, erat innocuns; & quamvis poſſet illam ignorantiam vincere, nulli fiebat culpæ obnoxius, quia nullâ lege obligabatur, oppoſitam ſcientiam habere. Cur ergo tantum ſcrupulorum pulverem excitas contrà Noriſium, quòd ſcripſit plures Gallicanos Epiſcopos Semipelagiano errore deceptos fuiſſe, cùm eodem pariter implicitus fuerit uſque ad initia Epiſcopatûs, ſummus ingeniorum apex, magnuſque Eccleſiæ Doctor Auguſtinus? Vaſquez 1. par. diſp. 91. cap. 9. num. 57. *Siquidèm*, inquit, *Maſſilienſes & per Galliam tot etiam inſignes Viri in eadem opinione fuerunt. Res enim admodum ſubtilis & difficilis erat ad explicandum, donec Auguſtinus ingenii ſui felicitate, ut multa alia, eam nobis explicuit.*

Hioc gradum faciam ad ipſorum Maſſilienſium ac ſectatorum ignorantiam exponendam. Sanctus Auguſtinus in laudato libro de Prædeſt. Sanct. cap. 4. iterùm de ſuo circà ioitium fidei errore verba faciens, ait: *In quâ ſententiâ iſtos fratres noſtros eſſe nunc video; quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam ſi curaſſent, inveniſſent iſtam quæſtionem ſecundùm veritatem divinarum Scripturarum ſolutam.* Auguſtinus hìc Semipelagianos appellat *fratres*, ac proinde illos uti Catholicos agnoſcit. Dum verò illis objicit, quòd lectis abs ſe editis libris, *non curaverunt proficere ſecum*, infero eoſdem potuiſſe curare, ac curando proficere. Erat ergo ignorantia vincibilis, quam Auguſtiniani libri lectione depellere potuiſſent. Sanctus Doctor lectione landati textûs Apoſtoli: *Quid autem habes, quod non accepiſti?* intellexit iuitium fidei, ſive ipſum velle credere, eſſe ex dono Dei, utì fusè colligit in libro de Spiritu & lit. cap. 33. Quam doctrinam repetit in libro de Correpṫ. & grat. cap. 2. 6. 7. & 9. At Maſſilienſes cum collegis in Galliâ negarunt ex recitatis verbis Apoſtoli probari initium fidei eſſe in nobis ex gratiâ, teſte Hilario in Epiſtolâ ad Auguſtinum de Semipelagianis ſcribente, eos aſſerere: *Nec de hac fide poſſe dici*: Quid habes, quod non accepiſti? *cùm in eadem naturâ remanſerit, licèt vitiata, quæ prius ſana ac perfecta donata eſt.* Proſper io reſponſione ad excerpta Genuenſium tradit Semipelagianos aſſeveraſſe, Auguſtinum *meliora ſenſiſſe*, quando exiſtimabat, fidem, qua Chriſtiani ſumus, non eſſe ex gratiâ, ſed ex viribus liberi arbitrii; *modò autem errare eum, qui aſſereret etiam ipſam fidem Dei eſſe donum, & ad hanc quoque pertinere, quod dictum eſt: Quid autem habes, quod non accepiſti?* At cur medium ſufficiens ad aſſequendam veritatem, quo Auguſtinus ignorantiam illam vicit, non movit Semipelagiaoos ad intelligendum etiam initium fidei à Deo haberi? Rationem aſſignat Proſper in literis ad Auguſtinum, ſcribens de Semipelagianis poſt lectos ab iiſdem libros S. Doctoris de Correptione & Gratiâ: *Qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores quàm fuerant, receſſerunt.* Itaque perſuaſionis ſuæ, id eſt, conceptæ ſemel opinionis nimio affectu, ſiniſtras interpretationes commentabantur, quibus Pauli Apoſtoli ſententiæ vim declinarent. At Auguſtinus cap. 5. de Prædeſt. Sanctor. refellens Semipelagianam expoſitionem ait: *Nihil ad id, quod volunt, valere intelligitur, ſi cur hoc dixerit Apoſtolus cogitetur.* Quam in rem cùm plura adduxiſſet, concludit: *Quiſquis audet dicere*, habeo ex me ipſo fidem, noo ergo accepi, *profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati.* Cyprianus Epiſt. 62. ad S. Stephanum Papam, ait: *Cæterùm ſcimus quoſdam quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere.* Ita illi ſemel ſuſceptæ opioionis caligioe impediti, *apertiſſimam veritatem* perſpicere non poterant, ſed priorem ſententiam tuebantur, ut Auguſtini verbis utar lib. 12. Confeſſ. cap. 25. *non quia vera erat, ſed quia ſua erat.* Quibus Evangelium eſt ſufficienter promulgatum, non poſſunt ampliùs ab ignorantiâ inviocibili excuſari. Non ergo dicendi ſunt Semipelagiani poſt lectionem librorum S. Auguſtini laboraſse ignorantiâ invincibili, qua adhuc neſcirent, initium fidei non eſſe in nobis ex nobis, ſed dono gratiæ Dei. Nec juvat reponere, rationes, quibus in ſuâ adhuc opinione detinebantur, fuiſſe apud ipſos veriſimiliores, quàm illæ, quas pro verâ ſententiâ ſtabiliendâ Auguſtious adducebat. Nam cùm rationes eſsent reapſe falſæ, & ſolummodò appareoter veræ, ſi majus ſtudium & accuratiorem diligeotiam adhibuiſsent, ac divinam opem ad veram ſententiam aſsequendam imploraſsent, eaſdem rationes & debiles & omninò falſas eſse intelexiſsent. Qui autem non adhibet diligeotiam quantam poteſt, & quanta rem decet, ut veram ſententiam aſsequatur, is patitur ignorantiam vincibilem, quæ eſt illi etiam indirectè voluntaria.

Hæc omnia exemplo S. Cypriani ex libris S. Auguſtini de Baptiſmo contrà Donatiſtas exponam. Ille ad hæreticos rebaptizandos motus eſt rationibus, quas planè veras arbitrabatur, hæc ſcribente Auguſtino lib. 2. cap. 7. *Irruerunt in oculos animæ veriſimiles rationes, & intercluſerunt iter perveſtigandæ veritatis.* Et poſteà ait Cypriano oppoſitam fuiſse coosuetudinem, juxtà quam Eccleſia Romana & occidentalis hæreticos ad Catholicam fidem redeuntes, non rebaptizabat: *Defenſiones autem*, inquit, *ipſius conſuetudinis non tales aſferrent, quibus talis anima moveretur, noluit vir graviſſimus rationes ſuas, etſi non veras, quod eum latebat, ſed tamen non victas, veraci quidèm, ſed tamen NONDUM ASSERTÆ conſuetudini cedere.* Jam quæramus ab Auguſtino, num Cyprianus ob ignorantiam invincibilem putaverit hæreticos eſse rebaptizandos? Hæc ibidem Aoguſtinus proſequitor: *Sed eùm fatigatum præcedentis Concilii, quod per Agrippinum factum eſt, excepiſſet auctoritas, maluit prædeceſſorum ſuorum tanquam inventum defendere, quàm inquirendo, ampliùs laborare. Nam in fine Epiſtolæ ad Quintum, ita oſtendit, in quo tanquam lectulo auctoritatis, quaſi feſſus acquieverit.* Igitur Cyprianus maluit in decreto Agrippini de rebaptizandis hæreticis poſt acrem diſputationem quieſcere, *quàm inquirendo, ampliùs laborare.* Fuit ergo ignorantia vincibilis, quòd non ſategit magis laborando, ac diligentiùs inquirendo, ad veram ſententiam pervenire. Idem S. Doctor lib. 4. cap. 6. ſcribit: *Quod eùm ſibi adversùs totius Orbis morem non ſufficere cerneret, has rationes arripuit, quas modò nos antiquitate ipſius conſuetudinis, & plenarii poſteà Concilii auctoritate firmati, diligentiùs conſiderantes, veri potiùs ſimiles, quàm veras eſſe invenimus, quæ illi vera viſæ ſunt, in obſcuriſſimâ quæſtione laboranti.* Cyprianus eas rationes addenſat in Epiſtolâ 73. eaque prolixâ ad Jubajanum, quam memorans Auguſtinus lib. 3. cap. 4. ait: *Et profectò iſſem in eandem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta*

P auctoritas

opiniones Semipelagianorum Apoſtolico decreto damnaſſet, Hilarius, Vincentius, Caſſianus, aliique eaſdem poſteà aſſerentes, hæreſes jam confixas defendiſſent; unde (*ſi in ſententiâ perſtitere*) nulla apparet ratio, qua poſſent inter Divos connumerari. Illa parentheſis ad rem facit, ac conſultò, ſcienterque à Noriſio inſerta fuit; quia ſub illâ hypotheſi nullâ aliâ ratione illorum ſanctitas defendi poſſet, niſi aſſerendo eos antè obitum à prædamnatâ hæreſi reſipuiſſe. Concedas ſemel illa Capitula condita, ac publicata fuiſſe à Cœleſtino Pontifice in illâ ad Galliæ Epiſcopos Epiſtolâ, undè poſteà poteris ſanctos Galliæ viros ab hæreſeos formalis crimine vindicare? Num, ut unicè facis, ob ignorantiam invincibilem eoſdem excuſatos contendes? At illæ literæ fuerant encyclicæ ad ipſoſmet Galliæ Epiſcopos ſcriptæ. Elogium in iiſdem S. Auguſtino datum, Semipelagiani ſiniſtrâ interpretatione minuebant, teſte Proſpero cap. 42. contrà Collatorem. Eaſdem citat in ſuo Commonitorio Vincentius. Non ergo eas literas, atque ea pariter capitula Gallicani Patres ignoraſſent. Præterea Epiſcopi tenentur ſcire canones univerſalis Eccleſiæ, ac decreta contrà hæreſes ab Apoſtolicâ Sede damnatas. Quarè illorum ignorantia in Epiſcopis eſt peccatum, ſi contraria ſentiant, ac doceant. Dic ergo tu in datâ hypotheſi, undè Epiſcopi Galliæ ab hæreſi excuſari queant, ut dein vitâ functi, in Divos referri potuerint, niſi ob præmiſſam hæreſeos abjurationem? Præterea Epiſcopis Galliæ Semipelagianis, quos memorat Bonifacius II. *in* Epiſtolâ ad S. Cæſarium Arelatenſem, quam excuſationem prætexes, ne heretici, ut dicunt, formales judicentur, ſi *illa* Capitula reapſe Cœleſtinum Papam auctorem habuerunt? Fruſtrà confugies ad tuam illam invincibilem ignorantiam, quæ tuam potiùs ſupinam Eccleſiaſticorum canonum ignorantiam indicabit. Scribit S. Innocentius I. Pontifex ad Brutiorum Epiſcopos Epiſt. 5. *Eccleſiaſticorum Canonum norma nulli eſſe debet incognita Sacerdoti, quia neſciri hæc à Pontifice, ſatis eſt indecorum.* Ipſe Cœleſtinus Papa tertiam ad Epiſcopos Calabriæ & Apuliæ Epiſtolam exorditur: *Nulli Sacerdotum liceat ſuos canones ignorare.* Quod ipſum ſtatuens Synodus VII. can. 2. appellat verba Oſeæ IV.6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.*

§. IV.

Quid ex his Noriſii aſſertionibus contrà Eccleſiam inferri poſſit.

HOſce paſſim titulos præfigit, quò Noriſium in invidiam vocet, cùm tamen ea quæ *inſert*, nullâ prorsùs ratione cum aſſertis ab eodem conveniant, ſed prorsùs diſparata ſint & aliena, uti totâ hac apologiâ mihi demonſtratur. Enimverò hic objicit Noriſium ſcribere ſanctos Galliæ Epiſcopos *pernicioſo errori adhæſiſſe, & quidèm voluntariâ & inexcuſabili pertinaciâ, ac malâ fide.* Ex his autem fingit Calvinianos Noriſiani libri Cenſoribus hocce argumentum objectare.

A N O N Y M U S.

,, HIc igitur permittite, à vobis quæram, Theo-
,, logi ſapientiſſimi, quid poſthac reſpondere
,, nos oporteat Calvinianis ita ex hoc Noriſii libro
,, Romæ approbato argumentantibus &c.
,, Qui plurimis Auguſtini libris edocti, plurimis
,, ejus diſcipulorum lucubrationibus inſtructi, tamen
,, pervicaces in *Semipelagianiſmo* perdurant; qui
,, tam multâ luce *illatâ* oculos obſtinatiſſimè clau-
,, dunt, ne videant; illi aut malâ fide, aut ſaltem vo-
,, luntariâ & affectatâ ignorantiâ pernicioſum erro-
,, rem tuentur*:* ac licèt palàm extrà Eccleſiam non
,, ſint, tamen conſtat eos vel hæreticos eſſe reipſâ,
,, vel formalibus hæreticis non multò meliores*:* tan-
,, tùm abeſt, ut Sanctorum titulo digni cenſendi ſint.
,, Atqui tales fuere tùm Vincentius Lirinenſis, tùm
,, plurimi eodem ſæculo Gallicani Epiſcopi, quos
,, Eccleſia Romana univerſa in Cœlitum numero
,, ſemper habuit, publicèque coluit. Id enim de
,, illis disertè aſſerit, & probat Henricus Noriſius
,, Romani Pontificis Probibliothecarius: cui ſuffra-
,, gantur quinque graviſſimi ex Urbe Theologi ad
,, ejus libri examen ab Innocentio XII. nominatim
,, delecti*;* imò ipſum Romanæ Inquiſitionis Tribu-
,, nal, à quo illorum ſuffragium admiſſum, com-
,, probatumque fuit.
,, Eſt ergo hic veluti publicum monumentum, quo
,, Roma ipſa volens, nolens fatetur Eccleſiam Ponti-
,, ficiam in re graviſſimâ, & ad ipſum Religionis ca-
,, put ſpectante falli; ſubditoſque ſibi populos in er-
,, rorem inducere, dum colendos ejuſmodi homines
,, illis proponit. Ad hoc ergo Hæreticorum argu-
,, mentum, quid reponi jubetis Cenſores doctiſſimi?
,, Major quidem Syllogiſmi propoſitio tota extrà
,, controverſiam eſt. Minor nihil habet, quod ne-
,, gari ab iis poſſit, qui Noriſianum librum ejuſque
,, approbationem ſuſceperint. Conſequentiam autem
,, quonam pacto refellent? Pag. 18.

R E S P O N S I O.

HUic tuo argumento doctiſſimi Cenſores nullam contrà ſententiam, nullum verbum, nullam planè ſyllabam reponent; ſed unicam ſupponent literulam Θ, huic, inquam argumento, quod tam prodigus Calvinianis donaſti. Nullam autem tibi ejuſmodi notulæ rationem reddent, ſive ob majeſtatem conſeſsûs, ſive ob ſecretum ſupremi Magiſtratûs, cui conſultores aſſident. Ipſe tamen rationem, ſi me audias, gratis dabo. Illa tui arguculi Syllogiſmi major propoſitio minimi valet, quam tamen tu tanti facis, ut dixeris*: tota extrà controverſiam eſt.* Imò nihil in eâ, ut Ciceronis verbis utar in libro de Oratore, *in quo non aut res controverſiam faciat aut verba.* Loco vocis *pervicaces*, reponas *contentioſi*, ſi de Viris jam in Divos relatis ſermonem facis; pervicax enim dicitur, qui veritati jam ab Eccleſiâ aſſertæ contradicit. Scio S. Proſperum in Epiſtolâ ad Auguſtinum ſcribere*: Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt.* Et poſt decem verſus*: Eò poſtremò pervicaria tota deſcendit.* Hæc ille, de quibus poſteà ſermo redibit. Cùm verò ludis verba Noriſii tanquam Patrum Gallicanorum ſanctitati injurioſa, nempè*: Qui tam multâ luce illatâ oculos obſtinatiſſimè claudunt, ne videant &c.* diſtinguo, licèt homo ſimplex ſim, etiam dupliciter; *ne videant*, quod latâ ab Eccleſiâ lege videre, ac credere obligabantur, nego; quod nullâ tali lege credere tenebantur, concedo. Et iterùm*: ne videant* veritatem in Auguſtini libris indicatam, concedo; veritatem ab Eccleſiâ ſpeciali definitione aſſertam, nego. Addis*: Illi aut malâ fide, aut ſaltem voluntariâ & affectatâ ignorantiâ pernicioſum errorem tuentur.* Multa falſa in exiguam periodum infercis. Illi nec malâ fide, nec malo dolo, neque etiam voluntariâ & affectatâ ignorantia eam opinionem defendebant*:* ſed ignorantiâ indirectè voluntariâ, quippe qui non eam diligentiam, ſtudium, ac ſolicitudinem adhibuerunt,

quanta

Digitized by Google

quanta tantæ veritati aſſequendæ impendenda fuerat. Non erat error ille antè latam ejuſdem ab Eccleſiâ damnationem, ſanctitati perniciosſus, ſed cum eadem componebatur, ut S. Auguſtinus de errore Cypriani hæreticos rebaptizantis, locis à me laudatis, aſſeruit. Inde erras, quòd ignorantiam dividis in invincibilem, ac vincibilem; illam verò ſemper inculpatam: hanc verò ſemper culpabilem ponis, eamque ſupinam vel affectatam affirmas. Nam ignorantia vincibilis ſi ſit eorum, quæ nullâ lege ſcire obligamur, non eſt peccatum, neque ab eodem ſubjecto ſanctitatem excludit, ut pluribus oſtenſum eſt: Denique erant illi in Eccleſiâ, ac quidam ſummo in eadem loco populis præſidebant, illos ſic deſcribente Proſpero: *Quia multum nos & vita meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotii honore ſupereminent.* Quod denique dicis: *tamen conſtat eos vel hæreticos eſſe reipsâ, vel formalibus hæreticis non multò meliores:* verba ſunt hominis antè tempus homines judicantis. Cùm enim ipſorum opinio non fuerit damnata tanquam hæretica niſi poſt annos centum ab obitu S. Auguſtini, nulli aſſertæ ab Eccleſiâ veritati contradicebant; imò palàm, *ea tantummodò ſequi & probare profitebantur, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Sedes contrà inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit, & docuit.* Cap. 3. Epiſtolæ Cœleſtini aſsuto. Conſtat modò inter eruditos opiniones Semipelagianorum damnatas fuiſſe Arauſicæ anno 529.

Agedum, mi Doctor, qui argumentum, uti putas, ineluctabile Calvinianis procudis, defende, ſi potis es, Hilarium Arelatenſem, ac Fauſtum Rejenſem à Calvinianorum calumniâ. Non eſt, inquiunt, ſanctus qui docet hæreſim; atqui Hilarius aliique in Galliâ Semipelagianam hæreſim docuerunt, non igitur illi ſancti ſunt. Majorem ac Minorem propoſitionem diſtinguis, ut ſanctus ſit qui ex ignorantiâ invincibili hæreſim quampiam docet; non autem ſi ex ignorantiâ vincibili hæreſim tradit. Hîc à jure, ut inquiunt, ſaltas ad quæſtionem facti. Inſtabunt Calviniani. Cùm tu poſt annos ab illorum ætate mille ducentos & quod excurrit, inter homines ambules, ac ſcrupulos ſcribas, undè habes illorum ignorantiam invincibilem fuiſſe? Reſpondes in hac tuâ paſſim opellâ, quia cùm Sancti ſint, non poſſunt à culpâ hæreſeos excuſari niſi beneficio ignorantiæ invincibilis. At, ò bone, inquient Calviniani, petis principium. Nam quæſtio erat, an illi reapſe ſint Sancti; & reſpondiſti, laboraſſe illos invincibili ignorantiâ, cujus rationem aſſignans, quia aliàs non eſſent Sancti, circulum facis, ac petis principium. Calviniani negant ignorantiam invincibilem excuſare à peccato formali, ad quos etiam Janſeniani acceſſere. In præſentia Calviniani quærent, undè ſcias, illorum ignorantiam fuiſſe invincibilem? An verò ob illam à culpâ excuſari poſſint, te remittent ad diſputandum eâ de re cum Janſenianis. Præterea urgebunt: Undè ſcis illos ad verum aſſequendum, adhibuiſſe omnem diligentiam quam & debebant, & poterant impendere? Dices in re facti, te ita credere; quia aliàs non eſſent Sancti. Et iterùm petis principium. Ad hæc, inquient illi: Uti ad concupiſcentias, quas noſtris viribus coercere non poſſumus, ſuperandas, debemus implorare auxilium Dei, ita ad idem auxilium recurrendum eſt, ut vincamus ignorantiam, quam noſtro ſtudio depellere non poſſumus. Putaſne Semipelagianos humano ſtudio ac diligentiæ addidiſſe etiam preces, ut illuſtrarentur à Deo? Profectò affirmabis, quia haud ſecùs, inquies, de Viris ſanctis cogitare licet. Ita ſemper argumento Calviniano nonniſi principium repetendo, reſpondes. In hos te caſſes jactata tibi ignorantia invincibilis adegit. At Noriſius haud hiſce retibus illaqueatur. Negat ille Hilarium alioſque Viros ſanctos hæreſim docuiſſe, quia ea opinio nondum erat hæreſeos damnata ab Eccleſiâ. Expeditè, promptè, uno verbo, Calvinianæ objectioni ſatisfacit. I nunc, ac clama, & reclama: *Major quidem Syllogiſmi propoſitio tota extrà controverſiam eſt.* Videſne quàm tota malè materiata ſit, ut quod reliquum ſuper extruxiſti, non tantùm titubet, ſed labaſcat prorsùs, ac corruat? Hæc olim Auguſtinus lib. 4. contrà Julianum cap. 9. ſcripſit: *Neceſſarios articulos ſermonis tui, quantum me adjuvat Dominus, comprehendo, atque confringo, ut totum corpus victum jacere conſpiciat, qui & illa tua, & hæc noſtra perlegerit.* In Minori magni tui argumenti propoſitione, ut proſopopœjam tam elegantem, tam concinnam, tamque cauſæ accomodatam impleas, non modò Cenſores, verùm etiam tremendum Catholicæ fidei deſertoribus Tribunal, ipſumque adoratum Orthodoxo Orbi Summi Pontificis nomen leviſſimis tuis hiſce ſcrupulis ullo ſinè temeritatis ſcrupulo immiſces. Idem Auguſtinus Epiſt. 162. narrat Donatiſtas cùm in Romano judicio cecidiſſent, dixiſſe: *malos judices ſe eſſe perpeſſos, quæ vox eſt omnium malorum litigatorum.* Quid in illo ſecretiori judicio peractum fuerit, neſcio. Hoc tamen ſcio, Noriſii librum libere lectitari.

A N O N Y M U S.

„ ET verò, addent Calviniani, quod cauſatur
„ Noriſius, Semipelagianiſmum illo ſæculo non-
„ dum inter hæreſes fuiſſe computatum ab Eccleſiâ,
„ ſi quid valet iſta ratio, eò tantùm valet, ut dica-
„ mus, Semipelagianos antè Concilii ſecundi Arau-
„ ſicani definitionem nondum fuiſſe hæreticos, eo
„ ſenſu quo hæreticus appellatur qui errorem expreſ-
„ sè ac ſolemniter totâ Eccleſiâ proſcriptum, tueri
„ pergens, vel ſegregavit ſe ipſe, vel ab illa eje-
„ ctus fuit. Fac igitur Vincentium Lirinenſem ac
„ cæteros nequaquam eo ſenſu hæreticos fuiſſe, id
„ eſt, ab Eccleſiæ communione extorres: quid hoc
„ proderit ad vindicandam illis ſanctitatem, niſi ſi-
„ mul oſtendas eos nec malâ fide, nec culpabili ob-
„ ſtinatione ad hunc errorem adhæſiſſe? Certè cùm
„ foret hic error ex ſe utique Chriſto injurioſus, ac
„ moribus noxius: nulli potuerunt inter Semipela-
„ gianos veniâ digni eſſe, niſi invincibiliter, hoc
„ eſt, inviti & ſinè culpâ ignorarent tale dogma re-
„ verà Pelagianæ hæreſi connexum, & fidei Catho-
„ licæ inimicum eſſe. Pag. 20.

R E S P O N S I O.

JAm ſatis ſuperque demonſtratum eſt, inſignes illos Epiſcopos & Doctores non malâ fide, ſed inculpatâ ignorantiâ, eas opiniones ſecutos fuiſſe, quarum aſſertio nullâ adhuc latâ per Eccleſiam lege damnata erat. Id illi negabant, quod nullâ lege affirmare obligabantur. Ea verò peccato vertuntur, quæ lege prohibentur. Apoſtoli ſunt verba in Epiſtolâ ad Romanos cap. V. 13. *Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet.* Et cap. VII. 7. *Sed peccatum non cognovi niſi per legem.* Equidèm videris mihi omnium ſcrupuloſorum ſcrupuloſiſſimus. Qui enim ſcrupulis pungantur, ſuſpicantur, quidpiam ſe minus divinæ legi conformiter egiſſe. At tu peccatum grave ac enorme, gratiam ac ſanctitatem ab animâ excludens, in eo eſſe exiſtimas, quod nec divinâ nec

Digitized by Google

jectionum Vincentianarum, *quibus S. Proſper reſpondit. Quod etſi cætera taceant, hoc ſufficienter evincet, quòd eodem modo Cœleſtini Papæ Epiſtolam, qua ſe Catholici tuebantur adverſùs Semipelagianos, in ſuas partes ſicut & alii Semipelagiani adverſùs Catholicos uſurpare non dubitavit.* Et hic Theologus ex Ordine Minorum, Gallus & ipſe, ac Doctor Sorbonicus, qui ex Commonitorio ſufficienter evinci putat, Vincentium in Semipelagianorum parte fuiſſe.

Tertium teſtem appello Joſephum Antelmium Canonicum Forojulienſem, virum in rebus Lirinenſium verſatiſſimum, quippè qui Diatribam de *Secretis Lirinenſium* elucubravit. Hic Diſſert. IX. de ſcriptis ſanctorum Leonis ac Proſperi, num. 17. pag. 420. ſcribit de eodem Commonitorio: *Quod ſupereſt opus iſtud aureum licèt & nunquam ſatis pro dignitate commendandum, eo etiam fine intentum, ut Auguſtini doctrinam in ſuſpicionem traheret, tam maximè penes Eruditos invaluiſſe penè perſuadeor.* Plura eo de argumento adnotat, quæ opportuniori poſteà loco intelliges. Audin' uti rem hanc Eruditis jam confeſſam ac teſtatam fateatur, quam tu tamen in crimen trahis?

Quarto loco non unus, ſed plures teſtes ad tribunal deſcendunt, eruditiſſimi Patres Benedictini ex inſigni monaſterio Pariſienſi S. Germani à Pratis, qui in appendice tom. X. operum S. Auguſtini, pag. 132. in notis ad Epiſtolam S. Cœleſtini Papæ ſcribunt: *Hunc locum Vincentius Lirinenſis ſub Commonitorii finem ſic à vero ſenſu contrà Proſperum & Hilarium detorquet, ut ipſe haud injuriâ in erroris Semipelagiani ſuſpicionem veniat.* Sunt quoque hi teſtes ex Galliâ, & ob edita, correcta, ac illuſtrata Sancti Auguſtini volumina, in ore Literatorum ſummâ cum laude verſantur.

Quintum cito teſtem Ludovicum Thomaſſinum Diſſert. XIII. in Synodos pag. 460. num. 30. *Ergo*, inquit, *ſi de Hilario Arelatenſium Epiſcopo, ſi de Vincentio, ſi de Caſſiano, de Gennadio, de Sidonio Appollinari, ſi de Fauſto acerbiùs quid aliquando excidit magnis Viris, id æqui bonique conſulendum eſt, & in doctrinam, in quam incautè & per ſimplicitatem incurrerant, non in perſonas refundendum.* Videſne uti Vincentius cum Semipelagianæ ſcholæ Doctoribus nominetur? Et hic pariter eſt Scriptor Gallicanus.

Sextum ex Hiſpania teſtem arceſſo magnum Salmanticenſium Doctorem Baſilium Poncium Legionenſem, qui in priori parte Relectionum de auxiliis divinæ Gratiæ cap. 4. pag. 40. ſub titulo: *De errore Semipelagianorum &c.* ait: *Præcipui inter eos fuere Caſſianus Chryſoſtomi diſcipulus &c. Vincentius Lirinenſis, & Fauſtus Regienſis.*

Septimus ex eadem Auguſtinianâ gente ſuccedit Chiſtianus Lupus, regius Profeſſor Lovanienſis, in Eccleſiaſticâ eruditione nulli hoc noſtro ſæculo ſecundus. Hic tom. 4. in Synodos, in notis ad canonem 22. Dictat. Gregorii VII. pag. 575. ſcribit: *Sancti Auguſtini de divina gratiæ ac prædeſtinationis efficaciâ doctrinam Sulpicius Severus, Lirinenſis Vincentius, aliique olim Gallorum Clerici ac Monachi oderant peſſimè, adeòque infamabant, ut maledicendi ſtudio ſemetipſas apud omnem poſteritatem reddiderint famoſos.* Hæc videri poſſint acerbius dicta. Verùm refero tantùm fideliter teſtimonia, nec probo, ſi quid juſtæ offenſionis cauſam dare videatur. Enimverò, uno dempto Poncio, cæteri ab anno 1668. ad uſque annum 1690. recitatâ de Vincentii Lirinenſis doctrinâ, teſtimonia pronuntiarunt. Cur ergo unus Noriſius in crimen vocatur? cur uni illi conflatur invidia? cur, cùm tot in eâdem cum ipſo navi ſint, contrà unum illum accuſationum tempeſtas toties excitata, & nuper improviſo tuorum ſcrupulorum turbine inſtaurata deſævit?

ANONYMUS.

„ EQuidèm ut illum à formali hæreſis crimine ex-
„ cuſet, addit Noriſius tunc Semipelagianiſmi
„ profeſſorem fuiſſe, quando adhuc fas erat eâ de re
„ in utramque partem diſputare. Sed eundem inte-
„ rim deſcribit hominem vaſrum ac ſubdolum, imò
„ hypocritam, ac ſycophantam, quippè qui Com-
„ monitorium ſuum ſcripſerit, ſpecie quidèm adver-
„ sùs omnium temporum hæreticos, reipſa ut Augu-
„ ſtinum oppugnaret, ac tanquam hæreticum trado-
„ ceret; qui hoc fecerit poſt ipſam S. Cœleſtini Pa-
„ pæ Epiſtolam, quâ disertè vetatur, ne quis ita de
„ Sancto Doctore loqui audeat: qui non modò hanc
„ Epiſtolam pro Auguſtino ejuſque diſcipulis ſcri-
„ ptam, fraude malâ in contrariam partem detorſe-
„ rit, verùm etiam Vincentianas objectiones contrà
„ Sanctum Doctorem, ejuſque diſcipulos compoſue-
„ rit &c. Pag. 7.

RESPONSIO.

JAm prædixi, me totius defenſionis ſummam in inſignium Scriptorum teſtimoniis collocaturum. Hæc ait laudato loco Lovanienſis Doctor Lupus pag. 758. *Aureum illud Vincentii pro fidei Catholicæ antiquitate Commonitorium, ad inſtar canonum Antiochenorum, eſt malæ radicis non malus per omnia fructus. Oſtendere conatur, non Auguſtini, ſed ſuorum dogmata eſse avita, ideoque hæc, non iſta per Cœleſtinum fuiſse comprobata. Epiſtolam, quòd impugnari non poſset, ita placuit detorqueri.*

Claudius Fraſsen laudati libri pag. 422. recitato prolixiori teſtimonio S. Proſperi ex cap. 43. contrà Collatorem, ait: *Quibus liquet quàm diverſimodè Cœleſtini Epiſtolam Vincentius & Proſper in ſuas partes deducerent. Nam Vincentius vel ſaltem Adverſarii Auguſtini, ex eâ Epiſtolâ urgebant illud, quòd antiquitati novitas cedere debeat; unde colligebant, ſi Auguſtinus in prioribus ſcriptis conſentiat antiquitati, in poſterioribus non item, Cœleſtini elogia ad priora tantùm Auguſtini ſcripta pertinere. Contrà Proſper ex eâdem Epiſtolâ urgebat, laudationem Auguſtini &c. non minùs de poſterioribus quàm de anterioribus ſcriptis intelligendam affirmabat.*

Joſeph Antelmius Diſsert. IX. proximè appellatâ pag. 421. ſcribit: *Hoc valentiſſimi pugilis Vincentii partibus concedere tandem neceſse erat experimentum, ut que hunc jam egregiè demonſtrarunt laudati Viri docti, ſuas in fortunas acceſſere contendiſse Cœleſtini contrà Lirinenſes ac Maſſilienſes, pro Auguſtini doctrinæ commendatione, elicitas à Proſpero literas, ita nunc videre par eſt, qua exquiſitâ induſtriâ jaculum aliò contorſerit.* Et adductis Vincentii ſententiis, addit: *Quæque deinceps Auctor eo ſummo artificio commentari pergit, ut arcani conſciis tantò magis videatur in ſancti Hipponenſis Præſulis placita latenter invehi, quantò in omnes alias hæreſes ſtudioſiùs inſurgere primâ fronte conſpicitur.* Idem tradunt Benedictini Patres in notis proximè mihi laudatis, ut mirum ſit, Anonymum horum Auctorum voces Noriſii opinioni conſonas, de proximo non audiviſse. Scripſit Noriſius Vincentium *vanâ quidem ſed argutâ interpretatione* Cœleſtini Epiſtolam contrà Proſperum ac Hilarium detorſiſse. Hoccine eſt deſcribere Vincentium *hominem vaſrum*

ac

Digitized by Google

ac ſubdolum , imò planè hypocritam ac ſycophantam? Noli, quæſo, Benedictinis ſyncellitis de Auguſtinianâ doctrinâ benè meritis, tantâ verborum acrimoniâ, ut tuam tibi vocem reddam, ſycophantari.

Sanctus Proſper reſponſum edidit *ad objectiones Vincentianas*, ex quâ libelli inſcriptione non pauci eruditi jam olim illarum auctorem dixere Vincentium Lirinenſem. Laudati Patres Benedictini tom. X. operum S. Auguſtini, in Appendice pag. 207. ſcribunt: *Lovanienſes obſervant eſſe, qui arbitrantur, objectionum ſcriptorem Vincentium Lirinenſem illum fuiſſe, cujus extat adversùs profanas vocum novitates Commonitorium ſcriptum circiter annum 434.* Lupus verò in peculiari tractatu de Eccleſiæ & Reipublicæ contrà Pelagianos decretis pag. 457. operis poſthumi ait: *Lirinenſis enim Monachus Vincentius, quidam Maſſilienſes Clerici, Galli adhuc alii & Genuenſes ex ejus* nempè Auguſtini, *libris fabricarunt fœdos iſtos articulos, ex quibus profluit calumnia hæreſis Prædeſtinatianæ.* Videſis Antelmium pag. 424 §. *Si etenim seriò perpendantur &c.* Auguſtinus ſententiam de prædeſtinatione ad primam gratiam, ſive ad initium fidei, necnon ad finalem perſeverantiam independenter à præſcientiâ meritorum sive de congruo ſive de condigno, tradiderat. Huic doctrinæ plurimi in Galliæ inſignes Viri contradicebant, objicientes illud abſolutum Dei prædeſtinantis decretum, teſte Proſpero in literis ad Auguſtinum, *lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre; removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, & ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem.* Hæ objectiones à Scholaſticis argumenta ab abſurdo vulgò dicuntur, quibus ex aſſertâ quapiam ſententiâ, portentoſæ quædam conſectariæ propoſitiones colliguntur, quas velint, nolint, devorent oportet illius ſemel poſitæ ſententiæ aſſertores. Ejuſmodi ſunt objectiones Vincentianæ, quibus S. Proſper Auguſtinianæ doctrinæ vindex acerrimus, edito libello ſatisfecit. Vincentius acerbiorem ſanè notam, in illo diſputationum æſtu, adverſariis inuſſit. At hos longè ſeverioribus dictis excepit S. Proſper poſtremâ parte libri contrà Collatorem. Quis neſciat quâ cenſuræ acerbitate Hieronymus in Epiſtolâ ad Theophilum, & Cyrillus in literis ad Atticum, Magnum Chryſoſtomum perſtrinxerint? Brevem hanc apologiam donat Baronius circa finem Anni 412: *Homines enim illi erant, & humanis paſſionibus obnoxii.* An non Hieronymus in Epiſt. 14 ad Auguſtinum ſcribit ſe ſin ejus Epiſtolâ *quædam hæretica judicaſſe?* Additque: *Provocas ſenem; tacentem ſtimulas; videris jactare doctrinam.* At eximiâ Auguſtini moderatione factum eſt, ne amica illa diſputatio in majorem controverſiam excreſceret.

A N O N Y M U S.

,, Qui ſciens, prudens, & malâ fide ſummo Ec-
,, cleſiæ Paſtori imponit, ut contrà expreſſam
,, ejus ſententiam Auguſtinum ex defenſore antiquæ
,, fidei, novatorem, ex Catholico hæreticum ab ipſo
,, factum eſſe perſuadeat: qui *in tantum charitatis ob-*
,, *litus* eſt, ut ad conflandam ſanctiſſimo Doctori ejuſ-
,, que Diſcipulis invidiam, *ineptiſſimarum blaſphe-*
,, *miarum prodigioſa mendacia*, his affingat, profectò
,, multum abeſt, ut ſanctitatem attigerit, cùm tam
,, longè non ſolùm à Chriſtianâ charitate, ſed ab in-
,, fimo vel humanæ probitatis gradu remotus ſit. Hæc
,, tamen ſunt, quæ de Vincentio Lirinenſi Notiſius
,, à ſe primùm detecta gloriatur. Pag. 8.

R E S P O N S I O.

Cum S. Cœleſtinus in Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ adversùs Semipelagianos Auguſtini doctrinæ detrahentes, ſcripſiſſet: *Deſinat ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem:* Vincentius cap. 43. Commonitorii ait: *Deſinat, inquit, ſi ita res eſt, id eſt, ſi ita eſt, ut apud me quidam urbes & provincias veſtras criminantur, quòd eas quibuſdam novitatibus conſentire noxiâ diſſimulatione faciatis; deſinat itaque, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem.* *Ergo hæc fuit beati Cœleſtini beata ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem: ſed potiùs novitas deſineret inceſſere vetuſtatem.* Claudius Fraſſen Doctor Sorbonicus tom. 1. Academiæ Scoti tract. 2. diſp. 3. pag. 422. ſcribit de Vincentii interpretatione: *Ligendo ſemper illud (ſi) non obſcurè indicat ſe criminationem Proſperi & Hilarii pro falsâ habere.* Idem docent Lupus, Antelmius, ac Patres Benedictini, quorum ſuperiùs teſtimonia recitavi. Hæc S. Cœleſtinus ſcribit: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circà Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt, tantùm neſcio quibus Presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adverſantia veritati.* Itaque Proſper & Hilarius *neſcio quos presbyteros* apud Cœleſtinum accuſaverant. At Vincentius ait eoſdem *Urbes & Provincias* in crimen apud Cœleſtinum vocaſſe. Et toties replicans illa *ſi ita eſt*, illatam criminationem falſitatis inſimulare viſus eſt. Sed hæc aliàs diſcuſſa ſunt. In eâ Epiſtolâ non Auguſtinus, ſed Proſper & Hilarius dicuntur à Maſſilienſibus reprehenſi quòd *prædicarent adverſantia veritati.* Vincentius, Caſſianus aliique ſententiam S. Auguſtini de prædeſtinatione antè præviſa merita novitatis incuſabant, quòd ſecùs anteriores Patres docuerant; ex illâ enim neceſſitatem fatalem aliaque abſurda inferri contendebant. Dionyſius Petavius tom. 1. dogm. Theolog. lib. 9. cap. 6. egregiè probat S. Auguſtinum ſtatuiſſe, Deum antè præviſionem meritorum prædeſtinaſſe electos ad gloriam. Idem verò toto capite tertio contendit oſtendere, ſanctos Patres Auguſtino anteriores in contrariâ ſententiâ communi conſenſu fuiſſe. Ergone dicetur Petavius *S. Auguſtinum ex defenſore antiquæ fidei novatorem, ex Catholico hæreticum feciſſe?* Novatores appellantur, qui nova dogmata Orthodoxæ fidei antiquitùs traditæ contraria comminiſcuntur; non qui novam opinionem in quæſtione nondum ab Eccleſiâ definitâ, proponunt. At enim conſtat Maſſilienſes laudatæ Auguſtini ſententiæ novitatem objeciſſe; de illis enim ſcribit S. Proſper in literis ad S. Auguſtinum: *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt; & ea quæ de Epiſtolâ Apoſtoli Pauli Romanis ſcribentis, ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentiuntur, affirmant.* Quibus reſpondet S. Doctor cap. 14. de Prædeſt. Sanct. & cap. 19. de Dono perſeverantiæ, ubi ſanctorum Cypriani & Ambroſii auctoritate ſuam de prædaſtinatione ſententiam confirmat. Quarè cùm Semipelagiani novitatem Auguſtinianæ ſententiæ objectarent, indè memoratam Cœleſtini Epiſtolam ſuæ ipſorum opinioni favorabilem jactabant.

Quid

§. III.

Quid de ſanctiſſimis quinto ſæculo Galliæ Epiſcopis ſtatuat Noriſius?

ANONYMUS.

„ NEque hîc ſiſtit Noriſius. Unà cum Vincentio
„ Lirinenſi alia ſplendidiſſima Galliæ noſtræ
„ lumina, ſanctiſſimos dico quinti ſæculi Antiſtites
„ Semipelagianiſmi accuſat: & quod antè illum
„ auſus erat nemo Catholicus, ſic accuſat, ut eos
„ errore planè voluntario, ac malæ fidei veritatem
„ impugnaſſe ſignificet. Pag. 9.

RESPONSIO.

NOriſius ſcribit Semipelagianorum ſententiam nondùm fuiſſe ab Eccleſiâ damnatam; undè nullum Epiſcoporum Galliæ ſanctitati præjudicium intulit. At ſi dixiſset id temporis pleroſque Galliæ Epiſcopos ipſa Pelagiana dogmata, ac ſuperbæ hæreſis errores à Summis Pontificibus Innocentio, Zoſimo, ac Bonifacio, totque Africanis Synodis prædamnatos, defendiſſe, in quas querelas erumperes? quas contrà illum accuſationes inſtrueres? quæ tribunalia delationibus non fatigares? At ſcito diverſos Galliæ Epiſcopos puros putos Pelagianos fuiſſe. Ne frontem contrahas, ſed aures patienter commoda. Recito Edictum Cæſaris Valentiniani III.

Imperatores Theodoſius Auguſtus, & Valentinianus Cæſar Armatio Viro Illuſtri, Præfecto Prætorio Galliarum.

DIverſos Epiſcopos nefarium Pelagiani & Cœleſtiani dogmatis errorem ſequentes, per Patroclum ſacroſanctæ legis Antiſtitem præcipimus conveniri. Quos quia confidimus emendari, niſi intrà viginti dies ex conventionis tempore, intrà quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeque Catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco Sacerdotes fideles ſubrogari, quatenus præſentis erroris macula de populorum animis tergatur, & futuræ bonum diſciplinæ reſtituatur. Data VII. Idus Julias Aquilejæ. D. N. Theodoſio Auguſt. XI. & Valentiniano Cæſare Conſulibus.

Patroclus erat Metropolita Arelatenſis, cui Valentinianus injunxit, ut Epiſcopos Pelagianos, niſi reſipiſcerent, ex provinciis Gallicanis expelleret, Armatio Præfecto Prætorio Galliarum manus eidem dare juſſo. Qui pulſi fuerint, quive ad meliorem frugem redierint, neſcimus; nec credo te poſse divinare. Interim vides imperialium legum terrore quoſdam facilè potuiſse Pelagianam hæreſim mitigare, ac ad Semipelagianiſmum declinare. Hæc ſcribit Chriſtianus Lupus in Opuſc. poſthum. pag. 456. *Per Patroclum Arelatenſem Epiſcopum ac laudatam Valentiniani legem, correcti in Galliâ Epiſcopi reliquere diſcipulos eruditione ac pietate illuſtres; verùm qui Pelagianis erroribus ſic valedicerent, ut tamen in S. Auguſtini adverſùm illos ſcriptis quædam improbarent.* Viden uti Semipelagianos eruditione ac pietate illuſtres nuncupet. Quod ad hos attinet, Noriſius eos inter unum & alterum nominavit, nempè S. Hilarium Arelatenſem, ac Fauſtum Rejenſem. Et quidèm Hilarium Arelatenſem Semipelagianis adhæſiſſe disertè teſtatur S. Proſper in fine Epiſtolæ ad S. Auguſtinum: quod ipſum tradunt plures alii, quorum poſteà teſtimonia appellabo. Unus modò inſtar omnium mihi ſit Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre tom. 3. Theol. diſp. 113. ſect. 2. num. 36. ubi de Proſperi Epiſtolâ ſcribit: *Denique infrà non longè a fine iterùm illos nempè Semipelagianos, meritis & honoribus claros, & ipſum Hilarium Arelatenſem adhuc in humanis agentem, qui ex parte Auguſtino diſſentiebat, ſanctum appellat.* Interim interrogemus teſtes, num plures Epiſcopi in Galliâ Semipelagianorum partes ſecuti fuerint; poſteà de ſanctis, ſivè ſanctiſſimis ſermonem faciam.

Ludovicus Molina ait: *Quæ* Auguſtini *doctrina plurimos ex fidelibus præſertim ex iis, qui in Galliá morabantur, non ſolùm indoctos, ſed etiam doctiſſimos viros, atque in Epiſcopali dignitate conſtitutos, mirum in modum turbavit, ne dicam illius occaſione ſalutem eorum fuiſſe periclitatam. Ne enim ejuſmodi doctrinæ adhærerent, hæreſi potius Pelagianæ ex parte aſſentiendum putabant.* In Concordiâ grat. & lib. arb. quæſt. 23. art. 4. diſp. 1. memb. ult. pag. 856. edit. Lugdun. 1593.

Gabriel Vaſquez ſcribit: *Horum Maſſilienſium dux fuit Caſſianus, quem ſecuti ſunt per Galliam Epiſcopi ferè omnes ſuæ ætatis, inter quos ut quibuſdam placet, fuerunt Vincentius Lirinenſis & Galli permulti.* In 1. par. diſp. 91. cap. 8. num. 43 Et anteà diſp. 89. capite 4. num. 24. loquens de Maſſilienſibus, ait: *Horum ſententiam ſecuti ſunt multi per Galliam Epiſcopi, ad quos Cæleſtinus Epiſtolam illam ſcribit.*

Petavius tom. 3. Dogm. Theol. in tract. de Pelag. & Semipel. hæreſi cap. 7. num. 1. pag. 622. ſcribit viſum eſſe Auguſtinum totum dare gratiæ ſinè ullâ energiâ voluntatis: *Quæ res*, inquit, *haud levem apud Catholicos & pios ejus nomini conflavit invidiam, præſertim Gallicanos Epiſcopos, & Presbyteros in Lugdunenſi & Arelatenſi provinciâ, velut Maſſiliæ ubi tum eruditione & ſanctitate florebat Caſſianus &c. Illi ergo tacitè Auguſtinum vellicabant, quòd Pelagiani erroris odio in extremum alterum evectus pluſculum gratiæ & Dei auxilio tribuiſſet.*

Theophilus Raynaudus in libro de bonis ac malis libris num. 581. pag. 326. ſcribit: *Unde diſcimus Hilarium Arelatenſem alioſque Gallicanos Epiſcopos & Doctores in libros Auguſtini ſtrinxiſse cenſuram, quos Cæleſtinus I. Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ ſeverè & fortiter compeſcuit, & enubilatâ ſenſim caligine, quam livor & aſtus affectuum inimicorum obduxerat, verum eſſe apparuit, quod de Auguſtino dixit Facundus Hermianenſis* lib. 9. de tribus Capitulis; *Auguſtinus vir adamantinus, in quo omnes adverſariorum dentes franguntur.* Num vox *livor* tibi acerbior videtur? Eâ uſus eſt S. Fulgentius de iiſdem Semipelagianis in Galliâ ſeribens lib. 1. ad Monimum cap. 30. *Huic itaque*, inquit, *pravitati, quæ B. Auguſtini dictis non ex veritate, ſed ex livore obiiciebatur, tali Proſper ſermone reſpondit.*

Sed his omnibus præferendus eſt Bonifacius II. Papa, qui in Epiſtolâ ad S. Cæſarium Arelatenſem ait: *Indicas enim quòd aliqui Epiſcopi Galliarum, cùm cætera jam bona ex Dei acquieverint gratiâ provenire, fidem tantùm, quâ in Chriſto credimus, naturæ eſſe velint non gratiæ.* Data eſt Epiſtola ſub initium anni 530. qui fuit ab obitu S. Auguſtini centeſimus; tam altas radices egerat in Epiſcoporum etiam mentibus Semipelagiana doctrina, ut vix poſt ſæculum potuerit extirpari.

ANO-

Digitized by Google

ANONYMUS.

„ HOc ſufficit quod ex illo diſcamus. Primò, „ pleroſque Epiſcoporum, qui Gallicanis Ec-„ cleſiis præfuerunt, indè ab ortu Semipelagianæ hæ-„ reſis circà Annum 420. ad finem circiter ejus ſæ-„ culi, ſi non etiam ulteriùs, Semipelagiano erro-„ re implicitos fuiſſe. Secundò: Non poſſe juxtà „ Noriſium aliquos ab illo numero eximi eo nomi-„ ne, quòd ſanctitatis ſama præ cæteris claruerint „ Nunc videamus quò hæc pertineant. Pag. 13.

RESPONSIO.

JAm intellexiſti ex Bonifacii Papæ literis, ac ex ſcriptis inſignium Doctorum, Epiſcopos quoque in Galliâ Semipelagianorum partibus adhæſiſſe. Fuerinme pauci, multi, plures, nec mea, nec ipſorum intereſt, ut intelliges. Extremo ſæculo *aliqui*, fervente diſputatione *multi* vel *plures* eſſe potuerint. Si paucos dixeris, eoſdem facilè digitis computabis. Quod illorum ſanctitatem ſpectat, accipe reſponſum S. Remigii Archiepiſcopi cum ſuâ Lugdunenſi Eccleſiâ in libro de tribus Epiſtolis cap. 35. ubi cùm dixiſſet S. Auguſtinum libros de Prædeſt. Sanct. & de Dono perſever. elucubraſſe, ait: *Compellente ſcilicet tantâ ſuper hac re querimoniâ & perturbatione magnorum & ſanctorum apud Gallias virorum, qui ejus diſputationibus in tantum permoti fuerant, & quodam tædio affecti, ut prædeſtinationis ſenſum, qui ab eo conſtanter & inſtanter prædicabatur, vel falſum, vel quaſi valdè periculoſum, potiùs tacendum eſſe judicarent.* Ita Semipelagiani qui doctrinæ Auguſtinianæ contradicebant, *magni & ſancti* appellantur. Hæc ille didicerat à S. Proſpero, qui Semipelagianos per literas Auguſtino deſcribens, ait: *Poſſumus quidèm ad credendum eſſe conſtantes, ſed ad auctoritatem talia ſentientium non ſumus pares; quia multùm nos & vitæ meritis antecellunt &c.* Quæ poſtrema verba vitæ ſanctimoniam exprimunt. Accedat teſtis locupletiſſimus Jacobus Sirmondus, qui tom. 1. Conc. Galliæ pag. 605. in notis ad Synodum Arauſicanam II. ait: *Intererat autem Concilium iſtud, quod Leonis olim Papæ temporibus adſerebatur, ad hæc potius tempora differri propter multos doctrinâ & pietate præſtantes viros: qui ſpatio interjecto, favere in Galliâ viſi ſunt Semipelagianis, quorum placita in hac demùm Synodo, quam Sedis Apoſtolicæ auctoritas comprobavit, penitùs exploſa, & rejecta ſunt.* Intelligis quis & quæ dicat? Sirmondus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ conſultiſſimus, tradit plurimi intereſſe Synodum Arauſicanam affigi anno 529. *ob multos doctrinâ ac pietate præſtantes viros*, qui à pontificatu Leonis Magni, nempè ab annis ferè nonaginta, in Galliis Semipelagianis favere viſi ſunt. Audiſne uti dicit *multos*? At, inquis, non eos Epiſcopos nuncupat. Eſto; vocat tamen *pietate præſtantes*, cujus ratione Noriſio dicam dicis. Itaque expunge illa verba: *Hoc ſufficit quod ex illo diſcamus.* Haud tibi opus eſt Noriſii magiſterio, nec illè vellet, cum homine tam ſcrupuloſo operam perdere. Diſce illa ex Bonifacio II. ex S. Proſpero, ex Eccleſiâ Lugdunenſi. Diſce ex Molina, Vaſquio, Raynaudo, Petavio, Sirmondo, aliiſque à me productis Scriptoribus. Cùm neminem illorum conſulueris, quid mirum, ſi tot undique ſcrupulis implicitus Cenſores roges, ut te ex iiſdem expediant? Hìc verò vetuſta Eccleſiarum diptycha perluſtras; conſulis Sammarthanorum tabulas, ac plures ſanctos Antiſtites, qui quinto ſæculo in Galliâ floruere, recenſes, ac concludis pag. 14. juxtà Noriſium ex tanto numero benè multos Semipelagianos extitiſſe. Jam dixi, nolle me eoſdem ad calculos vocare.

ANONYMUS.

„ POſito quòd Semipelagiani fuiſſe probarentur, „ hæc facilis & obvia reſponſio ſuppetebat: er-„ raſſe illos bonâ fide, ac ſine pertinaciâ, paratos ſen-„ tentiam mutare ubi primùm Eccleſia præciperet; „ cùm interim per ignorantiam involuntariam & in-„ culpabilem neſcirent opinionem illam noxiam eſſe, „ ac Semipelagianæ hæreſi reipſa connexam. Atque „ hanc reſpondendi rationem vulgò inierunt quicun-„ que aliquem ex antiquis defendere ſunt aggreſſi, „ quem à Semipelagianiſmo vindicari non poſſe cre-„ derent. Pag. 14.

RESPONSIO.

NOn ibo inficias, imò ultrò concedo, Semipelagianos doctrinâ ac pietate præſtantes viros, paratos fuiſſe ſententiam mutare, ſtatim ac contrariam Eccleſia præcepiſſet. Etenim uti ſcribitur in primo capitulo aſſuto S. Cœleſtini Epiſtolæ: Semipelagiani *ea tantummodo ſequi & probare* profitebantur, *quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Petri Sedes contrà inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit, & docuit.* At enim peto abs te, Apoſtolicane Sedes antè Synodum Arauſicanam docuerat initium fidei in nobis non ex nobis, ſed ex Deo eſſe? Si affirmas, omnes Semipelagianos reapſe hæreticos facis: quippè qui damnatam ab Eccleſiâ opinionem defenderunt. Sin autē negas, erat ergo res illa quæſtionis, non dogmatis, ita ut quilibet pro arbitrio utram partem poſſet citrà læſæ fidei notam tueri. An non hæc tota eaque ſolida ratio eſt, quâ Noriſius Semipelagianorum ſanctitatem defendit? Hæc ille ſcribit lib. 2. Hiſt. Pelag. capite 11. *Tunc ab Auguſtino in controverſiâ de prædeſtinatione ad fidem recedebant, quando fas erat, ea de re in utramque partem diſputare; anno enim demùm centeſimo ab Auguſtini obitu, S. Doctoris ſententia in Arauſicanâ Synodo inter fidei canones relata eſt.* Quòd video, te in iis parum eſſe verſatum, undè ex multarum rerum ignorantiâ tanta tibi ſcrupulorum ſeges excrevit, ſtylum tui unius inſtruendi gratiâ, tantiſper hìc ſiſtam.

Semipelagiani omnes bonos virtutum actus gratiæ divinæ adjutorio fieri contrà Pelagium fatebantur. Solùm initium fidei, noſtris viribus fieri poſſe autumabant, quam quidèm opinionem citrà læſæ fidei periculum, in utramque partem diſputari poſſe dicebant. Caſſianus Semipelagianæ Scholæ conditor, Collat. 13. cap. 11. ſcribit: *Et ita ſunt hæc quodammodo indiſcretè permixta atque confuſa, ut quid ex quo pendeat, inter multos* MAGNA QUÆSTIONE *volvatur, id eſt, utrùm quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus; an quia Deus miſereatur, conſequamur bonæ voluntatis initium.* Ubi initium fidei aliquando eſſe ex nobis, probat ex Zachæi ac boni Latronis fide, *qui deſiderio ſuo vim quamdam regnis cœleſtibus inferentes, ſpecialia vocationis monita prævenerunt.* Et cap. 15. idem de Zachæi fide repetit, cui addit etiam Cornelium, cujus fides plenam gratiæ largitionem præceſſit, tanquam occaſio, non tamen velutì meritum de condigno. Itaque num initium fidei ſit ex dono Dei, an ex nobis, non dogma fidei attinere, ſed *magnam inter multos quæſtionem* eſſe profitetur. Proſper in Epiſtolâ ad Auguſtinum, cùm dixiſſet, in Semipelagianorum opinione virulentiæ Pelagianæ fibram nutriri, *ſi principium ſalutis malè in homine collocetur; ſi divinæ voluntati impiè voluntas humana præfertur*,

fertur, ut ideò quis adjuvetur, quia voluit, non ideò quia adjuvatur, velit, ſtatim ait: *Ac primum quia plerique non putant, Chriſtianam fidem hac diſſenſione violari, quantum periculi ſit in eorum perſuaſione patefacias.* Itaque Semipelagiani aſſeverabant, nihil de initio fidei ſive ex Deo, ſive ex nobis decretum fuiſſe ab Eccleſiâ, ſed eſſe rem adiaphoram, & inter Catholicos liberè ac licitè controverſam. Hinc nulla ad Semipelagianorum ſanctitatem defendendam ratio expeditior ac facilior adduci poteſt, quàm nondum ea de re quidpiam ſtatutum fuiſſe ab Ecceleſiâ. Cùm enim hæreticus ſit, qui pertinaciter damnatas ab Eccleſiâ opiniones & errores tuetur, Semipelagiani ab omni hæreſeos notâ à Noriſio liberantur. Hanc planè viam iniit Auguſtinus, ut S. Cyprianom hæreticos rebaptizantem, à eulpabili errore defenderet. Etenim lib. 1. de Baptiſmo contrà Donatiſtas cap. 18. de baptiſmi quæſtione ait: *in qua tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſtâ quæſtione, ſalvâ pace, ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum ſincerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem cooperiret charitas unitatis.* Et lib. 4. cap. 6. *Quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Eccleſiâ.* Et lib. 2. cap. 4. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati, cui & ipſe Cyprianus ſinè dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur.* Ita pariter viri eruditiores Semipelagianorum ſanctitatem defendendam eſſe duxerunt. Audiſti Sirmondum, qui ait intereſſe Synodum Arauſicanam differri ad annum 529. *propter multos doctrinâ & pietate præſtantes viros, qui ſpatio interjecto favere in Galliâ viſi ſunt Semipelagianis.* Ludovicus Thomaſſinus diſſert. 13 in Synodos num. 30. pag. 460. cùm nominaſſet Hilarium Arelatenſem, Vincentium, Fauſtum, Caſſianum &c. ait: *Ita fiet ut non invideamus, non obtrectemus ſpectatæ eorum complurium ſanctitati, cui Auguſtinus & Proſper ipſi applaudebant. Nec magnoperè ſatagemus, an antè obitum acquieverint ſaniori doctrinæ. Cùm ad Arauſicanæ ſaltem uſque Synodi tempora inter Catholicos numerari non deſierint.* Theophilus Raynaudus cap. 3. Apologiæ pro Valeriano Cemelenenſi ſcribit: *Erunt ergo qui exiſtiment eam maculam eſſe in Valeriano minorem, quòd Valerianus eo ævo vixerit, eaque in regione, cujus plerique omnes Præſules* (dolentne tibi oculi?) *& viri ſanctitate ac eruditione præſtantes, ad eundem ſcopulum naufragantes, de initio fidei ex humanæ voluntatis aliquo per ſe ipſam niſu: deque gratiâ Dei humanæ invocationi ſubjunctâ &c. à D. Auguſtino impunè diſſidebant: donec poſt annos circiter LX. eoque ampliùs Concilii Arauſicani II. definitione, proſcripto errore, veritas Catholica conſtabilita eſt.* Litigabas cum Noriſio, quòd *ploroſque Præſules*; & nullam Vaſquio fidem dabas, qui *omnes ferè Epiſcopos* in Galliis Semipelagianos dixerunt. At Raynaudus abjectâ particulâ diminutivâ, utrumque numerum junxit, *ploroſque omnes* aſfirmans Semipelagianizaſſe.

Poſt teſtes graviſſimos ac doctiſſimos, judicem appello, ad cujus tribunal à tuis hiſce ſcrupulis provoco. Is eſt Eminentiſſimus Cardinalis de Aguirre in ſcholaſticâ palæſtrâ ac Eccleſiaſticâ eruditione verſatiſſimus, idemque de utrâque editis doctiſſimis voluminibus, benè meritus. Veniam det magni nominis Princeps purpuratus, quòd exili huic opellæ ejus ſententiam auſim inſerere. Ille tom. 3. Theolog. diſp. 113. ſectioni ſecundæ huncce titulum præfigit: *Quinam fuerint illi ſervi Chriſti qui doctrinam Auguſtini in Galliâ ſugillabant.* Cùm autem pluribus eruditè demonſtraſſet Semipelagianos fuiſſe Doctores Orthodoxos, num. 38. hæc ſcribit: *Quam in rem notanda ſunt verba Henrici de Noris doctrinâ & profeſſione Auguſtiniani lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 23. paginâ mihi 229. ubi referens acta Synodi Arauſicanæ II ſub Felice IV. Papa,*
„ *poſt exſcripta verba quædam præfationis ſubdit* (Sequuntur viginti quinque canones, quibus Semipelagianorum ſententiæ QUÆ EO USQUE CITRA LÆSÆ FIDEI CRIMEN LIBERE DEFENSÆ FUERANT, condemnatæ ſunt, ot abſque hæreſeos notâ à quovis in poſterùm propugnari non potuerint. Quæ plerique non advertentes, magnam ſanctis Patribus Hilario Arelatenſi, Vincentio Lirinenſi, & ut alii etiam volunt, Joanni Chryſoſtomo aliiſque è Græciâ Doctoribus injuriam irrogari conqueruntur, ſi Semipelagianorum ſententias aſſeruiſſe dicantur; id enim fecere vel nondum motâ, vel pendente lite &c.) Videſne ſententiam Noriſii ab Eminentiſſimo ac ſapientiſſimo Auctore non modò approbatam, verùm etiam grandioribus characteribus, queis fieret notabilior, expreſſam?

Et ſanè uſque ad approbatam à Bonifacio II. Synodum Arauſicanam, dubiam fuiſſe ſententiam de initio fidei, patet ex ejuſdem Pontificis Epiſtolâ ad S. Cæſarium, in quâ cùm dixiſſet, indicatum ſibi ab eodem, quoſdam in Galliâ Epiſcopos fidem humani tantùm arbitrii viribus deputare, addit: *Poſtulans, ut pro AMBIGUITATE tollendâ, confeſſionem veſtram, quâ vos è diverſo fidem rectam in Chriſto, totiuſque bonæ voluntatis initium, juxtà Catholicam veritatem per prævenientem Dei Gratiam ſingulorum definitis ſenſibus inſpirari, authoritate Sedis Apoſtolicæ firmaremus.* Ita res adhuc erat in quæſtione: dubia erat & ambigua, quamvis dicat Bonifacius tam multa à S. Auguſtino, ac Romanis Pontificibus de divinâ gratiâ ſtatuta fuiſſe, *ut nulli ulteriùs debeat eſſe* AMBIGUUM, *fidem quoque nobis ipſam venire de gratiâ.* Et ſanè Synodus Arauſicana ea, quæ ſuperiùs ex Caſſiano adduxi, palàm condemnans, ait: *Undè manifeſtiſſimè credendum eſt, quod & illius Latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturâ, ſed divinæ largitatis donum.* Hinc Labbeus tom. IV. Concil. pag. 1042. ſive, quòd errati ſunt numeri paginarum, in notis ad Concilium Arelatenſe Anni 475. ſcribit: *Cæterùm gravi ac diuturnæ contentioni, quæ SANCTISSIMOS & doctiſſimos utrinque viros in Galliâ centum ampliùs annos exercuit, finem poſteà tandem attulit Synodus Arauſicana II. quæ totam de gratiâ & libero arbitrio controverſiam ex Sancti Auguſtini ſententiâ compoſuit.*

Jam ad te redeo. Scribis Semipelagianorum ſanctitatem defendi, quòd *per ignorantiam involuntariam & inculpabilem neſcirent opinionem illam fidei noxiam eſſe, ac Semipelagianæ hæreſi reipſa connexam.* Videſis quæ ſcribas. Nulla erat id temporis hæreſis Semipelagiana; atque illa opinio antè Synodum Arauſicanam erat ſub lite inter Catholicos, ſicut pleræque aliæ opiniones antè expreſſam Eccleſiæ definitionem. Quod addis omnes ab ignorantiâ involuntariâ & inculpabili eorundem defenſionem collegiſſe, jam falſum eſſe didiciſti ex Syrmondo, Raynaudo, Labbeo, Thomaſſino. Imò Antelmius Diſſert. 1. de vero Auctore Capitulorum &c. par. 2. num. 15. pag. 68. ſcribit: *Atque cùm ſit OMNIUM aſſenſione firmatum judicium, Noſtrorum*, id eſt Semipelagia-

norum

norum, *fidem an è Synodi Arauſicanæ celebrationem, in jus vocari non potuit*. At tu confugis ad ignorantiam involuntariam & invicibilem, quæ ſanè haud eſse potuit in Epiſcopis, quando ea opinio fuiſset tanquam hæreſis ab Eccleſiâ damnata. Ignorantia invincibilis, ſi ſapis, eoi etiam excuſat, qui tuentur hæreſes, quas neſciunt ab Eccleſiâ cum anathematis interminatione proſcriptas. Atquouſque opinio quæpiam non eſt prædamnata, licitè poteſt defendi: ac vanum & ſuperfluum eſt eandem aſserentes ob igoorantiam invincibilem à culpâ, quæ nulla eſt, excuſare. Hæc forſitan meliùs proximè intelliges.

ANONYMUS.

,, SEd illam ipſam defenſionis viam, ut Vincentio,
,, ita Gallicanis Epiſcopis, de quibus agitur,
,, ſollicitè præcluſit Noriſius. Cùm enim Rodericus
,, de Arriagâ, juxtà communem ſententiam, dixiſ-
,, ſet invincibilem ignorantiam multis Semipelagia-
,, norum Maſſilienſium patrocinari potoiſſe, ſic ille
,, in eum inſurgit. *Et poſt verba Noriſii, addit*: Quod
,, ſi jam tum involuntarium fuiſſe negat talium erro-
,, rem, cùm de his circà initia ad Augullinum ſcri-
,, pſere Proſper & Hilarius; quantò magis poſt ulti-
,, mos S. Doctoris libros, ubi multò validiùs atque
,, apertiùs Catholica fides Semipelagianiſmo contra-
,, ria ſtabilitur; poſt S. Cœleſtini Epiſtolam in Se-
,, mipelagianos ſcriptam; poſt tot alios Proſperi tra-
,, ctatus, quibus idem error planiſſimè revincitur?
,, Non potuere igitur, ſi Noriſiom audimus, abſque
,, gravi culpâ, imò oiſi malâ fide, Semipelagianis
,, partibus addicti manere. Pag. 15.

RESPONSIO.

COnſtat ioter doctos, ex ignorantiâ ſcrupulos naſci; hinc facilè à ſcrupulis ad ignorantiam retrograderis. Verùm, ut quidpiam ſaltem de ignorantiâ diſcas, meamet manu ad S. Thomæ ſcholam in præſentia te duco, ut quæ Angelicus præceptor in 1. a. q. 76. art. 2. docet, intelligas: *Unde*, inquit, *propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, eſt peccatum. Non autem imputatur homini ad negligentiam, ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt; undè horum ignorantia dicitur invincibilis, quia ſtudio ſuperari non poteſt, & propter hoc ignorantia, cùm non ſit voluntaria, eò quòd non eſt in poteſtate noſtrâ illam repellere, non eſt peccatum. Ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, NON autem, ſi ſit eorum QUÆ QUIS SCIRE NON TENETUR.* Hæc S. Doctor. Tu ignorantiam partiris in invincibilem, ac vincibilem, & hanc ais eſſe voluntariam, culpabilem, ac malæ fidei; cùm illa prior ſit inculpata ac bonæ fidei. Erras; nam ignorantia culpabilis ac malæ fidei eſt ſpecies ſubalterna ignorantiæ vincibilis, quæ rectè ab Angelico in binas ſpecies dividitur, quarum prior eſt culpabilis, cùm eſt eorum, quæ quis ſcire debet; poſterior verò inculpata, quæ eſt eorum, quæ quis ſcire nullâ lege tenetur. Quòd verò in ſcholâ verſamur, libeat ſyllogizare: Ignorantia vincibilis ejus quod quis ſcire nullâ adhuc lege tenetur, eſt compoſſibilis cum ſanctitate, atqui ignorantia vincibilis Semipelagianorum erat ejus, quod ſcire nullâ adhuc lege tenebantur, ergo talis eorum ignorantia erat compoſſibilis cum ſanctitate. Major propoſitio eſt certa, quia ex Angelico Doctore, ea igoorantia vincibilis non eſt peccatum, quod ſolum non eſt compoſſibile cum ſanctitate. Uti enim non facere id, quod oullâ lege fieri imperatur, non eſt peccatum: ita nullum peccatum eſt, neſcire id, quod ſciri nullâ lege jubetur. Minor verò propoſitio conſtat ex ſuperiùs narratis. Nam de initio fidei ex nobis, an potiùs ex Deo, erat teſte Caſſiano, *inter multos magna quæſtio*; erat controverſia ſub *ambiguitate*, utì ait Bonifacius II. erat res quæſtionis non dogmatis, *quæ*, ut ait Labbeus, *ſanctiſſimos & doctiſſimos utrinque viros in Galliâ centum ampliùs annos exercuit*; donec illi Synodus Arauſicana à Bonifacio II. confirmata, finem impoſuit. Num potis es, quodpiam decretum Sedis Apoſtolicæ, vel cujuſpiam Synodi canonem invenire, quibus antè Synodum Arauſicanam opinio illa de initio fidei ex nobis, & non ex Deo, damnata fuerit? Si nullum ejuſmodi decretum invenis, nullâ lege teoebantur, ad eam opinionem exuendam. Si talem quempiam canonem produces; deturpatur pictas Epiſcoporum Galliæ, qui ex laudatis Bonifacii II. literis anno adhuc centeſimo ab obitu Auguſtini, in Semipelagiano luto hærebant; ſiquidèm Epiſcopi tenentur ſcire canones Eccleſiaſticos, ac proinde illorum ignorantia eſt in ipſis culpabilis. Hac ratiooe ſolvitur quæſtio juris, & optimè cum illâ ignorantiâ vincibili Semipelagiaoorum ſanctitas componitur. Tu quidèm negotium tibimet fruſtrà faceſſis, ac diſtinguens ignorantiam in invincibilem, & vincibilem: in involuntariam, & voluntariam: in inculpatam, ac culpabilem: in eam denique quæ bonæ ſit fidei, & alteram malæ fidei, imples paginulas, ac ſcrupulos multiplicas. *Deſine talibus.* Ignorantia, ſive illa ſit invincibilis, ſive vincibilis, ejus quod quis ſcire non tenetor, perinde eſt; non eſt peccatum, ſanctitatem non contaminat, nihil tibi prodeſt, nihil Noriſio nocet.

Jam verò ſi velis ad quæſtionem facti tranſire, nempè inquirendo num ignorantia Semipelagianorum reapſe vincibilis, an verò potiùs invincibilis dicenda ſit, ibimus, Amice, in longum, ac plurimis difficultatibus undique ſeptam viam calcabimus. Quamvis enim ſupponamus ignorantiam vincibilem illam dici, quæ humano ſtudio ac diligentiâ ſuperari poteſt, ſumus in limine, ac integra reſtat via: nam in taxandâ menſurâ ſtudii ac diligentiæ requiſitæ ad hoc, ut ignorantia invincibilis & vincibilis diſcerni liquidò poſſint, taotum ineſt difficultatis, ut Michael de Elizalde acutiſſimi ingenii vir lib. 5. de doctrinâ morum quæſt. 15. rem exponere aggreſſus, ejuſdem velutì pondere preſſus, in fine concluſerit, neceſſariam diligentiam medio juſto à nobis vix poſſe taxari; multum quidèm eſſe faciendum; at determinari non poſſe plus, & minus; cùm qui multum ſtudii ponunt, dubitent, ne pro munere ſuas partes impleverint; & qui minus diligentiæ navant, debito ſatisfeciſſe putantes, ipſamet confidentiâ delinquant. Ad hæc de voluntario indirecto diſputandum eſt. Præterea num diligentiæ debitæ ſit pura omiſſio, eaque tantùm volita interpretativè. Denique an intellectus neceſſariò ſpecificativè aſſentiatur opinioni, quæ ſibi veriſimilior apparet, ita ut non poſſit minùs veriſimilem amplecti; qua de re doctè æquè ac acutè diſputat Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez diſſert. 3. de recto uſu Opinionum probabilium cap. 2. Hæ quidèm & aliæ plures ſalebræ complanandæ ſunt, varii quæſtionum ſinus penetrandi, & multæ diſſolvendæ perplexitates. At Noriſius uno ictu Gordium hunc nodum ſecans, ſcribit Gallicanos illos Doctores non peccaſſe, negando initium fidei eſſe donum Dei, quia id nullâ adhuc lege antè Synodum Arauſicanam credere cogebantur.

Ita

Ita Auguſtinus Cypriani hæreticos rebaptizantis errorem cum ejuſdem ſanctitate conjunxit; & ita pariter tot viri doctiſſimi Semipelagianorum pietatem ac ſanctimoniam eo, quo tenebantur, errore deturpatam fuiſſe negarunt.

Præterea Noriſius Semipelagianorum ſanctitatem non modò à formali, ut inquiunt Scholaſtici, verùm etiam à materiali peccato hæreſeos defendit, à quo altero tua illa ignorantia invincibilis illos nullatenus vindicat, ut quamvis non formaliter, fuerint tamen materialiter hæretici. Nam qui tuetur errorem, quem invincibiliter ignorat damnatum fuiſſe ab Eccleſiâ, eſt materialiter hæreticus; quamvis errori inhærendo, non peccet. Ejuſmodi facis Semipelagianos, pro quorum ſanctitate tot ſcrupulos moves, verſas, reverſas. At qui tuetur opinionem nullâ adhuc lege ab Eccleſiâ proſcriptam, is ſanè nec formaliter, nec materialiter eſt hæreticus. Hanc planè ſanctitatem Noriſius Semipelagianis attribuit. Cur ergo illum violatæ Antiſtitum Galliæ ſanctimoniæ reum poſtulas, quos tu materialis hæreſeos nævo inficis, à quo tamen Noriſius eoſdem vindicat? Si hac in re quiſpiam adhuc te ſcrupulus pungit, ad Franciſcum Suarez, maximum ac celeberrimum Theologum temet remitto, qui Prolegom. V. de gratiâ cap. 5. num. 6. hæc tibi in aures inſuſurrabit: *Nondum enim erat illa ſententia* Semipelagianorum *hæreſis vel erroris damnata ab Eccleſiâ, ut Proſper in fine libri contrà Collatorem apertè docet, Caſſianumque inter Catholicos numerat.* Enimverò, cùm dixiſti omnes qui Viros ſanctos Galliæ defendendos ſuſcepere, ab ignorantiâ invincibili legitimam illorum excuſationem eruiſſe, legeraſne Suarium, Sirmondum, Raynaudum, Cellotium, Labbeum? Conſulueraſne harumce rerum peritiſſimum Thomaſſinum, ac Semipelagianorum conterraneum eundemque Lirinenſium ſecretorum ſcrutatorem Antelmium? Illæne etiam literæ grandiori formâ in Eminentiſſimi Scriptoris volumine expreſſæ, tuos oculos fugere? Dic, amabo, horum, quâ laborabas, ignorantiam ad quam ſpeciem contrahes? Invincibilem, an vincibilem appellabis?

Quòd verò etiam brevem illam Noriſii in angulo libri appendicem ſcrutatus es, ut ſcrupulos majori numero impleres; ibique idem Scriptor negavit Semipelagianos ignorantiâ invincibili laboraſſe, hanc ejus ſententiam paucis expediam, ne in eas te neque difficultates proximè indicatas, conjiciam, opportunum de eadem poſteà ſermonem facturus. Sanctos Galliæ Epiſcopos cum ſanctis Auguſtino, ac Cypriano comparabo, illorumque errorem ex ignorantiâ vincibili cum eorundem ſanctitate componam. Sanctus Auguſtinus in libro de prædeſt. Sanct. cap. 3. laudatâ ſententiâ Apoſtoli 1. Cor. IV. 7. *Quid autem habes quod non accepiſti?* ait: *Quo præcipuè teſtimonio etiam ipſe convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis;* quem errorem initio ſui Epiſcopatûs depoſuiſſe teſtatur. Itaque S. Doctor in eo verſabatur errore, qui præcipuus poſteà fuit ac proprius Semipelagianorum. Quis autem dixerit Auguſtinum ſic errantem, fuiſſe ſinè charitate, ac omni privatum ſanctitate? At illa ignorantia erat vincibilis, quia adhibitâ diligentiâ, quam poterat ex Paulinæ Epiſtolæ lectione adjungere, errorem emendaſſet. Si Auguſtinus illam ignorantiam reapſe vicit, eadem profectò vincibilis fuit. At inquies, ſinè notitiâ aut advertentiâ ad laudata verba Apoſtoli, illa erat ignorantia invincibilis. Nihil dicis. Nam habitâ illâ advertentiâ, ea pariter ignorantia reapſe victa fuit; ac proinde fuerat anteà vincibilis. Repones: In illo priori ſigno ſive inſtanti, in quo Auguſtinus cœpit advertere textum Apoſtoli, tunc ignorantiam anteà invincibilem, tùm primùm cœpiſſe vincibilem eſſe. Jam vocamur ad ſigna, ac inſtantia, quæ quidam ad evadendas inextricabiles difficultates, ullo ſinè fine multiplicant. In illo inſtanti incipit ignorantia reapſe vinci, non autem eſſe invincibilis; & in illo ignorantia eſt proximè vincibilis, cùm antè illud inſtans eſſet remotè, ſive non tam proximè vincibilis. Præterea: In quocumque inſtanti ſive tempore, quo S. Doctor potuit legere, & advertere illud dictum Apoſtoli, poterat ſuperare illam ignorantiam; at omni tempore à baptiſmo ad Epiſcopatum potuit legere, & advertere verba Apoſtoli, ergo toto eo medio tempore potuit illam vincere, ac ſuperare ignorantiam. Eo inſtanti, quo legit, & advertit, vicit. Et quocumque potuit inſtanti legere & advertere, potuit vincere. Igitur erat ignorantia vincibilis, non invincibilis. Rursùs hæc propoſitio complexa conditionalis eſt vera: Si Auguſtinus legat & attendat verba Apoſtoli, vincet ignorantiam, quâ laborat, at in quocumque inſtanti poterat conditionem illam purificare, ac proinde in quocumque inſtanti poterat ignorantiam illam depellere. Sed quid pluribus argutando moror in re apud ipſummet Auguſtinum confeſſa ac manifeſta? Nam lib. 1. Retract. cap. 23. fatetur ſe in expoſitione Epiſtolæ Apoſtoli ad Romanos adhæſiſſe errori Semipelagianorum de initio fidei ex viribus liberi arbitrii, additque; NONDUM DILIGENTIUS QUÆSIVERAM *nec adhuc inveneram, qualis ſit electio gratiæ &c.* quæ etiam repetit cap. libri de Prædeſt. Sanctorum. Itaque teſtatur ſe tunc erraſſe ob omiſſam diligentiorem inquiſitionem, quam ad veritatem aſſequendam non adhibuit, cùm illam tamen potuiſſet adhibere. Itaque taliter errans, ignorantiâ vincibili laboravit, quæ intervenit, quoties ex omiſſione diligentioris inquiſitionis erratur. Num dices impoſſibile Auguſtino fuiſſe, tunc uti majori diligentiâ? Quo tandem argumento hanc impoſſibilitatem demonſtrabis?

Hæc explicari poſſunt exemplo ducto à conſcientiâ erroneâ. Qui operatur ex conſcientiâ vincibiliter erroneâ, operatur ex ignorantiâ vincibili. At erroneè ita operans, licèt tunc nullam habeat advertentiam malitiæ, imò putet ſe rectè agere, nihilominùs peccat, quia ſaltem poteſt malitiam advertere; quamvis hæc advertentia ſit incompoſſibilis cum judicio practico erroneo, quocum perperam tunc operatur. Chriſtus Dominus Joannis VI. 2. ait: *Ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Cùm autem Apoſtolorum occiſores, ac Chriſtianorum perſecutores putabant obſequium ſe Deo præſtare, judicabant ſemet rectè & meritoriè etiam apud Deum operari, cum quo errore intellectûs erat incompoſſibilis advertentia ad malitiam occiſionis ac perſecutionis Chriſtianorum. Illi tamen ex ignorantiâ vincibili peccabant, quia tenebantur, neceſſariam diligentiam adhibere, ad conſequendam Chriſtianæ fidei veritatem; quæ omiſſio diligentiæ faciebat, ut peccata illa eſſent ipſis voluntaria indirectè, & ex neceſſitate conſequenti derivarent, cujus ipſimet, requiſitum ſtudium ac diligentiam omittentes, auctores fuerant. Hæc ignorantia ita illis erat peccatum, ut eſſet etiam cauſa peccati, nempè occiſionis Chriſtianorum. Illa tamen licèt vincibilis, ignorantia Auguſtini non erat peccatum, quia erat ejus, quod ſcire nondum aliquâ

lege

Digitized by Google

lege jubebatur. Hinc S. Thomas in 2. Sent. diſt. 22. q. 2. art. 1. ait: *Nec eſt mirum, ſi hoc ipſum, quod eſt ſcientiâ carere, eſt peccatum ei, qui poteſt, & tenetur habere.* Unde nondum exiſtente definitione Eccleſiæ, error Auguſtini de initio fidei ex nobis, erat innocuus; & quamvis poſſet illam ignorantiam vincere, nulli fiebat culpæ obnoxius, quia nullâ lege obligabatur, oppoſitam ſcientiam habere. Cur ergo tantum ſcrupulorum pulverem excitas contrà Noriſium, quòd ſcripſit plures Gallicanos Epiſcopos Semipelagiano errore deceptos fuiſſe, cùm eodem pariter implicitus fuerit uſque ad initia Epiſcopatûs, ſummus ingeniorum apex, magnuſque Eccleſiæ Doctor Auguſtinus? Vaſquez 1. par. diſp. 91. cap. 9. num. 57. *Siquidèm*, inquit, *Maſſilienſes & per Galliam tot etiam inſignes Viri in eadem opinione fuerunt. Res enim admodum ſubtilis & difficilis erat ad explicandum, donec Auguſtinus ingenii ſui felicitate, ut multa alia, eam nobis explicuit.*

Hinc gradum faciam ad ipſorum Maſſilienſium ac ſectatorum ignorantiam exponendam. Sanctus Auguſtinus in laudato libro de Prædeſt. Sanct. cap. 4. iterùm de ſuo circà initium fidei errore verba faciens, ait: *In quâ ſententiâ iſtos fratres noſtros eſſe nunc video; quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam ſi curaſſent, inveniſſent iſtam quæſtionem ſecundùm veritatem divinarum Scripturarum ſolutam.* Auguſtinus hic Semipelagianos appellat *fratres*, ac proinde illos uti Catholicos agnoſcit. Dum verò illis objicit, quòd lectis abs ſe editis libris, *non curaverunt proficere ſecum*, infero eoſdem potuiſſe curare, ac curando proficere. Erat ergo ignorantia vincibilis, quam Auguſtiniani libri lectione depellere potuiſſent. Sanctus Doctor lectione laudati textûs Apoſtoli: *Quid autem habes, quod non accepiſti?* intellexit initium fidei, ſive ipſum velle credere, eſſe ex dono Dei., uti fusè colligit in libro de Spiritu & lit. cap. 33. Quam doctrinam repetit in libro de Corrept. & grat. cap. 2. 6. 7. & 9. At Maſſilienſes cum collegis in Galliâ negarunt ex recitatis verbis Apoſtoli probari initium fidei eſſe in nobis ex gratiâ, teſte Hilario in Epiſtolâ ad Auguſtinum de Semipelagianis ſcribente, eos aſſerere: *Nec de hac fide poſſe dici:* Quid habes, quod non accepiſti? *cùm in eadem naturâ remanſerit, licèt vitiata, quæ prius ſana ac perfecta donata eſt.* Proſper in reſponſione ad excerpta Genuenſium tradit Semipelagianos aſſeveraſſe, Auguſtinum *meliora ſenſiſſe*, quando exiſtimabat, fidem, qua Chriſtiani ſumus, non eſſe ex gratiâ, ſed ex viribus liberi arbitrii; *modò autem errare eum, qui aſſereret etiam ipſam fidem Dei eſſe donum, & ad hanc quoque pertinere, quod dictum eſt: Quid autem habes, quod non accepiſti?* At cur medium ſufficiens ad aſſequendam veritatem, quo Auguſtinus ignorantiam illam vicit, non movit Semipelagianos ad intelligendum etiam initium fidei à Deo haberi? Rationem aſſignat Proſper in literis ad Auguſtinum, ſcribens de Semipelagianis poſt lectos ab iiſdem libros S. Doctoris de Correptione & Gratiâ: *Qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores quàm fuerant, receſſerunt.* Itaque perſuaſionis ſuæ, id eſt, conceptæ ſemel opinioni animio affectu, ſiniſtras interpretationes commentabantur, quibus Pauli Apoſtoli ſententiæ vim declinarent. At Auguſtinus cap. 5. de Prædeſt. Sanctor. refellens Semipelagianam expoſitionem ait: *Nihil ad id, quod volunt, valere intelligitur, ſi cur hoc dixerit Apoſtolus cogitetur.* Quam in rem cùm plura adduxiſſet, concludit: *Quiſquis audet dicere,* habeo ex me ipſo fidem, non ergo accepi, *profectò contradicit huic apertiſſimæ veritati.* Cyprianus Epiſt. 62. ad S. Stephanum Papam, ait: *Caterùm ſcimus quoſdam quod ſemel imbiberint, nolle deponere, nec propoſitum ſuum facilè mutare, ſed ſalvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria quæ apud ſe ſemel ſint uſurpata, retinere.* Ita illi ſemel ſuſceptæ opinionis caligine impediti, *apertiſſimam veritatem* perſpicere non poterant, ſed priorem ſententiam tuebantur, ut Auguſtini verbis utar lib. 12. Confeſſ. cap. 25. *non quia vera erat, ſed quia ſua erat.* Quibus Evangelium eſt ſufficienter promulgatum, non poſſunt ampliùs ab ignorantiâ invincibili excuſati. Non ergo dicendi ſunt Semipelagiani poſt lectionem librorum S. Auguſtini laboraſſe ignorantiâ invincibili, qua adhuc neſcirent, initium fidei non eſſe in nobis ex nobis, ſed dono gratiæ Dei. Nec juvat reponere, rationes, quibus in ſuâ adhuc opinione detinebantur, fuiſſe apud ipſos veriſimiliores, quàm illæ, quas pro verâ ſententiâ ſtabiliendâ Auguſtinus adducebat. Nam cùm rationes eſſent reapſe falſæ, & ſolummodò apparenter veræ, ſi majus ſtudium & accuratiorem diligentiam adhibuiſſent, ac divinam opem ad veram ſententiam aſſequendam imploraſſent, eaſdem rationes & debiles & omninò falſas eſſe intellexiſſent. Qui autem non adhibet diligentiam quantam poteſt, & quanta rem decet, ut veram ſententiam aſſequatur, is patitur ignorantiam vincibilem, quæ eſt illi etiam indirectè voluntaria.

Hæc omnia exemplo S. Cypriani ex libris S. Auguſtini de Baptiſmo contrà Donatiſtas exponam. Ille ad hæreticos rebaptizandos motus eſt rationibus, quas planè veras arbitrabatur, hæc ſcribente Auguſtino lib. 2. cap. 7. *Irruerunt in oculos animæ veriſimiles rationes, & intercluſerunt iter perveſtigandæ veritatis.* Et poſteà ait Cypriano oppoſitam fuiſſe conſuetudinem, juxtà quam Eccleſia Romana & occidentalis hæreticos ad Catholicam fidem redeuntes, non rebaptizabat: *Defenſiones autem*, inquit, *ipſius conſuetudinis non tales afferrent, quibus talis anima moveretur, noluit vir graviſſimus rationes ſuas, etſi non veras, quod eum latebat, ſed tamen non victas, veraci quidèm, ſed tamen NONDUM ASSERTÆ conſuetudini cedere.* Jam quæramus ab Auguſtino, num Cyprianus ob ignorantiam invincibilem putaverit hæreticos eſſe rebaptizandos? Hæc ibidem Auguſtinus proſequitur: *Sed cùm fatigatum præcedentis Concilii, quod per Agrippinum factum eſt, excepiſſet auctoritas, maluit prædeceſſorum ſuorum tanquam inventum defendere, quàm inquirendo, ampliùs laborare. Nam in fine Epiſtolæ ad Quintum, ita oſtendit, in quo tanquam lectulo auctoritatis, quaſi feſſus acquieverit.* Igitur Cyprianus maluit in decreto Agrippini de rebaptizandis hæreticis poſt acrem diſputationem quieſcere, *quàm inquirendo, ampliùs laborare.* Fuit ergo ignorantia vincibilis, quòd non fategit magis laborando, ac diligentiùs inquirendo, ad veram ſententiam pervenire. Idem S. Doctor lib. 4. cap. 6. ſcribit: *Quod eùm ſibi adversùs totius Orbis morem non ſufficere cerneret, has rationes arripuit, quas modò nos antiquitate ipſius conſuetudinis, & plenarii poſteà Concilii auctoritate firmati, diligentiùs conſiderantes, veri potiùs ſimiles, quàm veras eſſe invenimus, quæ illi vera viſa ſunt, in obſcuriſſimâ quæſtione laboranti.* Cyprianus eas rationes addenſat in Epiſtolâ 73. eaque prolixâ ad Jubajanum, quam memorans Auguſtinus lib. 3. cap. 4. ait: *Et profectò iſtem in eandem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta*

Digitized by Google

auctoritas aliorum &c. Si Cyprianus *diligentiorem conſiderationem* intendiſſet, qualem adhibuit Auguſtinus, cognoviſſet ſuarum rationum falſitatem, ſuamque ignorantiam ſuperaſſet. At cur Cyprianus eam majorem conſiderationem habere non potuit? Quòd ſi *nolens inquirendo ampliùs laborare* diligentiori conſiderationi non incubuit, vincibilem ſanè ignorantiam paſſus eſt. Porrò conſideratio ſive diligentia alia ordinaria, alia extraordinaria eſt. Cyprianus magnam quidèm licèt ordinariam, diligentiam, quæ ſibi prudenter rem conſideranti ſufficiens videbatur, ad veritatem in quæſtione de rebaptizandis hæreticis, aſſequendam adhibuit, ac plures Synodos, & quidèm ex univerſâ Africâ coactas, celebravit, in quibus unanimi ſententiâ rebaptizatio decreta fuit. Quarè ita ea in difficultate ſuas partes implevit, ut diligentiorem inquiſitionem neutiquam ſibi faciendam eſſe judicaret; quamvis diligentiùs rem potuiſſet inveſtigare. Hanc autem majorem ſive extraordinariam conſiderationem ac diligentiam ad illam quæſtionem conferre non tenebatur. Uno verbo, potuit, ſed nullâ lege adſtringebatur, eâ uti majori inquiſitione. Eo tamen ipſo quòd potuit, ignorantia illa vincibilis dicenda eſt; ſiquidèm invincibilia illa dicitur, quæ humano ſtudio ſuperari non poteſt. Poſtquam verò in plenariâ Synodo Eccleſia iteratum hæreticorum baptiſmum latâ lege damnavit, tunc extraordinaria diligentia, ac diligentior inquiſitio fieri debuit, ut rationum Cypriani rebaptizantis falſitas exponeretur. Cùm enim plenaria Synodus ab Apoſtolicâ Sede approbata, ſit in decernendo dogmate fidei infallibilis, rationes contrà eandem fallibiles judicantur: ac proinde illarum falſitas Catholicis Doctoribus indaganda eſt, Hinc Auguſtinus ait, Catholicos plenarii Concilii auctoritate firmatos, rem diligentiùs conſideraſſe: & ad diligentiorem inquiſitionem tantâ Synodi auctoritate faciendam, revocatos. Quarè poſt declaratam ab Eccleſiâ veritatem, non ſolùm potuit, verùm etiam debuit fieri major conſideratio, ac diligentior inveſtigatio, ut ignorantia veræ ſententiæ, quam rationes illæ veriſimiles Cypriani oppugnabant, à Chriſtianorum mentibus pelleretur. Auguſtinus verò errorem intellectûs Cypriani inde excuſat, quòd rationibus, quas veras putabat, in eam ſententiam nondum ab Eccleſiâ damnatam, deſcendit. Et ſi quis illius ignorantiam non quidèm ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſecundùm quid ac relatè invincibilem dicat, neutiquam contentionis funem ducam; ſiquidem Auguſtinus lib. 2. operis citati cap. 9. ait: *Quia conſuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum, & hæc ſola opponebatur inducere volentibus novitatem, quia non poterant apprehendere veritatem.* Verùm cùm ante decem verſus ibidem dicat noluiſſe Cyprianum *inquirendo ampliùs laborare*, patet ignorantiam illam abſolutè vincibilem fuiſſe. At voluntatem ejuſdem Cypriani à peccato immunem facit lib. 4. cap. 6. *quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Eccleſia*; quod laudatis aliis ſuperiùs locis ac paſſim tradit. Nullâ ergo lege Eccleſiaſticâ obligabatur Cyprianus à conceptâ ſemel opinione diſcedere, ac proinde ſinè culpâ poterat ſuæ adhærere ſententiæ, veritate nondum aſſertâ ab Eccleſiâ. Haſtenùs de Cypriano dicta ſint, priuſquàm cum Sancto Stephano Papa pro ſua erroneâ opinione contenderet. Nam poſt Sancti Stephani decretum major difficultas emergit, à qua in præſentia ſtylum abſtineo.

Hanc ipſam excuſationem ad Semipelagianos transfero. Cùm Pelagius totum, quod ad virtutem ſeu opera bona pertinet, viribus liberi arbitrii adſcriberet; & ex adverſo S. Auguſtinus omnia virtutum bona divinæ gratiæ adjutorio deputaret, Caſſianus ac ſectatores Galli mediam viam tenentes, initia bonorum operum, ſive deſideria virtutum, ipſoſque etiam inchoatæ fidei actus humanæ voluntatis viribus, nullo gratiæ adjutorio ſuffultæ, fieri poſſe dicebant, quamvis divinum adjutorium ad eoſdem promovendos, ac perficiendos neceſſarium eſſe faterentur. Hæc patent ex Caſſiano Collat. 13. cap. 14. & 15. Fauſto lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 10. & ex S. Auguſtino lib. de prædeſt. Sanct. cap. 2. Plura ad illum errorem confirmandum teſtimonia ex ſacris literis, ac quaſdam etiam rationes adducebant, quæ ipſis veræ videbantur. Neque illi cùm *excellentioris ſcientiæ* vulgò haberentur, credebantur *tarditate intelligentiæ, aut temeritate judicii, ac non potiùs magno ingenio ac vehementi ſtudio laboraſſe*, ut S. Auguſtini ſententiam falſam eſſe monſtrarent, uti ſcribit Proſper cap. 1. contrà Collatorem. Itaque acre ſtudium ac non mediocrem diligentiam adhibuerant, in ſuamet opinione ſtabiliendâ, ſimulque oppoſita Auguſtini refellendâ. Cæterùm cùm putarent ſuam ſententiam eſſe veram, quæ tanquam falſa & erronea poſtmodùm ab Eccleſiâ damnata fuit, ea opinio de veritate ſuarum rationum ac inde deductæ ſententiæ, derivabat ex ignorantiâ, qua laborabant; cùm rationes illæ eſſent ſophiſticæ ac paralogiſmi ex falſis præmiſſis falſam concluſionem inferentes. Jam quæritur, an ejuſmodi ipſorum ignorantia fuerit vincibilis, an potiùs invincibilis? Noriſius aſſeruit ignorantiam illam fuiſſe vincibilem, quia non tantum ſtudii ac diligentiæ impenderunt, quantum tantæ rei aſſequendæ neceſſarium erat. Nam S. Auguſtinus cap. 4. de Prædeſt. Sanctorum diſertè affirmat, eos non curaſſe ex libris ſuis proficere, ex cujus curæ omiſſione orta eſt illorum ignorantia. Quis enim dicat, eos non potuiſſe curare ex lectione ac intenſiori librorum S. Doctoris meditatione proficere?

Dices eas rationes ipſis uti veras apparuiſſe, quamvis non eſſent veræ in ordine ad objectum; ſufficere autem ad ignorantiam invincibilem apparentiam relatam ad intellectum, cui rationes illæ veræ apparent. Verùm juſto argumento ineluctabili, cui nullam hactenùs probabilem reſponſionem invenire potuerunt, Qui Chriſtianos perſequebantur, putantes obſequium ſe eâ in re Deo præſtare, profectò religio ac fides Chriſtianorum illis falſa apparebat, quæ tamen abſolutè & reſpectu objecti erat vera. Hæc autem apparentia vera prout comparata ad intellectum perſecutorum, non cauſabat in ipſis ignorantiam invincibilem; aliàs occidentes Chriſtum ac Martyres, non peccaſſent. Unde cùm ignorantiâ vincibili tenerentur, conſequens fit, ut omiſerint tantam diligentiam, quantam & debebant & poterant veritati comparandæ impendere. Maſſilienſes ac cæteri in Galliâ multum diligentiæ in perveſtigandâ verâ ſententiâ de initio fidei gratuito, an potiùs naturali, collocaſſe concedam. Num verò tantam, quanta neceſſaria erat ad aſſequendam veritatem, adhibuerint, cùm res de facto ſit, quemadmodum tu facilè affirmabis; ita æquè etiam facilè Noriſius negare poteſt. Uti verò Auguſtinus dixit, ſe poſt decretum Synodi hæreticorum baptiſmum validum ac ratum definientis, coactum fuiſſe *diligentiori conſideratione* in oppoſitas Cypriani rationes inquirere, cui majori conſiderationi, ac diligentiori inquiſitioni habendæ S. Cyprianus antè laudatum plenarii Concilii ſtatutum,

nullâ

Digitized by Google

nullâ lege addicebatur, ita Doctores & Epiſcopi Galliæ antè confirmatam ab Apoſtolicâ Sede Synodum Arauſicanam, nullâ lege Eccleſiaſticâ adigebantur, ad diligentiam hactenus ab ipſis adhibitâ majorem ponendam; ac proindè cum eſſet omiſſio rei, ad quam nullâ lege obligabantur, quæ indè conſecuta fuit ignorantia, quamvis vincibilis, non reddebat eoſdem peccati reos. Equidem S. Doctor in lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 4. & 5. ex illo Pauli 1. Cor. 4. 7. *Quid autem habes, quod non accepiſti?* opinionem Semipelagianorum aperti erroris convicit. Ibi ait ſe illis verbis convictum, cùm ſimiliter erraret. Addit *claram* eſſe Apoſtoli intentionem, quam *evidentiſſimam* contrà humanam ſuperbiam vocat. Nihil Apoſtoli dictis *tam contrarium* quàm adverſariorum opinionem, quos ait *apertiſſimæ veritati* contradicere. At illi obluctabantur veritati ab Auguſtino indicatæ, nondum tamen ab Eccleſiâ aſſertæ. Imò quæ apertiſſima veritas Auguſtino videbatur, illis falſitas judicabatur, quòd aliàs natura humana non poſſet niſi malum agere, ut arguit Caſſianus Collat. 13. initio cap. 15. & Maſſilienſes in Epiſt. Hilarii ad Auguſtinum, qui cap. 5. cit. idem argumentum acutiſſimè refellit. At ubi Synodus Arauſicana can. 6. ex laudato textu Pauli deduxit initium fidei, ac ipſum velle credere, fieri in nobis ex gratiâ, accedente Sedis Apoſtolicæ approbatione, Semipelagianorum error damnatus fuit. Tunc intellectus per adverſa ſpatia impunè ac libere anteà vagatus, injecto à laudatâ Synodo fræno coercitus, ad Auguſtinianæ ac Catholicæ doctrinæ lineam redactus eſt, ultrà quam ſinè hæreſeos notâ nequit excurrere.

A N O N Y M U S.

„ Reſtat & modus alter tuendæ utcunque illo„ rum ſanctitatis, ſi probabilia ſaltem argu„ menta eſſe dicerentur, quòd ejurato deinde Semi„ pelagianiſmo, Catholicæ fidei profeſſionem palàm „ ediderint. At neque hoc cum Noriſii ratiociniis „ poteſt conſiſtere. Pag. 16.

R E S P O N S I O.

Semipelagianorum ſententia per annos centum fuit adiaphora opinio licitè ac liberè citrà læſæ fidei crimen defenſa; anno demum 529. damnata fuit. Haud igitur ulla neceſſitas incubuit intrà illud ſæculum ejurandi illius erroris. Ita ſancti Epiſcopi Africani ab Agrippino uſque ad damnatam ab Eccleſiâ rebaptizationem, ſuam opinionem licitè tenuare, *cùm iſta quæſtio nondum diſcuſſa, nutaret*, ut ait Auguſtinus lib. 5. de Baptiſ. cap. 17. & lib. 3. c. 3. de Cypriano ait: *Noverat enim quantam ſacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia variâ diſputatione verſabat, liberumque faciebat quærendi arbitrium, ut examinata veritas panderetur.* Rectè Thomaſſinus Diſſert. 18. in Synodos num. 30. laudatis ſanctis Hilario Arelatenſi, Vincentio, Caſſiano, aliiſque ait: *Nec magnoperè ſatagemus, an ante obitum acquieverint ſaniori doctrinæ. Cùm ad Arauſicanæ ſaltem uſque Synodi tempora inter Catholicos numerari non deſierint.* Idem tradunt Sirmondus, Raynaudus, Suarez, Labbeus, quorum jam teſtimonia laudavimus, quæ dum nihil novi dicis, ſed eadem repetendo contradicis, invitus toties repetere cogor.

A N O N Y M U S.

„ Ultimum argumentum affert Noriſius, omni„ um, ut ipſe putat, validiſſimum. Eſt autem „ ejuſmodi: Quòd ſi hæc Capitula Cœleſtini eſſent, „ & à Sede Apoſtolicâ emanaſſent, nulla ratio ſupe„ reſſet, qua Fauſtus Rejenſis, Vincentius Lirinen„ ſis, Hilarius Arelatenſis, aliique Galliarum Epi„ ſcopi, (Semipelagiani videlicet) ab hæreſi excu„ ſari, & inter Divos connumerari potuiſſent &c. „ Hoc ſolùm nunc adverto, dum ſic ratiocinatur No„ riſius, manifeſtè ab illo ſupponi Galliarum Epiſ„ copos, de quibus loquitur, Semipelagianiſmo non „ renuntiaſſe; alioqui ſufficeret hæc abjuratio ad er„ roris maculam eluendam. Pag. 16.

R E S P O N S I O.

Hæres in eodem luto, dum ad maculam eluendam, abjurationem erroris illis Epiſcopis neceſſariam putas. Epiſtolæ Cœleſtini ad Epiſcopos Galliæ decem Capitula ſubjiciuntur, quibus Semipelagianorum errores damnantur. Noriſius cum meliori ſententiâ negat ea Capitula adſcribi poſſe S. Cœleſtino Papæ, qui obiit anno 432. quia aliàs Galliæ Epiſcopi qui poſteà opiniones Semipelagianas tenuere, fuiſſent hæretici, ſi in ſententiâ perſtitere. Antelmius vir clariſſimus Diſſert. I. de vero Auctore Capitulorum, num. XIII. pag. 63. eodem argumento, *quod*, inquit, *oculatus Noriſius proponit*, recitato ait: *Graviſſimum quidèm argumentum, telumque prævalidum, quod eos omninò transverberat, qui hæc Capitula ab Cœleſtino emanaſſe tanto apparatu contendunt.* Tres alii Scriptores Galli idem argumentum ex Noriſii Vindiciis mutuati ſunt. Et ille quidèm non tantùm ſupponit, ſed tanquam certum tradit Epiſcopos Galliæ non renuntiaſſe antè obitum Semipelagianiſmo, quia antè Synodum Arauſicanam, erat res quæſtionis, non dogmatis, quod toties repeto, ut vel ſemel intelligas. Erat controverſia, *quæ ſanctiſſimos & doctiſſimos UTRINQUE viros in Galliâ centum ampliùs annos exercuit*, ut ait Labbeus ſuperiùs laudatus. Hinc Auguſtinus, Proſper, Cæſarius Arelatenſis: illinc Hilarius Arelatenſis, Caſſianus, Fauſtus, Vincentius, aliique & quidèm omnes inter Divos poſteà connumerati, contrarias ſibi invicem ſententias tuebantur, & Eccleſia eas contentiones liberè in centeſimum uſque annum agitari in Galliis præſartim, permiſit, nihil alterutrâ ſententiâ ſectatorum ſanctitati obnoxiâ.

A N O N Y M U S.

„ Itaque hæc parentheſis illic à Noriſio adjecta, *ſi* „ *in ſententiâ perſtitere*, qua dubium relinquere vi„ debatur, an non aliquando errorem depoſuerint: „ hæc, inquam, Noriſii parentheſis aut nullo modo „ eſt ad rem, ſed aliud agenti excidit; aut hoc unum „ ſignificare poteſt, fortè illos in extremo vitæ mo„ mento pœnituiſſe erroris ſui, nullo præter Deum „ hujus pœnitentiæ teſte ac conſcio. Pag. 17.

R E S P O N S I O.

Hæc ſcribit Noriſius cap. 8. Vindiciarum: *Si capita illa Cœleſtini eſſent, & à Sede Apoſtolicâ emanaſſent, non video, qua ratione Fauſtus Rejorum, Vincentius Lirinenſis, Hilarius Arelatenſis Epiſcopus (ſi in ſententiâ perſtitere) ac alii Galliarum Epiſcopi ab hæreſi excuſari poſſint, atque inter Divos, erectis aris, connumerari.* Eſt argumentum, uti vocant, ex hypotheſi ac ſuppoſitione; tu vero in abſolutum demutas, ut reprehenſioni locum facias. Antelmius aliique qui Noriſii dicta intellexere, vocant *argumentum graviſſimum.* Nam ſi S. Cœleſtinus

opiniones Semiſpelagianorum Apoſtolico decreto damnaſset, Hilarius, Vincentius, Caſſianus, aliique eaſdèm poſteà aſserentes, hæreſes jam confixas defendiſsent; unde (*ſi in ſententiâ perſtitere*) nulla apparet ratio, qua poſsent inter Divos connumerari. Illa parenthesis ad rem facit, ac conſultò, ſcienterque à Noriſio inſerta fuit; quia ſub illâ hypotheſi nullâ aliâ ratione illorum ſanctitas defendi poſset, niſi aſſerendo eos antè obitum à prædamnatâ hæreſi reſipuiſse. Concedas ſemel illa Capitula condita, ac publicata fuiſse à Cœleſtino Pontifice in illâ ad Galliæ Epiſcopos Epiſtolâ, undè poſteà poteris ſanctos Galliæ viros ab hæreſeos formalis crimine vindicare? Num, ut unicè facis, ob ignorantiam invincibilem eoſdem excuſatos contendes? At illæ literæ fuerant encyclicæ ad ipſoſmet Galliæ Epiſcopos ſcriptæ. Elogium in iiſdem S. Auguſtino datum, Semipelagiani ſiniſtrâ interpretatione minuebant, teſte Proſpero cap. 42. contrà Collatorem. Eaſdem citat in ſuo Commonitorio Vincentius. Non ergo eas literas, atque ea pariter capitula Gallicani Patres ignoraſſent. Præterea Epiſcopi tenentur ſcire canones univerſalis Eccleſiæ, ac decreta contrà hæreſes ab Apoſtolicâ Sede damnatas. Quarè illorum ignorantia in Epiſcopis eſt peccatum, ſi contraria ſentiant, ac doceant. Dic ergo tu in datâ hypotheſi, undè Epiſcopi Galliæ ab hæreſi excuſari queant, ut dein vitâ functi, in Divos referri potuerint, niſi ob præmiſſam hæreſeos abjurationem? Præterea Epiſcopis Galliæ Semipelagianis, quos memorat Bonifacius II. in Epiſtolâ ad S. Cæſarium Arelatenſem, quam excuſationem prætexes, ne hæretici, ut dicunt, formales judicentur, ſi illa Capitula reapſe Cœleſtinum Papam auctorem habuerunt? Fruſtrà confugies ad tuam illam invincibilem ignorantiam, quæ tuam potiùs ſupinam Eccleſiaſticorum canonum ignorantiam indicabit. Scribit S. Innocentius I. Pontifex ad Brutiorum Epiſcopos Epiſt. 5. *Eccleſiaſticorum Canonum norma nulli eſſe debet incognita Sacerdoti, quia neſciri hac à Pontifice, ſatis eſt indecorum.* Ipſe Cœleſtinus Papa tertiam ad Epiſcopos Calabriæ & Apuliæ Epiſtolam exorditur: *Nulli Sacerdotum liceat ſuos canones ignorare.* Quod ipſum ſtatuens Synodus VII. can. 2. appellat verba Oſeæ IV. 6. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi.*

§. IV.

Quid ex his Noriſii aſſertionibus contrà Eccleſiam inferri poſſit.

HOſce paſſim titulos præfigit, quò Noriſium in invidiam vocet, cùm tamen ea quæ infert, nullâ prorsùs ratione cum aſſertis ab eodem conveniant, ſed prorsùs diſparata ſint & aliena, uti totâ hac apologiâ mihi demonſtratur. Enimverò hìc objicit Noriſium ſcribere ſanctos Galliæ Epiſcopos *pernicioſo errori adhæſiſſe, & quidèm voluntariâ & inexcuſabili pertinaciâ, ac malâ fide.* Ex his autem fingit Calvinianos Noriſiani libri Cenſoribus hocce argumentum objectare.

A N O N Y M U S.

,, HIc igitur permittite, à vobis quæram, Theologi ſapientiſſimi, quid poſthac reſpondere
,, nos oporteat Calvinianis ita ex hoc Noriſii libro
,, Romæ approbato argumentantibus &c.
,, Qui plurimis Auguſtini libris edocti, plurimis
,, ejus diſcipulorum lucubrationibus inſtructi, tamen
,, pervicaces in Semipelagianiſmo perdurant; qui
,, tam multâ luce illatâ oculos obſtinatiſſimè claudunt, ne videant; illi aut malâ fide, aut ſaltem vo-
,, luntariâ & affectatâ ignorantiâ pernicioſum erro-
,, rem tuentur: ac licèt palàm extrà Eccleſiam non
,, ſint, tamen conſtat eos vel hæreticos eſſe reipsâ,
,, vel formalibus hæreticis non multò meliores: tan-
,, tùm abeſt, ut Sanctorum titulo digni cenſendi ſint.
,, Atqui tales fuere tùm Vincentius Lirinenſis, tùm
,, plurimi eodem ſæculo Gallicani Epiſcopi, quos
,, Eccleſia Romana univerſa in Cœlitum numero
,, ſemper habuit, publicèque coluit. Id enim de
,, illis disertè aſſerit, & probat Henricus Noriſius
,, Romani Pontificis Probibliothecarius: cui ſuffra-
,, gantur quinque graviſſimi ex Urbe Theologi ad
,, ejus libri examen ab Innocentio XII. nominatim
,, delecti; imò ipſum Romanæ Inquiſitionis Tribu-
,, nal, à quo illorum ſuffragium admiſſum, com-
,, probatumque fuit.
,, Eſt ergo hoc velutì publicum monumentum, quo
,, Roma ipſa volens, nolens fatetur Eccleſiam Ponti-
,, ficiam in re graviſſimâ, & ad ipſum Religionis ca-
,, put ſpectante falli; ſubditoſque ſibi populos in er-
,, rorem inducere, dum colendos ejuſmodi homines
,, illis proponit. Ad hoc ergo Hæreticorum argu-
,, mentum, quid reponi jubetis Cenſores doctiſſimi?
,, Major quidem Syllogiſmi propoſitio tota extrà
,, controverſiam eſt. Minor nihil habet, quod ne-
,, gari ab iis poſſit, qui Noriſianum librum ejuſque
,, approbationem ſuſceperint. Conſequentiam autem
,, quonam pacto refellent? Pag. 18.

R E S P O N S I O.

HUic tuo argumento doctiſſimi Cenſores nullam contrà ſententiam, nullum verbum, nullam planè ſyllabam reponent; ſed unicam ſupponent literulam Θ, huic, inquam argumento, quod tam prodigus Calvinianis donaſti. Nullam autem tibi ejuſmodi notulæ rationem reddent, ſive ob majeſtatem conſeſsûs, ſive ob ſecretum ſupremi Magiſtratûs, cui conſultores aſſident. Ipſe tamen rationem, ſi me audias, gratis dabo. Illa tui argutuli Syllogiſmi major propoſitio minimi valet, quam tamen tu tanti facis, ut dixeris: *tota extrà controverſiam eſt.* Imò nihil in eâ, ut Ciceronis verbis utar in libro de Oratore, *in quo non aut res controverſiam faciat aut verba.* Loco vocis *pervicaces*, reponas *contentioſi*, ſi de Viris jam in Divos relatis ſermonem facis; pervicax enim dicitur, qui veritati jam ab Eccleſiâ aſſertæ contradicit. Scio S. Proſperum in Epiſtolâ ad Auguſtinum ſcribere: *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt.* Et poſt decem verſus: *Eò poſtremò pervicacia tota deſcendit.* Hæc ille, de quibus poſteà ſermo redibit. Cùm verò ſubdis verba Noriſii tanquam Patrum Gallicanorum ſanctitati injurioſa, nempè: *Qui tam multâ luce illatâ oculos obſtinatiſſimè claudunt, ne videant &c.* diſtinguo, licèt homo ſimplex ſim, etiam dupliciter; *ne videant*, quod latâ ab Eccleſiâ lege videre, ac credere obligabantur, nego; quod nullâ tali lege credere tenebantur, concedo. Et iterùm: *ne videant* veritatem in Auguſtini libris indicatam, concedo; veritatem ab Eccleſiâ ſpeciali definitione aſſertam, nego. Addis: *Illi aut malâ fide, aut ſaltem voluntariâ & affectatâ ignorantiâ pernicioſum errorem tuentur.* Multa falſa in exiguam periodum infercis. Illi nec malâ fide, nec malo dolo, neque etiam voluntariâ & affectatâ ignorantia eam opinionem defendebant: ſed ignorantiâ indirectè voluntariâ, quippe qui non eam diligentiam, ſtudium, ac ſolicitudinem adhibuerunt,

qua nta

Digitized by Google

quanta tantæ veritati aſſequendæ impendenda fuerat. Non erat error ille antè latam ejuſdem ab Eccleſiâ damnationem, ſanctitati pernicioſus, ſed cum eadem componebatur, ut S. Auguſtinus de errore Cypriani hæreticos rebaptizantis, locis à me landatis, aſſeruit. Inde erras, quòd ignorantiam dividis in invincibilem, ac vincibilem; illam verò ſemper inculpatam: hanc verò ſemper culpabilem ponis, eamque ſupinam vel affectatam affirmas. Nam ignorantia vincibilis ſi ſit eorum, quæ nullâ lege ſcire obligamur, non eſt peccatum, neque ab eodem ſubjecto ſanctitatem excludit, ut pluribus oſtenſum eſt: Denique erant illi in Eccleſiâ, ac quidam ſummo in eadem loco populis præſidebant, illos ſic deſcribente Proſpero; *Quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotii honore ſupereminent.* Quod denique dicis: *tamen conſtat eos vel hæreticos eſſe reipsâ, vel formalibus hæreticis non multò meliores:* verba ſunt hominis antè tempus homines judicantis. Cùm enim ipſorum opinio non fuerit damnata tanquam hæretica niſi poſt annos centum ab obitu S. Auguſtini, nulli aſſertæ ab Eccleſiâ veritati contradicebant; imò palàm, *ea tantummodò ſequi & probare profitebantur, quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Sedes contrà inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit, & docuit.* Cap. 3. Epiſtolæ Cœleſtini aſſuto. Conſtat modò inter eruditos opiniones Semipelagianorum damnatas fuiſſe Arauſicæ anno 529.

Agedum, mi Doctor, qui argumentum, uti putas, ineluctabile Calvinianis procudis, defende, ſi potis es, Hilarium Arelatenſem, ac Fauſtum Rejenſem à Calvinianorum calumniâ. Non eſt, inquiunt, ſanctus qui docet hæreſim; atqui Hilarius aliique in Gilliâ Semipelagianam hæreſim docuerunt, non igitur illi ſancti ſunt. Majorem ac Minorem propoſitionem diſtinguis, ut ſanctus ſit qui ex ignorantiâ invincibili hæreſim quampiam docet; non autem ſi ex ignorantiâ vincibili hæreſim tradit. Hìc à jure, ut inquiunt, ſaltas ad quæſtionem facti. Inſtabunt Calviniani. Cùm tu poſt annos ab illorum ætate mille ducentos & quod excurrit, inter homines ambules, ac ſcrupulos ſcribas, undè habes illorum ignorantiam invincibilem fuiſſe? Reſpondes in hac tuâ paſſim opellâ, quia cùm Sancti ſint, non poſſunt à culpâ hæreſeos excuſari niſi beneficio ignorantiæ invincibilis. At, ò bone, inquient Calviniani, petis principium. Num quæſtio erat, an illi reapſe ſint Sancti; & reſpondiſti, laboraſſe illos invincibili ignorantiâ, cujus rationem aſſignans, quia aliàs non eſſent Sancti, circulum facis, ac petis principium. Calviniani negant ignorantiam invincibilem excuſare à peccato formali, ad quos etiam Janſeniani acceſſere. In præſentia Calviniani quærent, undè ſcias, illorum ignorantiam fuiſſe invincibilem? An verò ob illam à culpâ excuſari poſſint, te remittent ad diſputandum eâ de re cum Janſenianis. Præterea urgebunt: Undè ſcis illos ad verùm aſſequendum, adhibuiſſe omnem diligentiam quam & debebant, & poterant impendere? Dices in re facti, te ita credere; quia aliàs non eſſent Sancti. Et iterùm petis principium. Ad hæc, inquient illi: Utì ad concupiſcentias, quas noſtris viribus coercere non poſſumus, ſuperandas, debemus implorare auxilium Dei, ita ad idem auxilium recurrendum eſt, ut vincamus ignorantiam, quam noſtro ſtudio depellere non poſſumus. Putaſne Semipelagianos humano ſtudio ac diligentiæ addidiſſe etiam preces, ut illuſtrarentur à Deo? Profectò affirmabis, quia haud ſecùs, inquies, de Viris ſanctis cogitare licet. Ita ſemper argumento Calviniano nonniſi principium repetendo, reſpondas. In hos te caſſes jactata tibi ignorantia invincibilis adegit. At Noriſius haud hiſce retibus illaqueatur. Negat ille Hilarium alioſque Viros ſanctos hæreſim docuiſſe, quia ea opinio nondum erat hæreſeos damnata ab Eccleſiâ. Expeditè, promptè, uno verbo, Calvinianæ objectioni ſatisfacit. I nunc, ac clama, & reclama: *Major quidem Syllogiſmi propoſitio tota extrà controverſiam eſt.* Videſne quàm tota malè materiata ſit, ut quod reliquum ſuper extruxiſti, non tantùm titubet, ſed labaſcat prorsùs, ac corruat? Hæc olim Auguſtinus lib. 4. contrà Julianum cap. 9. ſcripſit: *Neceſſarios articulos ſermonis tui, quantum me adjuvat Dominus, comprehendo, atque confringo, ut totum corpus victum jacere conſpiciat, qui & illa tua, & hæc noſtra perlegerit.* In Minori magni tui argumenti propoſitione, ut proſopopœjam tam elegantem, tam concinnam, tamque cauſæ accomodatam impleas, non modò Cenſores, verùm etiam tremendum Catholicæ fidei deſertoribus Tribunal, ipſumque adoratum Orthodoxo Orbi Summi Pontificis nomen leviſſimis tuis hiſce ſcrupulis ullo ſinè temeritatis ſcrupulo immiſces. Idem Auguſtinus Epiſt. 162. narrat Donatiſtas cùm in Romano judicio cecidiſſent, dixiſſe: *malos judices ſe eſſe perpeſſos, quæ vox eſt omnium malorum litigatorum.* Quid in illo ſecretiori judicio peractum fuerit, neſcio. Hoc tamen ſcio, Noriſii librum libere lectitari.

A N O N Y M U S.

„ ET verò, addent Calviniani, quod cauſatur
„ Noriſius, Semipelagianiſmum illo ſæculo non-
„ dum inter hæreſes fuiſſe computatum ab Eccleſiâ,
„ ſi quid valet iſta ratio, eò tantùm valet, ut dica-
„ mus, Semipelagianos antè Concilii ſecundi Arau-
„ ſicani definitionem nondum fuiſſe hæreticos, eo
„ ſenſu quo hæreticus appellatur qui errorem expreſ-
„ sè ac ſolemniter totâ Eccleſiâ proſcriptum, tueri
„ pergens, vel ſegregavit ſe ipſe, vel ab illa eje-
„ ctus fuit. Fac igitur Vincentium Lirinenſem ac
„ cæteros nequaquam eo ſenſu hæreticos fuiſſe, id
„ eſt, ab Eccleſiæ communione extorres: quid hoc
„ proderit ad vindicandam illis ſanctitatem, niſi ſi-
„ mul oſtendas eos nec malâ fide, nec culpabili ob-
„ ſtinatione ad hunc errorem adhæſiſſe? Certè cùm
„ foret hic error ex ſe utique Chriſto injurioſus, ac
„ moribus noxius: nulli potuerunt inter Semipela-
„ gianos veniâ digni eſſe, niſi invincibiliter, hoc
„ eſt, inviti & ſinè culpâ ignorarent tale dogma re-
„ verâ Pelagianæ hæreſi connexum, & fidei Catho-
„ licæ inimicum eſſe. Pag. 20.

R E S P O N S I O.

JAm ſatis ſuperque demonſtratum eſt, inſignes illos Epiſcopos & Doctores non malâ fide, ſed inculpatâ ignorantiâ, eas opiniones ſecutos fuiſſe, quarum aſſertio nullâ adhuc latâ per Eccleſiam lege damnata erat. Id illi negabant, quod nullâ lege affirmare obligabantur. Ea verò peccato vertuntur, quæ lege prohibentur. Apoſtoli ſunt verba in Epiſtolâ ad Romanos cap. V. 13. *Peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet.* Et cap. VII. 7. *Sed peccatum non cognovi niſi per legem.* Equidèm videris mihi omnium ſcrupuloſorum ſcrupuloſiſſimus. Qui enim ſcrupulis pungüntur, ſuſpicantur, quidpiam ſe minus divinæ legi conformiter egiſſe. At tu peccatum grave ac enorme, gratiam ac ſanctitatem ab animâ excludens, in eo eſſe exiſtimas, quod nec divinâ nec

Eccleſiaſticâ lege vetatur. Auguſtinus lib. 5. de Baptiſ. cap. 2. de errore S. Cypriani ait: *Id erratum cooperiebat unitatis charitas, quamdiu inerat iſta, non Diabolica diſſenſio, ſed humana tentatio, donec ei, ſicut dicit Apoſtolus, ſi quid aliter ſapiebant, Dominus revelaret.* Eadem verba Apoſtoli ad Philippenſes 3. habet de Semipelagianis cap. 1. de Prædeſt. Sanctorum: *Retenta ergo,* inquit, *iſtu, in quæ pervenerant, plurimùm eos à Pelagianorum errore diſcernunt. Proinde ſi in eis ambulent, & orent eum, qui dat intellectum, ſi quid de prædeſtinatione aliter ſapiunt, ipſe illis hoc quoque revelabit.* Et lib. 2. de Bapt. cap. 5. *Ideò dicit Apoſtolus;* Tentatio vos non apprehendat niſi humana. *Humanum eſt ergo aliquid aliter, quàm res ſe habet, ſapere. Propterea dicit alio loco: Quot ergo perfecti hoc ſapimus; & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.* Error Cypriani tunc erat error innocuus. Ejuſmodi fuit error Semipelagianorum; non enim fuit injurius Chriſto, quia illum nondum Chriſtus Dominus per Eccleſiam damnaverat. Illi quidèm humanâ tentatione correpti, aliter quàm res ſe habebat, ſapiebant, cùm id nondum Deus revelaſſet. Nihil hìc faciunt ignorantia vincibilis aut invincibilis; ſed utrùm antè annum 530. fuerit decretum Sedis Apoſtolicæ Semipelagianorum opinionem condemnans. Cùm autem nulla talis lex extiterit, nulla quoque erat rima, per quam peccatum irrumpens, tot inſignium Patrum ſanctimoniam corrumperet; ac proinde nullus veniæ locus eiſdem erat neceſſarius. His Auguſtini verbis lib. 4. contrà Jul. oper. imperf. num. 46. concludo: *Si non vis intelligere, aut ſi te fingis non intelligere, noli obſtrepere volentibus, & valentibus intelligere.*

A N O N Y M U S.

,, ATqui ejuſmodi ignorantiæ excuſationem in
,, Vincentio, & in illis Epiſcopis non admit-
,, tit, imò ex profeſſo refellit Noriſius, & iiſdem
,, affectatam prorsùs ac malæ fidei cæcitatem attri-
,, buit. Ergò quantumcumque ab hæreſis formalis
,, notâ immunes faciat, tamen quæ de his aliunde do-
,, cet, ipſos procul à ſanctitate abſuiſſe oſtendunt.
,, Ita reſpondentem Calvinianum quomodo refelle-
,, ret Noriſius? Pag. 20.

R E S P O N S I O.

UBinam, quæſo te, Noriſius Patribus Gallicanis affectatam & malæ fidei cæcitatem attribuit? Negavit illos laboraſſe ignorantiâ invincibili. At ignorantia vincibilis orta ex eo, quòd non tanta diligentia collocata fuit ad inveſtigandam veritatem, quanta poterat fieri, non eſt affectata, ac malæ fidei cæcitas, ſed neſcientia ejus, quod ſcire nullâ adhuc lege obligabantur; ac proinde eſt immunis à culpâ, quæ ſemper lege vetatur. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſ. cap. 4. cùm dixiſſet controverſiam de rebaptizandis hæreticis, *tantis altercationum nebulis involutam, multis hinc atque hinc diſputationibus, & collationibus pertractatam, ad plenarii Concilii luculentam illuſtrationem confirmationemque* perductam fuiſſe, addit: *Hoc autem facit ſanitas pacis, ut cùm diutiùs aliqua obſcuriora quæruntur: & propter inveniendi difficultatem, diverſas pariunt in fraternâ diſceptatione ſententias, donec ad verum perveniatur, vinculum permaneat unitatis, ne in parte præciſâ remaneat inſanabile vulnus erroris.* Ita antè Synodum Arauſicanam à Bonifacio II. confirmatam, controverſia de initio fidei aliiſque, diverſas pepererat in Galliâ in fraternâ diſceptatione ſententias; donec eæ difficultates multis hinc & hinc diſputationibus pertractatæ, ad veritatem in Arauſicanâ II. Synodo deduxerunt. S. Auguſtinus ſuam ſententiam adeò certam cenſebat, ut lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 5. dixerit, adverſarios *profectò contradicere apertiſſimæ veritati.* At illi oppoſitam ſententiam tanquam veram tuebantur, quæ tamen erronea poſteà ab Eccleſiâ declarata fuit. Utrùm verò hi adhibuerint omnem quam poterant, diligentiam in verâ ſententiâ indagandâ, eſt quæſtio facti, cujus cùm conjecturæ tantùm excogitari poſſint, minor te tantum roboris in ignorantiâ invincibili poſuiſſe. Jam ſuperiùs ex cap. 4. de Prædeſt. Sanctorum, probavi fuiſſe vincibilem. Præterea diligentia ad aſſequendam veritatem, minuitur affectu ergà præconceptam opinionem, ac propriam ſectam. Nam qui jurarunt in aliquam opinionem, verſant, exempli gratiâ, libros S. Auguſtini, non veritatem, ſi fortè ibidem occurreret, ultrò amplexaturi, ſed quò S. Doctorem etiam obtorto collo ſuam in ſententiam trahant, ut Auguſtinus ipſorum potiùs diſcipulus, quàm magiſter eſſe videatur. Cùm aureus liber S. Doctoris de correptione & gratiâ in Gallias delatus fuiſſet, uti qui Auguſtini doctrinam ibidem ſequebantur, *intelligentiores multò inſtructioreſque ſunt facti; ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores, quàm fuerant, receſſerunt,* uti ſcribit Proſper in literis ad S. Doctorem. Ita perſuaſio, ut ſuperiùs notabam, id eſt, ſtudium ergà ſemel imbibitam ſententiam, eoſdem longiùs à veritate trahebat, nec ſinebat illos omni ſtudio procul ab amore & odio, veritati indagandæ inſiſtere. Hoc ſtudio partium rationem nonnihil obtenebrante, factum eſt, ut quidam eorum libros S. Auguſtini legerent, *ut menſuras ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum inſidioſi ſcrutatores eventilarent, magnumque ſe aliquid conficere præſumerent, ſi Catholico prædicatori notam erroris affigerent;* ut ait idem S. Proſper contrà Collatorem cap. 1. Hæc iterùm infrà validiùs urgebo. Quarè affectu ergà ſuam ipſorum ſectam, & averſione ab Auguſtini doctrinâ factum eſt, ut legendis, ac attentiùs conſiderandis S. Doctoris ſententiis, non tam diligenter incumberent, ut majoris diligentiæ omiſſio eorum ignorantiam redderet indirectè voluntariam, ſimulque vincibilem; quamvis eſſet inculpata eò quòd eſſet rei, quam nullâ adhuc lege credere tenebantur.

A N O N Y M U S.

,, DIcent aliqui fortè pro Noriſio præſumi de illis
,, poſſe, quòd imminente morte Semipelagia-
,, niſmum ejuraverint, erroremque ſuum pœnitentiâ
,, eluerint; proinde nihil obſtare ex hac parte quo-
,, minùs eos Eccleſia ob reliquas ipſorum virtutes in
,, cœlitum albùm referre potuerit. Pag. 21.

R E S P O N S I O.

DUm ais, *dicent aliqui fortè,* neſcis quid reapſe alii dixere. Hæc dixit eruditiſſimus Thomaſſinus in Diſſer. XIII. in Synodos num. 30. *Nec magnoperè ſatagemus, an antè obitum acquieverint ſaniori doctrinæ. Cùm ad Arauſicanæ ſaltem uſque Synodi tempora, inter Catholicos numerari non deſierint.* Hæc ille pro Noriſio ſcripſit. At tu vincibili ignorantiâ neſciens quid alii ea de re jam anteà pronuntiarunt, fingis quid alii poſteà ad Kalendas Græcas dicturi ſint; ac dudum ſcripta ignorans, ſcribenda divinas.

ANO-

ANONYMUS.

,, SEd hac ratione reponent continuò hæretici, & Origenes, & Rufinus, & Theodorus Mopſueſtenus, & Theodoretus, aliique hujuſmodi plures, quorum ſcripta ab Eccleſiâ damnata ſunt, poſſent nihilominus, ac deberent ab eadem Sanctorum titulo decorari &c. Quod ſi ſatìs eſt id præſumi poſſe, quid erit, cur utroſque pariter Sanctorum numero adſcribere nequeat Eccleſia? Pag. 21.

RESPONSIO.

HÆc ex ignorantiâ vincibili ſcribis de Theodoro Mopſueſteno, cujus non tantùm ſcripta ut Theodoreti, verùm etiam perſonam Eccleſia in Synodo V. damnavit. Gregorius Magnus lib. 2. Epiſt. 36. ad Epiſcopos Hiberniæ ſcribit: *Nam in Synodo, in qua de tribus Capitulis actum eſt &c. de quibuſdam illic ſolummodo perſonis eſt actitatum: quarum una, cujus ſcripta evidenter à rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non injuſtè damnata eſt*; nempè Theodorus Mopſueſtenus. Noriſius in Diſſert. de Synodo V. cap. 9. §. 5. in inſcriptione laudatæ Epiſtolæ *Iſtria* pro *Hiberniæ* legendum dixit, quòd nulli fuerint tumultus in Hiberniâ de tribus Capitulis. At ſcito eundem errorem emendaſſe lectâ Epiſtolâ S. Columbani tom. XII. edit. poſtremæ Bibl. PP. à pag. 29. Inde enim diſcimus Hibernos cum eodem Columbano contrà Synodum V. pro tribus Capitulis ſtetiſſe. Equidèm de eodem Theodoro reapſe id præſumendum eſſe contendebat Facundus Hermianenſis lib. 10. cap. 4. Cæterùm tam falsò illius antè obitum reſipiſcentia præſumitur, uti tu præſumis illorum Galliæ Doctorum ignorantiam fuiſſe invincibilem. Quod enim tibi oraculum revelavit, eoſdem omnem quam poterant, diligentiam impendiſſe ad veram ſententiam indagandam? Id colligis ab aſſertâ illorum ſanctitate. An non hoc eſt præſumere? Tam enim incertum eſt, num in extremo vitæ reſipuerint, quàm an omnem quam poterant, diligentiam adhibuerint, in veritate indagandâ. Utraque eſt res facti. At eorum pœnitentiam contendis præſumptam. Eccur non æquè præſumpta dici poſſit illorum ignorantia invincibilis? Enimverò nihil dubium Noriſius præſumens, id tantùm quod certum eſt, ſumit, videlicet eam opinionem ad Synodum uſque Arauſicanam fuiſſe adiaphoram, ac inter Catholicos licitè controverſam, quâ ratione illorum etiam ſanctitas, ut inquiunt Logici, à priori defenditur, quam tu ignorantiæ invincibilis præſumptione tueris.

ANONYMUS.

,, SI qui Fauſtum vel Caſſianum pro ſanctis habent, idcircò tantùm facere, vel quòd Semipelagiano errore inquinatos reipſa fuiſſe negant, vel quòd bonâ fide, & abſque culpâ, per invincibilem ignorantiam, ſcilicet, eos erraſſe putant; vel quòd rejecto demum errore, Catholicam veritatem publicè profeſſos eſſe, ſufficienter probatum ſupponunt. Qui verò & Semipelagianos fuiſſe, nec ignorantiam invincibilem his ſuffragari, nec ullum reſipiſcentiæ illorum argumentum extare confeſſus &c. eos nihilominus ſanctorum cultu dignos eſſe defenderit, neminem hactenùs vidimus. Pag. 22.

RESPONSIO.

SI eâ de re inſignium Doctorum ſcripta conſuluiſſes, planè didiciſſes virum doctrinâ æquè ac dignitate Eminentiſſimum, uti & Sirmondum, Thomaſſinum, Raynaudum, Labbeum, Cellotium, Antelmium aliam à tribus abs te numeratis, viam tenuiſſe, in Gallorum Patrum ſanctitate defendendâ. Antelmius Diſſer. 1. pag. 2. laudati ſuperiùs operis n. 15. ait: *Atque cùm ſit omnium aſſenſione firmatum judicium, NOSTRORUM fidem ante Synodi Arauſicanæ celebrationem, in jus vocari non potuiſſe.* Ita Vir eruditus modum, quo egregiè Noriſius illorum ſanctitatem defendit, *omnium aſſenſione firmatum judicium* appellat. Tu horum omnium neminem hactenùs vidiſti. Rem ſcio. Longiùs ab illis habitas. Utrùm autem ob ignorantiam vincibilem, vel potiùs invincibilem illorum neminem hucuſque videris, ipſemet judicato, qui tam benè utramque ignorantiam noris, ut Noriſio inde litem intendas, ac crimen impingas.

ANONYMUS.

,, NOn ita cùm de his agitur ſanctis, quos ad publicam totius Orbis Chriſtiani venerationem Martyrologio Romano inſeri, & quotannis inter ſacra Officia appellari juſſit. Eccleſiam univerſalem erroris accuſat in re capitali, qui talibus aliquid imputat, quod eorum ſanctitatem vel incertam efficere poſſit; quantò magis ſi quid adſtruat, quod illam penitùs excludat. Pag. 23.

RESPONSIO.

JAm hunc ſcrupulum radicitùs evulſi. Ignorantia ſive invincibilis ſive vincibilis ejus, quod quis ſcire nullâ lege tenetur, eſt error innocuus, ac poteſt cum ſanctitate eidem ſubjecto inexiſtere. *Qui errat circa id, quod ſcire non tenetur, ex ſuâ conſcientiâ abſolvitur.* Eſt ſententia Theologorum cum S. Thoma quæſt. 17. de verit. artic. 3. ad 4. Talis fuit error Semipelagianorum ad annum uſque 530.

ANONYMUS.

,, QUid enim juvat hæreſis crimine illum (nempè Vincentium Lirinenſem) abſolviſſi aliunde ſimulationis, fraudolentiæ, malignitatis, & quod amplius eſt, atrocis calumniæ in ſanctiſſimos Eccleſiæ defenſores, atque apertæ in ſanctam Sedem contumaciæ reus teneatur? Imò quis affirmare auſit non niſi bonâ fide illum erraſſe, qui tam malæ fidei in rebus graviſſimis fuiſſe convincatur? Atqui hæc ipſa eſt quæ à Noriſio adumbratur Vincentii Lirinenſis effigies. Pag. 23.

RESPONSIO.

SUperiùs à pag. 167. adducta ſunt teſtimonia inſignium Scriptorum, qui diſertè tradunt in Commonitorio Epiſtolam Cœleſtini contrà ipſummet Proſperum argutâ arte detorqueri. Nam Pontifex dicit, *Deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere novitas vetuſtatem.* Repeto unius Chriſtiani Lupi de Vincentio ſententiam tom. IV. in Synodos pag. 758. *Oſtendere*, inquit, *conatur, non Auguſtini, ſed ſuorum dogmata eſſe avita, idcòque hæc, non iſta per Cœleſtinum fuiſſe comprobata. Epiſtolam quòd impugnari non poſſet, ita placuit detorqueri.* Noriſius hoc tantùm ſcripſit lib. 2. Hiſt. Pelag. cap. 11. Vincentium Cœleſtini literas *argutâ interpretatione* contrà Auguſtini diſcipulos detorquere. Hoccine eſt Vincentium *ſimulationis, fraudolentiæ, malignitatis, atrocis calumniæ, atque apertæ in S. Sedem contumaciæ* reum peragere? ſententiam Cœleſtini approbat, ut alii indè colligerent ſuorum dogmati approbari, quæ in veterum Pa-

trum

Digitized by Google

trum libris legebantur; cùm Auguſtinus novam de prædeſtinatione ſententiam invexiſse à Maſſilienſibus diceretur. Hinc Proſper ad S. Doctorem ſcribebat; *Illud etiam qualiter diluatur, quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres, quòd retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par invenitur & una ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam receperunt &c.* Quam novitatis invidiam abs ſe amovere conatur S. Pater in Libro de Prædeſt. Sanctorum cap. 14. & in altero de Dono perſev. cap. 19. & 20.

A N O N Y M U S.

,, CUm de aliquo in Sanctorom album referendo ,, agitur, hoc primùm inquiri ſolet ab Eccle- ,, ſiâ, ſincerusne fuerit; ac ſi res incerta ſit, haud ,, ultrà proceditur. Quid Vincentio noſtro fieret, ,, ſi informante Noriſio, judicium de illo haberetur? Pag. 23.

R E S P O N S I O.

NOriſius tradit Vincentium docuiſse homines ſuis viribus poſſe quærere, pulſare, petere, ac velle credere, cùm ea opinio licitè defendi potuit, re nondum ab Eccleſiâ definitâ, quàm ſententiam fuiſſe inſignium Theologorum jam didiciſti. At tu Hilarium Arelatenſem alioſque Sanctos, qui memoratæ opinioni adhæſere, excuſas ob ignorantiam invincibilem. Verùm huic abs te allatæ excuſationi judices reponerent, rem eſſe facti, num illi omnem, quam & debebant, & poterant, diligentiam veritati aſſequendæ impenderint. Et cùm occulta mentis haud poti ſis penetrare, hærebit tibi aqua; at id te piè de bonis alioquì Viris credere autumabis, quæ debilis planè conteſtatio viri poſt duodecim ſæcula ab illorum morte viventis, reputabitur. Michael de Elizalde acutiſſimus Theologus par. 3. de rectâ doctrmorum lib. 7. quæſt. 7. in fine §. 1. ſi de aliquo, de quo in Divorum album referendo tractaretur, conſtarent legum obligantium violationes, neque conſtaret peracta pœnitentia; *Allegares tu ſanè acutè*, inquit, *eum invincibiliter ignoraſſe, eum extitiſſe naturâ rudem, rem ſciendam eſſe difficilem: violationes materiales ſanctitati nihil obeſſe &c. Haud opinor, divino, ſi dixero, te canonizationem nunquam conſecuturum.* Videſne, in quem dubium locum Gallicanorum Patrum ſanctitatem committis, dum ejus defendendæ rationem ab unâ ignorantiâ invincibili deducendam eſſe contendis? An fortaſſis Vincentium ſinceritas in detorquendo Epiſtolæ laudatæ ſenſu, defecit? At ille ſincerè S. Cœleſtini verba recitavit. Verùm num Auguſtiniana doctrina conformis eſſet anteriorum Patrum ſenſui, an verò diverſa, nihil definivit ibidem Pontifex, eratque idipſum in controverſiâ Auguſtinum inter ac Gallicanos Doctores. Quarè ex ſententiâ Cœleſtini ſincerò relatâ, acutè ac ſubtiliter eandem contrà adverſarios detorſit. Ubi anno 1667. publicatum fuit in Belgio Alexandri VII. decretum, quo vetabatur, ne diſputantes de ſufficientiâ Attritionis ex ſolo metu gehennæ vel de neceſſitate aliqualis dilectionis Dei, ullam ſibi invicem notam inurerent, utraque litigantium pars idem decretum ſibi favorabile prætexuit; ac utraque id ſincerè ſe facere judicavit.

A N O N Y M U S.

,, VOs, ſapientiſſimi Theologi, cogitate quæ fu- ,, tura ſit opinio, non jam dico hæreticorum, ,, ſed totius Chriſtianæ plebis, de Eccleſiæ Catholi- ,, cæ Sanctis, ſi audiat unum ex illorum numero, cu- ,, jus inſigne elogium inter ſacra Officia quotannis re- ,, citari audierat, hominem fuiſse mendacem, ſubdo- ,, lum, maledicum, & Sanctorum calumniatorem, ,, cujus tamen nullum extat pœnitentiæ veſtigium: ,, Hæc eſse quæ in mediâ luce Urbis Romæ de illo ,, docet famoſus ſcriptor, Pontificiæ Aulæ miniſter, ,, ſuffragantibus quinque Cenſoribus ab ipsâ delectis ,, Sede Apoſtolicâ: quod nihil aliud eſt, quàm eo- ,, dem ore inter Cælites referri, quo inter ſceleſtos ,, collocatur. Pag. 24.

R E S P O N S I O.

NUlla planè ejuſmodi acerbior nota S. Vincentio Lirinenſi à Noriſio inuritur. Illa autem ſunt epitheta quibus S. Proſper variis locis Catholicos Gallos Auguſtinianæ doctrinæ adverſarios perſtringit. Cùm enim inter viros alioquin pios, ſed nondum humanis tentationibus immunes, contentiones erumpunt, æſtu diſputationis abrepti, amarulentis non ſemel ſeſe invicem, dictis excipiunt, ut S. Epiphanii, Hieronymi, & aliorum exemplis oſtendit Cardinalis Baronius ad Annum 412. cujus verba pag. 159. recitavi. Hæc prolixè, ut ſuperiùs notavi, proſequitur Thomaſſinus Diſſert. 13. à num. 28. ac tandem num. 30. concludit: *Ergo ſi de Hilario Arelatenſium Epiſcopo, ſi de Vincentio, ſi de Caſſiano &c. acerbius quid aliquando excidit magnis Viris, id æqui bonique conſulendum eſt, & in doctrinam, in quam incautè & per ſimplicitatem incurrerant, non in perſonas refundendum. Ita fiet ut non invideamus, non obtrectemus ſpectatæ eorum complurium ſanctitati, cui Auguſtinus & Proſper ipſi applaudebant. Nec magnoperè ſatagemus, an ante obitum acquieverint ſaniori doctrinæ; cùm ad Arauſicanæ ſaltem uſque Synodi tempora, inter Catholicos numerari non deſierint.* Hæc vir eruditiſſimus, quæ omnes illatæ accuſationis particulas ita infringunt, ut nec exactior nec ſolidior, nec denique brevior apologia deſiderari poſſit. Ita antequam Noriſius ſcriberet, omnia illa confutata erant, quæ tu poſt annos viginti ſex quaſi nova objecta producis, ac Cenſoribus ſapientiſſimis expendenda proponis. Ego illorum nomine te remitto ad laudatam Thomaſſini Diſſertationem unà cum aliis pluribus editam Pariſiis anno 1667. Quæſo te, num libros, aut quos aliquando legas? Neſcis enim quid hiſce de rebus Sirmondus, Thomaſſinus, Labbeus, Antelmius totque alii in Galliâ Scriptores in hac ipsâ causâ pronuntiarunt, cùm tamen eorum volumina in ore famæ, & in oculis Eruditorum verſentur, in quibus omnibus unus tu hoſpes es ac peregrinus.

A N O N Y M U S.

,, NEmo veſtrùm ignorat, Reverendi admodum ,, Patres, Traditionis hoſtes Lutheranos & ,, Calvinianos, cùm ſe tanti viri auctoritate rationi- ,, buſque validiſſimè premi cernerent, ad illam ca- ,, lumniam confugiſſe, quòd Semipelagianus fuerit ,, Vincentius Lirinenſis, & quòd in Semipelagiano- ,, rum gratiam Commonitorium ſuum ſcripſerit &c. ,, Itaque nihili faciendum Vincentii teſtimonium; ,, quippe qui non niſi in favorem Semipelagianiſmi ,, pro antiquitate certaverit; nec magis illi de ,, Traditione diſſerenti, quàm de Gratiâ, cre- ,, dendum. Pag. 25.

RES-

RESPONSIO.

QUi Catholicorum eorumque recentium Auctorum libros ac ſententias adeò ſupinè ignoras, Lutheranos ac Calvinianos ſcriptores appellas. Num horum teſtis de viſu, an de auditu potiùs venias, neſcio. Cùm enim te fingas Doctorem Sorbonicum, ac tot Catholicorum Scriptorum libros ignores, juratus affirmare auſim, te nullum Proteſtantium volumen nedum legiſſe, ſed quòd adeò ſcrupuloſus es, ne quidèm nigro obductos cooperculo fugitivis obtutibus vidiſſe. Faciam tamen abs te coactus, ut intelligas, quid illi de Commonitorio S. Vincentii Lirinenſis ſentiant. Centuriatores Magdeburgenſes Centuriâ V. cap. 10. hocce judicium de Vincentii libro pronuntiant: *Quòd ſi quis diligentiùs penſitabit, dicet ſcriptum eſſe eruditum & acutum, quod & hæreticorum fraudes clarè in apertum producat, detegat, & impugnet; quia & præſens valdè remedium & antidotum quaſi contrà eorumdem venena miniſtret, in quo ipſius Scriptoris vis elucet, & doctrinæ ipſius magnitudo.* Et anteà de Vincentio dixerant: *Non ſolùm docendo, ſed etiam ſcriptis Eccleſiæ profuit.* Hiſce laudibus Commonitorii Auctor à Lutheranis excipitur.

Georgius Calixtus ejuſdem ſectæ Scriptor, tanti Commonitorium fecit, ut illud unà cum libris S. Auguſtini de Doctrinâ Chriſtianâ, ſemel & iterùm imprimendum curaverit, additâ ſatis prolixâ præfatione, quam jure de Vincentii opere panegyrim dixeris. Hæc ibidem pag. 28. ſcribit: *Diximus ſub exordium hujus præloquii, Commonitorium Vincentii tantoperè à doctis tum noſtrarum, tum Pontificiorum partium Viris laudatum, ad Academicam, quam vocamus, Theologiam potiſſimum pertinere, & quomodo hiſtoriâ Antiquitatis Eccleſiaſticæ rectè utendum ſit, oſtendere.* Idem Calixtus in libro de Arte novâ &c. Francofurti Anno 1652. pag. 2. ait: *Triennium nunc eſt, & paulò ampliùs, quum in gratiam & uſum juventutis noſtræ, præſertim Academicæ, è meo recèns inſtituto typographeo prodierunt S. Auguſtini de Doctrinâ Chriſtianâ libri, & Commonitorium Vincentii Lirinenſis, unà cum meo proœmio, quo paucis oſtendo, quomodo quæ exiguo illo, ſed eximio & hactenùs omnium voce ſuffragiiſque approbato libello traduntur, decidendis, & finiendis controverſiis, quæ &c.*

Joannes Henricus Hottingerus in Bibliothecario quadripartito pag. 217. Tigurinæ edit. 1664. de Commonitorio Vincentii Lirinenſis ait: *Non diſplicet noſtris: unde & ab iis editum. Neque enim quod adverſarii Pontificii tantum in eo præſidii collocant, proptereà ſuæ cauſæ metuunt, ut ex Calixti editione patet &c.*

Caſaubonus in notis ad Epiſtolam D. Gregorii Nyſſeni ad Euſtathiam &c. pag. 118. ſcribit: *Præclarè Vincentius Lirinenſis in aureolo libello: Adnuntiare aliquid Chriſtianis Catholicis præter id, quod acceperunt, nunquam licuit; nunquam licet; nunquam licebit.*

Barthius lib. 18. Adverſ. cap. 7. cum titulo: *Vincentii Lirinenſis laus &c.* pag. 903. ait: *Commonitorium Vincentii Lirinenſis nunquam homini Chriſtiano deponendum manibus putem; imò inſtar quotidiani Enchiridii circumferendum, ut ſolidum beatitudinis noſtræ documentum, eleganter & nervosè literis ab eruditiſſimo homine ſignatum &c.* Et lib. 25. cap. 2. pag. 1215. *Vincentius ita in Commonitorio, divino libro.*

Hugo Grotius in diſcuſſione Apologetici Rivetiani, tom. 3. oper. Theolog. pag. 681. edit. Amſtelod. A. 1679. ait: *Vincentium Lirinenſem & ejus regulas laudaverant, & ſequendas monſtrarant, non Rex tantùm Britanniæ, & cum eo Caſaubonus* (ambo erant hæretici) *in Epiſtolâ ad Cardinalem Perronium, ſed & Georgius Calixtus magnæ eruditionis & famæ Helmſtadienſis Theologus, qui & cum digniſſimâ legi Præfatione librum illum edidit, & inter Anglos Rainoldus colloquio cum Harto &c.* Marcus Antonius de Dominis, Fridericus Ulricus Calixtus, Oſiander, aliique Heterodoxi ſummâ cum laude de Commonitorio loquuntur.

At Proteſtantes & Calviniani, qui Patrum traditione abdicatâ, unam tantùm ſacram Scripturam tanquam ſolam credendorum regulam infallibilem appellant, Commonitorium S. Vincentii rejiciunt. Id duo præſertim Calviniani executi ſunt, Rivetus ac Dallæus; nec mitiùs exceptus eſt Vincentius à Blondello in libro de Primatu in Eccleſiâ, Gallicè ſcripto, qui à pag. 51. ſcribit Vincentium perperàm *Sanctum* obtrudi, eò quòd fuerit in partibus Semipelagianorum. Hoc quoque ait Dallæus lib. 2. de uſu Patrum cap. 2. Contrà hunc librum ſcripſit Matthæus Scrivenerus Anglicanæ ſectæ profeſſor, in Apologiâ pro ſanctis Eccleſiæ Patribus, qui lib. 2. c. 2. ſcribit contrà Dallæum: *Pergamus tamen.* Non ſolùm, *inquit*, delirus Eremita, ſed Semipelagianus erat idem Vincentius; *quod indubitatò affirmatur; quum tamen in medio ſit à doctis poſitum &c. Eſto autem, Semipelagianus erat. Non ſtatim in omnibus damnandus, qui in aliquibus forſaſſis graviter peccaverit.* Hugo Grotius tom. 3. cit. pag. 681. 682. & iterùm pag. 727. ubi ait: *Vincentium illum Commonitorii ſcriptorem, fuiſſe Semipelagianum dixerunt nuper in Galliâ qui id dicere voluerunt; probarunt autem minime, niſi ex ſuo ſenſu &c.*

Habes hìc homines non Catholicos Commonitorium miris encomiis ornantes, ita ut ab illis opus *eximium, aureolum, aureum, divinum, nunquam homini Chriſtiano deponendum manibus*, honoris gratiâ dicatur. Habes quoſdam Calvinianos Vincentio ejuſque libro errorem Semipelagianorum objicientes. Habes alios Sectarios ab eâ accuſatione Vincentium vindicantes. Itaque varia ſunt apud Heterodoxos de Vincentio æquè ac apud Catholicos judicia, uti productis eorundem teſtimoniis oſtendi. Binæ hìc propoſitiones notandæ veniunt, quarum una veluti theſis, altera hypotheſis rationem habeat. Prior eſt: Antiquitatem doctrinæ retinendam, fugiendam verò dogmatum in rebus fidei novitatem. Huic uni intento ſtabiliendo Commonitorium totum, quod extat, nempè liber ejuſdem primus impenditur. Quid in libro ſecundo ſcripſerit, incompertum eſt, niſi quòd in cap. 42. & 43. nomina *recapitulationis* quædam indicantur ab ipſo Auctore, ſive ut alii malunt, à Gennadio ſenſum auctoris imitante. Altera propoſitio eſt: Doctrinam S. Auguſtini de initio fidei ex gratiâ, atque hujus largitionem ex divinâ prædeſtinatione, quæ hominum merita cuncta præcedat, neque ab iſtorum præſcientiâ dirigatur, novam eſſe, ac anterioribus Patribus incognitam, imò etiam illorum ſcriptis adverſam, quæ capitalis erat Semipelagianorum contrà S. Auguſtinum objectio. At hac de alterâ aſſertione nihil apud Vincentium in Commonitorio legitur. In priori aliâ Catholici omnes conveniunt, quam & S. Auguſtinus paſſim ſuis in libris commendat, eaque veluti omnium acutiſſimo telo, Donatiſtas ac Pelagianos transfixit. Legatur lib. 2. de Baptiſmo cap. 7. lib. 4. cap. 23 lib. 5. cap. 23. ubi ait: *Apoſtoli autem nihil quidèm exinde præceperunt, ſed conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt, ſicut ſunt multa quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis*

ſis pr ecepta benè creduntur, quanquam ſcripta non reperiantur. Idem cùm in libro primo ac ſecondo contrà Julianum ex Patrum doctrinâ Pelagianæ hæreſeos novitatem demonſtraſſet, concludit in fine libri ſecundi: *Talibus poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, paſtoribus, nutritoribus crevit. Ideò profanas voces veſtræ novitatis expavit &c.* Rident autem Catholici ſcriptores Dallæi Calviniani hominis objectionem, quam etiam Scrivenerus cum aliis Heterodoxis exſufflat: Vincentius fuit in partibus Semipelagianorum, ergo nulla eidem fides in Commonitorio habenda eſt. Etenim Auguſtinus uſquè ad initia Epiſcopatûs Semipelagianorum errori adhæſit, quo tempore plurimos contrà Manichæos libros ſcripſit, qui libro primo Retractationum recenſentur. Fac ergo quempiam ſic argumentari: Auguſtinus cùm illos contrà Manichæos libros ſcripſit, in errore Semipelagianorum verſabatur, ergo nihil aut parum illi tunc ſcribenti credendum eſt. Nonne is ita argumentans exſibilandus eſſet? Quid enim dogmatis Manichæis cum Semipelagianis commune fuit? Hoc in Commonitorio diſertè ac validè firmatur: Doctrina antiquitùs in Eccleſiâ tradita, ac dein hæreditariâ velutì ſucceſſione per Patres ad poſteros tranſmiſſa, quibuſcumque poſteà contrariis opinionibus inductis præponenda eſt. Huic dicto conſentiunt Catholici omnes; conſenſere Semipelagiani, ut & conſentire fingunt hæretici noſtri ſæculi, paucis illi exceptis, qui Patrum traditioni adverſantur. Non ſunt ergo hæc arma peculiaria Semipelagianorum, ſed omnium, qui traditionem venerantur. Jam verò ſi ulteriùs pergas, dicens ſententiam Semipelagianorum eſſe antiquitùs à Patribus traditam, opinionem verò Auguſtino excogitatam, omnibus anterioribus Eccleſiæ Patribus adverſari, propria jam Semipelagianorum objecta producis, quibus illi S. Auguſtini doctrinam impetebant, quæve S. Doctor infregit cap. 19. de Dono perſeverantiæ. At ab hoc altero Vincentius eo in libro, qui ſupereſt, ſtylum abſtinuit.

ANONYMUS.

,, QUid poterat his hæreticis optatius accidere,
,, quàm ut non modò Romanæ Eccleſiæ Pro-
,, bibliothecarium, ſed cum illo tot Cenſores Apo-
,, ſtolicos adſtipulantes haberent adversùs odioſiſſi-
,, mum ſibi Vincentii Commonitorium? Certè in No-
,, riſiano libro non ſolùm habent hæretici quò ſe ad-
,, versùs Vincentium defendant, ſed etiam quò Roma-
,, nam Eccleſiam Semipelagianiſmi accuſent: utpotè,
,, quæ tum Vincentium inter Sanctos numeret, tum
,, ejus librum tanquam egregiè Orthodoxum prædi-
,, care non deſtiterit, ac velutì Catholicæ fidei ſcu-
,, tum Novatoribus omnibus opponere. Pag. 25.

RESPONSIO.

HIc non unum Noriſium impetis, ſed Cenſores ipſos pari accuſatione percellis. Rectè Auguſtinus Epiſt. 166. ad Donatiſtas ſcribit: *Quomodo enim poteſt malus litigator laudare judices, quibus judicantibus victus eſt?* Enimverò Noriſium potes impunè laceſſere. At non par venia aut impunitas dabitur temeritati, qua in doctiſſimos Cenſores impotenter inſurgis; cùm præſertim neſciamus quale illi judicium tulerint. Equidèm vereor, ne exemplum de tuis ſcrupulis illi ſumant, quo veterem ſententiam diſcas: Periculoſum eſt ſcribere in eum, qui poteſt proſcribere. Addis librum Vincentii eſſe hæreticis *odioſiſſimum*; cùm tamen illi appellent eundem *eximium*, *aureolum*, *aureum*, *divinum*, quod poſtremum epitheton à nullo hactenùs Scriptore Catholico obtinuit. Quid autem, quæſo te, in Noriſiano libro præſidii habere poſſunt hæretici? Vincentius in eo errore fuit, in quo etiam fuerat uſque ad initum Epiſcopatum ſummus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus. Eratne tunc Auguſtinus omni privatus ſanctitate? Profectò S. Paulinus Epiſtolam 33. inter Auguſtinianas, inſcribit *Domino fratri ſancto & unanimo Auguſtino*, qui nuper ſacras infulas acceperat, ubi ejuſdem *in Manichæos opera* commendat. Eratne ejuſmodi libri *egregiè Orthodoxi*, licèt Auctor Semipelagiano adhuc errore implicaretur? Cùm eadem toties dicas, ac fruſtrà repetas, cogor & ipſe eadem pariter cum Lectorum tædio repetere.

ANONYMUS.

,, ESſet quidèm facilis ac expedita reſponſio, non
,, plus valere Noriſii auctoritatem, quàm quan-
,, tùm ipſius rationes valent; quæ in eo negotio, de
,, quo nunc agitur, prorsùs nullæ ſunt, ut mox vi-
,, debimus: & illum & ejus approbatores privatos
,, Doctores eſſe, quorum judicia præſtare non tenea-
,, tur Eccleſia. Denique Romana tribunalia, imò &
,, ipſum Pontificem, tam in approbandis, quàm in
,, condemnandis libris ſæpè falli. Sic, inquam, reſ-
,, pondere facilè fuerit noſtræ Facultatis Doctoribus,
,, quibus ſufficit, Romanum Pontificem tum infalli-
,, bilem eſſe, cùm illius judicio accedit Epiſcoporum
,, conſenſus. Sed Romanis ipſis cogitandum relinqui-
,, mus, utrùm è re ipſorum fuerit, in gratiam Noriſii
,, ejuſmodi objectionem Hæreticis ſuppeditari, è qua
,, Eccleſiam Catholicam non poſſimus aliter defende-
,, re, quàm Romanum judicium refellendo. Pag. 26.

RESPONSIO.

NOriſius eas rationes dudum ab aliis adductas novis quibuſdam obſervationibus confirmavit. Quas tu nullas dicis, celebris Doctor Sorbonæ dixit, *eſſe invictas.* At inquis, hunc Scriptorem allatas à Noriſio conjecturas adoptaſſe. Joſeph Antelmius cùm eaſdem Noriſii rationes accuratè perpendiſſet, pag. 420. laudati aliàs voluminis ſcribit: *Graviores clarioreſque ſunt, quàm ut ullius ex aliis non præoccupati conſenſum non eliciant.* Num cauſaberis, hunc quoque Noriſii conjecturas adoptaſſe? Interim unâ & alterâ adoptione iiſdem aliquod probabilitatis pondus acceſſit. In iis autem quæ addis, mihi videris ad eorum caſtra licèt fingendo, transfugere, qui Romani pontificis in condemnandis libris judicium infallibile diffitentur, quouſque totius Eccleſiæ conſenſus accedat. At ſcimus Romanum Pontificem, dum peculiari Conſtitutione quempiam librum condemnat, non petere, ſed planè imperare univerſæ Eccleſiæ conſenſum. Etenim, ut innumera ad hoc demonſtrandum teſtimonia miſſa faciam, S. Gelaſius Papa in Epiſtolâ 13. ad Dardaniæ Epiſcopos ſcribit: *Quòd Apoſtolica Sedes frequenter, ut dictum eſt, more majorum, etiam ſinè ullâ Synodo præcedente, & abſolvendi, quos Synodus iniquè damnaverat, & damnandi quos oportuit, habuerit poteſtatem.* Quod cùm variis exemplis comprobaſſet ait: *Quoniam ſicut id, quod prima Sedes non probaverat, conſtare non potuit, ſic quod illa cenſuit judicandum, ECCLESIA TOTA SUSCEPIT.* Videſis inſignia ad hoc ipſum dicta Ferrandi Diaconi Carthaginenſis in priori Diſſert. cap. 9. Quæ in gratiam Noriſii objectio hæreticis tibi dicitur ſuppeditari, jam ſatis ſuperque confutata eſt, nec opus eſt actum

agere;

Digitized by Google

agere. Petulantis animi eſt, in ſecretiora Quæſitorum fidei judicia irrumpere, quæ humili tantùm ſilentio veneremur oportet. Nobis tam curioſos eſse non licet; multò minùs tibi licuit, ignotam ſententiam audaciori ſtylo perſtringere.

A N O N Y M U S.

,, UT ergo paucis omnia complectar, Noriſii li-
,, ber Romæ approbatus, anſam dat his Luthe-
,, ranorum & Calvinianorum objectionibus. Pag. 26.

R E S P O N S I O.

JAm videris vela ventis haud inflata ſecundis contrahere, ut myoparonem undique quaſſatum, ac rimas facientem, in portum, cui ab Harpocrate nomen indidere, ſubducas. Caſſiani phraſis eſt in præfatione librorum de Incarnatione: *Poſt illum proditæ inſcitiæ pudorem, in portu ſe ſilentii collocare.* Non quidèm, ut ais, approbatio, ſed peracta quæcumque illa fuit, ignota nobis Noriſiani libri cenſura, nec hactenùs ſecuta illius condemnatio, nullas hæreticorum objectionibus anſas dat, ſed te adeò anxium reddidit, ut tuos ſcrupulos *tanquam anſas ad reprehendendum*, ut ait Cicero in Lælio, compingeres. More Oratorum in exitu opellæ ſcrupuloſæ, uteris peroratione, ac per tua veſtigia, eadem recantando, recurris. Etenim quæ antè tumet objeceras, quò Romanis auribus horrorem aut ſaltem ſuſpicionem injicias, ipſiſſima fingis Lutheranos ac Calvinianos objicere.

Et primò quidèm ais ab hæreticis objici, Catholicos ſuperiori ſæculo armis potiſſimùm Semipelagianis, nempè Vincentii Commonitorio in gratiam Semipelagianiſmi fabricato, Reformationem impugnaſſe. Jam didiciſti quanto in pretio ſit apud Lutheranos Commonitorium Vincentii. Fridericus Ulricus Calixtus in Differt. de Auctoritate Antiquit. Eccleſiaſticæ, pag. 111. ſcribit: *Sunt anni XXV. quum Commonitorium illud Parens ederet, & Pontificiis facto agmine in has provincias tunc irrumpentibus, opponeret. Solent enim illi objectare, quod Proteſtantes &c. Ad retundendam itaque hanc ſivè ſuſpicionem ſivè calumniam, edidit Parens Commonitorium Vincentii &c.* Contendit juxta dicta Vincentii, ex *traditione* Lutherana dogmata ſtabilire: quorum tamen infauſtos natales elapſo ſæculo Orbis Chriſtianus deploravit. Soli hæretici qui Traditioni obluctantur, Vincentii Commonitorium, ut proximè prædixi, rejiciunt. Reliquæ quatuor objectiones, quas Heretici tuo ore ibidem proponunt, jam ſuperiùs confutatæ ſunt. Eas iterùm alieno ore te fingis recantare, ut in fine ſcrupulorum, in Lectorum animis earundem aculeos altiùs infixos relinquas. At omnia quæ hic iterùm colligis, jam latiùs diſperſa, diſſipata, ac in fumum redacta evanuerunt, ut nihil novi inſuper adjicias, quod exſufflandum ſuperſit.

§. V.

Effugium præcluditur.

ERras, ac inani opinione deciperis, ſi Noriſium tuis hiſce ſcropulis impulſum, fugâ ſibi conſulturum putas. Nam tuorum ſcrupulorum acies (ut grandiloquus meam quoque operam jactem) internecione deleta eſt, ut ne unus quidèm communi ſtragi ſubduci potuerit, ita ut ſi fortaſsè ſcrupuloſum bellum reſtaurare mediteris, novorum planè ſcrupulorum conſcriptio tibi facienda ſit. Hæc tantula de tantillis victoria in jacturæ loco mihi reponitur, qui bonas horas ſcrupulis evellendis impenderim: quo uno ſcrupulo cæteris tuis longè moleſtiore perſtringor. Interim videamus, quanam arte effugia cuncta præcluſeris.

A N O N Y M U S.

,, MIrum non erit, ſi Noriſius poſtquàm talia in
,, ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres conjecit, paulò
,, duriùs non excipiat, rursùs fortè ſuum illud inge-
,, rens: *Legat Anonymus &c. & ſcrupulos ac ſupinam*
,, *qua laborat, rerum iſtarum ignorantiam deponat.* Sed
,, interim dum ſciam ad quos legendos me remiſſurus
,, ſit, duo ſunt quæ illum moneam. Pag. 28.

R E S P O N S I O.

EQuidèm mihi gratias ages, ſaltem debebis, qui cùm te Doctorem Sorbonicum fingas, à me haud in longinqua mittaris. Nam temet amicâ manu domo eductum, ad Bibliopolas Pariſienſes viâ compendiariâ deduco, ut inſignium Auctorum volumina tibi ad hanc uſque diem aut incognita, aut nequaquam lecta, oſtendam; quæ mea quoque erit peroratio, ſive ut in cauſis forenſibus fit, teſtium repetitio. En tibi tomus primus Academiæ Theologicæ Scoti, auctore Claudio Fraſſen Doct. Sorbonico, editus Pariſiis apud Edmundum Couterot anno 1672. In hoc autem volumine pag. 421. & 422. dicitur Vincentius Lirinenſis detorſiſſe Epiſtolam S. Cœleſtini Papæ in favorem Semipelagianorum. Verba hujus Theologi tibi recitavi pag. 157. Gradum faciamus. Hic tomus Diſſertationum in Synodos auctorem habet Ludovicum Thomaſſinum, eruditiſſimum Theologum. Editus eſt hic quoque liber Pariſiis anno 1667. ſumptibus Societatis typographicæ. Enimverò pag. 460. legimus Hilarium Arelatenſem, Vincentium, Caſſianum, Fauſtum &c. erroneæ Semipelagianorum opinioni adhæſiſſe, nec errorem ejuraſſe, ſed omnes ſectatores Catholicos fuiſſe ad Synodum uſque Arauſicanam. Pergamus aliò. Tot prægrandia volumina ſunt Opera S. Auguſtini, nuper à Patribus Benedictinis Monaſterii Pariſienſis S. Germani à Pratis meliori ordine digeſta, ex optimis codicibus correcta, ac eruditis etiam notis illuſtrata, typis Pariſienſibus Franciſci Muguet impreſſa. Jam ſuperiùs pag. 158. monſtravi in appendice Tomi X. editi anno 1690. ad pag. 132. affirmari Vincentium Epiſtolam S. Cœlaſtini contrà Proſperum retorſiſſe, ac proinde haud injuriâ videri Semipelagianis faviſſe.

Scis viam hanc vulgò *la rue de Saint' Jacques*, Bibliopolarum officinis ornatam eſse. Hanc ſub ſigno Ciconiarum, quæſo, ingrediamor, in quâ impreſſi à Cramoyſiis libri venduntur. Viden quinque illos grandiores tomos Theologiæ dogmaticæ auctore Dionyſio Petavio, Viro eruditiſſimo? Quid in tomo tertio pag. 622. de Epiſcopis Semipelagianis in provinciis Lugdunenſi ac Arelatenſi ſcribat, dudum tibi pag. 160. indicavi. Ex hac quoque typographiâ anno 1673. prodiit inſigne volumen Marii Mercatoris cum Diſsertationibus Joannis Garnerii, qui pag. 150. tradit ex Commonitorio Vincentii colligi Lirinenſes Semipelagianorum opinionibus adhæſiſse. Hoc quod aperio, juſtæ molis volumen editum anno 1655. continet hiſtoriam planè tragicam de Gotteſchalcho ſcriptam à Rev. P. Ludovico Cellotio. Da aures, dum quoſdam verſus ex lib. 1. cap. 4. pag. 99. tibi recito; ſiquidèm ibidem tecum planè loqui videtur, ut temet tuis hiſce ſcrupulis liberet: *Tu*, inquit, *doctrina pravitate mores vis infici, quaſi tum, & anteà nemo benè potuerit vivere, qui malè ſentiret: quod ego de Semipelagianis pernego, quorum ſanctitatem vita ipſi doctrina*

beſtes

Digitized by Google

hoſtes agnoſcunt, & laudant. Optimè dicta, inquies, quia ignorantia invincibilis eoſdem omni culpâ immunes reddidit. Ne, quæſo iterùm, libri lectionem interpelles hac, quæ toties tibi in buccam venit, ignorantiâ invincibili; ſed integram alegantis Scriptoris ſententiam auſculta; ſiquidem ita proſequitur: *Invenies peculiare illud Semipelagiano errori fuiſſe, nullum ut habuerit hæreticum profeſſorem; cùm qui ſunt illum profeſſi, ante condemnationem Chriſtiano Orbe publicatam, & admiſſam vixerint, qui autem poſteà vixerunt, illum repudiarunt.* Intellexiſtin', Amice, quid dicat? Semipelagianos ab omni hæreſeos culpâ excuſat, non ob ignorantiam invincibilem, ut imaginaris, ac muginaris, ſed quia antè publicatam poſt Synodum Arauſicanam ejus erroris condemnationem vixere, quæ eſt ipſiſſima Noriſii ſententia.

Divertamus ad librariam officinam ſub ſigno Coronæ aureæ, quæ eſt juris Antonii Delazier inſignis Typographi. Hìc anno 1689. excuſus fuit liber de veris operibus ſanctorum Leonis Magni & Proſperi Aquitani ſcriptus à Joſepho Antelmio Canonico Forojulienſi. Quid de doctrinâ Commonitorii Noriſio conformiter idem ſcribat, jam ſuprà pag. 172.& 175. inaudiviſti. Paucos modò verſus ex Diſſert. 3. num. 9. pag. 127. patienter auſculta: *Fauſtus*, inquit, *Valerianus, aliique valentiſſimi* MASSILIENSIUM ASSECLÆ DEFENSORESQUE *dignitate aucti, & ex ſpectabilibus Monachis Abbates, moxque ex Abbatibus* PRÆSULES *&c.* Sat eſt. Volumen claudo, ne ulteriori lectione oculi tibi forſitan doleant. Quæ hìc pariter longo ordine diſpoſita volumina intueris, hiſtoriam Eccleſiaſticam per ſæcula deductam continent, auctore Sorbonico Magiſtro, quem cùm fatearis Noriſii de Commonitorio conjecturas adoptaſſe, non eſt cur tibi jam nota, iterùm ſuperfluâ repetitione inculcem. Quæ illic viſitur ſub ſigno Occaſionis apotheca libraria, ibi Andreas Pralardus libros abs ſe impreſſos pretio diſtrahit, quos inter quidam ſcripti ſunt à Doctore ac profeſſore Sorbonico, qui tum de Commonitorio memorato, tum de Epiſcopis Semipelagianis in provinciâ Viennenſi ac itidam Narbonenſi Noriſio ſimiliter ſentit. Præterea ex typographiâ Joannis Baptiſtæ Coignard prodiit volumen, in quo dicitur Vincentius laudatam Cœleſtini Papæ Epiſtolam contrà ipſum Proſperum produxiſſe. Ad neutram te officinem librariam in præſentia conducam, ne multiplici voluminum lectione moleſtior tibi ſim, quem video ex præſcripto Senecæ in Epiſt. 2. ad Lucilium à multorum auctorum libris legendis abhorrere. Interim videſis quantâ tecum comitate agam. Dicebas: *Dum ſciam ad quos legendos me remiſſurus ſit.* Haud equidèm te ultra Pyrenem ad Hiſpaniæ Bibliothecas perluſtrandas miſi. Non ad pluzimos per utranque Germaniam librarios ablegavi. Non trans alpes ad Italiæ Bibliothecas conſulendas abire juſſi; quod ſi feciſſem, te ad unum V. C. Antonium Magliabechium *Βιβλιοθήκην περιπατοῦσαν* Florentiam deſtinaſſem, qui illicò tibi memoriter recitaſſet nomina, cognomina, patriam, ætatem Scriptorum, eorumque libros, paginas, ipſo verſus, in quibus ſive de doctrinâ Auctoris Commonitorii, ſive de Epiſcopis in Galliâ Semipelagianis mentio habetur. Verùm haud opus eſt ad longinqua peregrinari, cùm apud Bibliopolas Pariſienſes tot modò tibi libros & hos omnes typis Pariſienſibus impreſſos oſtenderim, in quibus palàm tuiſmet oculis vidiſti, quid præclari in Galliâ Scriptores hiſce de rebus proximis annis pronuntiaverint. Horum pars eſt ſuperſtes, qui abs te rogati, omnes ad unum tibi ſcrupulos poſſunt evellere. Da gloriam veritati. Tune es Magiſter in Sorbonâ, & hæc ignoras? O quàm procul à Sorbonâ hactenùs habitaſti! Cujas es? Ubinam gentium vivis? Cur ergo ægrè ac moleſtè fers Noriſium, cùm primùm ab illuſtriſſimo viro priorem tuorum ſcrupulorum partem ſibi oſtenſam vidiſſet, in albâ priori paginâ hæc ſtatim ſuamet manu exaraſſe: *Legat Anonymus &c. & ſcrupulos ac ſupinam qua laborat, rerum iſtarum ignorantiam deponat.* Quæ ille privatim ſcripſit, haud te puduit editis paginulis publicare? Atenim credo te jam intelligere, num idem rectè de tuis in causâ Monachorum Scythiæ ſcrupulis judicaverit & an pari cenſurâ caſtigandus ſis, dum in tot voluminibus ab eruditis Lutetiæ Pariſiorum excuſis, hoſpes prorſùs ac peregrinus appares. Præſcribis in titulo *Effugium præcluditur.* Cùm Noriſius tot undique Gallicanis Scriptoribus veluti fœderatis utroque latere muniatur, haud potis es eundem tuis hiſce ſcrupulis loco pellere, ac in fugam conjicere. Cùm verò tot conterraneis teſtibus ac Sociis etiam Sorbonicis convictus ſis: *Quid te futurum eſt? quò confugies? ubi nitere?* His Ciceronis verbis in Verrinâ IV. addo Poetarum maximi carmen

At non hoc telum mea quod vi dextera verſat,
Effugies. Æneid. IX.

A N O N Y M U S.

„ DUo ſunt quæ illum moneam, quia breviorem
„ utriuſque noſtrùm laborem reddituræ ſunt.
„ Primum eſt nihil eſſe cauſæ contrà me patrocinatu-
„ ros, qui dixerint, aut Vincentium Lirinenſem,
„ aut Gallicanos illos Antiſtites Semipelagieniſmum
„ propugnaſſe, & eoſdem tamen verè ſanctos fuiſſe.
„ Nihil iſtud, inquam, pro Noriſio nisi cum illo ad-
„ jecerint, quod disertè ipſe aſſerit, Semipelagianos
„ non ex voluntariâ ignorantiâ erraſſe, qua excuſari
„ poſſent, ſed merâ obſtinatione oculos veritati clau-
„ ſiſſe; tum quod apertè ſupponit, eos nullum muta-
„ tæ ſententiæ ſignum edidiſſe. Quiſquis iis, de qui-
„ bus loquimur, aut ignorantiam invincibilem, aut
„ reſipiſcentiam tribuit: quiſquis alterutram ſaltem
„ ſupponit, is hoc ipſo ſatis à Noriſio ſe diſcernit,
„ quia defendendæ adversùs hæreticos illorum & Ec-
„ cleſiæ ſanctitati aditum relinquit. Pag. 28.

R E S P O N S I O.

EAdem repetis, ac fruſtrà repetis, quia ignorabas Auctores Noriſio patrocinantes, ad quos cognoſcendos, te proximè conduxi. Ulliusne culpa lethalis reus tibimet videris ob hanc ignorantiam? excute ſcrupulos, ac tuammet conſcientiam ſcrutare. Nullus dubito, quia conſcientia dictatura tibi ſit, nullam te inde noxam lethalem contraxiſſe, quia quamvis commodè poſſes, apud Pariſieaſes Bibliopolas libros conſulere, nullâ tamen Eccleſiæ lege obligabaris ſcire quæ in illis voluminibus de laudatis Epiſcopis aut de Vincentio legebantur. Itaque quamvis tua ignoraotia fuit vincibilis, nullius te criminis ſanctimoniam excludentis, reum fecit, quia ignorantia fuit eorum, quæ nullâ lege ſcire tenebaris. Eſt enim canon Theologicus à S. Thoma hiſce verbis expreſſus in 1. 2. quæſt. 76. art. 2. *Ignorantia autem vincibilis eſt peccatum, ſi ſit eorum, quæ aliquis ſcire tenetur, non autem ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur.* Haud ſecus Gallicani illi Patres ignorarunt quod nondum ullâ Eccleſiæ lege ſcire, ac credere jubebantur. Clauſerunt oculos veritati ab Auguſtino indicatæ, nondum tamen ab Eccleſia aſſertæ. Sirmondus, Raynaudus, Labbeus, Cellotius inſignes è Socie-

tate

tate Scriptores, aliique ſuperiùs laudati, nec ab ignorantiâ invincibili, nec à ſecutâ tandem reſipiſcentiâ, illorum ſanctitatem excuſatam, aut ſervatam dixeres; ſed quia, ut inquit magnus auctor Suarez Prolegom. V. de Gratiâ cap. 5. num. 6. *nondum erat illa ſententia hæreſis vel erroris damnata ab Eccleſiâ; ut Proſper in fine libri contrà Collatorem apertè docet, Caſſianumque inter Catholicos numerat.* Si vis intelligere: Ignorantia ejus, quod ſcire nullâ lege divinâ aut Eccleſiaſticâ obligamur, ſive ſit invincibilis, ſive vincibilis, quod peccatum attinet, perinde eſt. Quæ veriſſima ſententia omnes tibi ſcrupulos, modò ſapere velis, exculpit.

ANONYMUS.

„ Alterum eſt, ne quidèm ſi multos inveniret, qui
„ prorsùs eadem cum ipſo docerent, aliquid con-
„ trà nos effecturum eſſe, niſi ſimul oſtendat falſò con-
„ eludi, quæ ex ipſo contrà Eccleſiam inferri oſtendi-
„ mus. Quandiu hoc non probaverit, nihil ad rem
„ pertinet, quòd alios ſibi conſentientes habeat: præ-
„ ſertim ſi non hos Noriſius, ſed hi Noriſium ſecuti
„ ſunt, ut fecit Natalis Alexander, qui illius contrà
„ Vincentium Lirinenſem conjecturas adoptavit. P. 30.

RESPONSIO.

In unâ Pariſiorum urbe tu ipſe, me præmonſtrante, legiſti plurium Auctorum impreſſa ibidem volumina, in quibus Noriſii ſententia confirmatur, cùm tu unicum tantùm noſceres P. Natalem Alexandrum, qui nuper decem tomos de Theologia Dogmatica ac Morali edidit. Opus ſanè ſacrâ eruditione refertum, methodi perſpicuitate nitidum, ac doctrinæ ſoliditate ſpectandum: cujus etiam exemplaria Noriſio donanda Auctor munificus Romam tranſmiſit, pro quo eruditiſſimo munere hac ipſâ, quam illum nominans præbuiſti, occaſione, Noriſii vice gratias ago, cùm pares tantæ beneficentiæ non poſſim referre. Putaſne tibi pariter gratias relaturos Calvinianos pro argumento, quo ex ſententiâ Noriſii *contrà Eccleſiam inferri* grande abſurdum, eoſdem docuiſti? At tuus ille ſyllogiſmus tam malè materiatus levi meæ manus impulſu, laxatâ quaquaversùm propoſitionum compage, ac factâ ruinâ, diſſiluit. Noriſius unus eſt inter plures; nec primus, nec poſtremus eam ſententiam tenuit. Sex eorumdem ſcribunt, Vincentium Lirinenſem S. Cœleſtini Epiſtolam ſiniſtrâ interpretatione contrà S. Auguſtini diſcipulos detorſiſſe. Hic ſanè nulli uſui venire poteſt tuum illud ignorantiæ invincibilis emplaſtrum, quod admoves, ne ſanctitas pereat, quæ ſanè neque exindè periit, uti jam dixi.

ANONYMUS.

„ Jam verò hinc apparet quo fructu dilata olim cen-
„ ſura, vel correctio Noriſiani libri fuerit, & quid
„ ex ejus approbatione porrò expectandū ſit &c. P. 30.

RESPONSIO.

Cum neſcias, quid hiſce de rebus prodant tot volumina apud Bibliopolas publicè proſtantia, ac dudum apud eruditos pervulgata, haud miror te neſcire, quid Romæ in arcano Sacræ Congregationis Inquiſitionis univerſalis actum ſit. Dilatam dicis Noriſiani libri cenſuram? Erras. Nam ſemel, iterùm, ac tertiò ejus libri examen peractum eſt. Primò quidem anno 1672. cùm Noriſius tum Romæ degens, idem volumen Sacræ Congregationi ſupremæ Inquiſitionis examinandum obtulit. Editionis facultate conceſſâ, anno proximo liber de Hiſt. Pelag. Patavii excuſus, in lucem prodiit. At poſt biennium apud Romanum S. Inquiſitionis tribunal idem liber accuſatus fuit, Noriſio interim haud anſato ſedente. Quid actum fuerit, neſcio. Hoc ſcio nullo ſtigmate notatum, & ab omni cenſurâ immunem, liberè literarium Orbem pervagatum fuiſſe, ſiquidèm adverſariorum accuſatio, ac proximum diſcrimen eidem famam addiderant. Induciæ in annum uſque decimum ſextum manſere; cùm repentè improviſum contrà miſerum librum bellum erupit: cujus occaſione libri Auctor auctus honore; cùm Sanctiſſimus D. N. INNOCENTIUS XII. Henricum Noriſium Vaticanæ Bibliothecæ Præfectum deſignavit. Ita dum Scriptor adeò honorificè in ſplendidiſſimam, ac maximam totius Orbis MSS. voluminum regiam inducitur, ejuſdem volumen ad tribunal trahitur. Exitum hujuſce tertiæ cenſuræ, aliàs nobis ignotum, te narrante, intelligimus. Nam in priori ſtatim paginâ partis ſecundæ, cùm prior pars decem paginulis expleatur, ſcribis: *Scimus novos Cenſores deſignatos eſſe, ac ſententiâ continuò dixiſſe, qua dudum accuſatus is liber, ne apice quidem ſublato, approbatur, imò ſummis laudibus extollitur.* Si horum, quæ ſecretiora ſunt, verax teſtis, aut ut opinor, audax ariolus venis, num tibi cenſura libri dilata videtur, quæ ſinè exemplo, jam tertiò in tremendo illo Tribunali peracta fuit? Quid ulteriùs moliris, acerbiſſimam rursùs accuſationem ſcrupulorū nomine inſtituens? Tantane ſacri ac profani juris oblivione interciperis, ut cauſam jam triplici judicio diſcuſſam, iterùm ad judices deferas, novumque examen efflagites? Præclaram tibi repono S. Auguſtini ſententiam lib. 2. Oper. Imp. con. Jul. n. 103. *Quid adhuc quæris examen, quod jam factum eſt apud Apoſtolicam Sedem?*

ANONYMUS.

„ Si quos habet ſocios, valebit hoc, ſi lubet, ut No-
„ riſio propter iſtos, vel ut iſtis propter Noriſium
„ ignoſci debeat, quod me non repugnante fiet: haud
„ tamen impediet, ne hæc Noriſiani libri doctrina
„ gravem Eccleſiæ plagam inferat; multò magis gra-
„ viſſimam Romana ejuſdem approbatio. Pag. 30.

RESPONSIO.

Si quos, inquis, habet ſocios? imò quales ac quantos habeat ſocios, proximè didiciſti. Tot ille habet ſocios, ut potis ſit, bellum ſociale & fortiter ſuſtinere, & feliciter profligare. Sociale, inquam, cum ſociis, ac pro ſociis, quibuſcum habet cauſam communem. Nec Noriſio propter ſocios ignoſcendum eſt; nec ſociis in gratiam Noriſii ullius culpæ gratia facienda. Quod ſcribis, *te non repugnante fiet*. At id, velis, nolis, jam factum eſt. At ſi judicio, uti dicis, jam peracto non repugnas, cur illud tot ſcrupulis impugnas? Nam abſolutoriam ſententiam impetis, qua liber cenſuræ quidèm diſcrimine, at non æquè invidiâ liberatus eſt, quàm illi maximam conflare conaris, dum graviſſimam Eccleſiæ plagam Noriſiani libri doctrinâ, ac ejuſdem lectione nequaquam vetitâ, inferendam, triſti augurio denuntias. Unde nam tam dirum ac funeſtum omen conjeciſti? an quia, ut ait Plautus in Aſinariâ II. 1. *Cornix eſt ab læva; corvus verò ab dextera?* Chriſtianus Lupus Auguſtinianus, regius profeſſor in Academia Lovanienſi, ac tot eruditiſſimis voluminibus de re Eccleſiaſticâ benè meritus, eo quo Noriſius anno 1673. eadem omninò tradidit de Vincentio Lirinenſi ejuſque Commonitorio tom. 4. notar. in Synodos à pag. 757. ubi tamen rigidiori ſtylo idem judicium proſequitur. Quàm plagam duorum ac viginti annorum ſpatio Lupi volumen Eccleſiæ intulit? Quis Heterodoxus indè contrà Eccleſiam tela deprompſit? Eodem A. 1673. Joañes Garnerius Jeſuita, quo neminem eruditiorem, Petavio ac Sirmondo defunctis, id temporis Societas in Galliâ habuit, docuit ex Commonitorio Vincentii patere Monachos Lirinenſes Semipelagiano errore infectos fuiſſe. Qua parte vir doctiſſimus plagam Eccleſiæ intulit? Neſcio quo fato factum ſit, ut res Scriptores in diverſis Europæ provinciis libros eodem anno

evulgantes; in eandem de Commonitorio Vincentii ſententiam conſpirarint. Si tibi fides habeatur, triplicem eo anno plagam Eccleſia accepit. At ſcimus Eccleſiam quatuor luſtrorum ſpatio nihil ſeverius contrà trium illorum Auctorum volumina ſtatuiſſe. Nullam ergo ab illis ſeſe plagam accepiſſe perſenſit. Quid Patres Benedictini Pariſienſes ad D. Germani à Pratis tom. X. oper. S. Auguſtini, pag. 132. de Auctore Commonitorii ſcripſerint, ſemel & iterum intellexiſti. Nullam tamen indè ſibi plagam inflictam Eccleſia exiſtimat. Nullus autem dubito, quin haſce plagas in plagis imaginarii cujuſpiam ſpatii adnotaveris.

ANONYMUS.

,, SAnè quidèm, ſi de Noriſii ſolùm aut alterius cu-
,, juſcumque privati Scriptoris auctoritate hic age-
,, retur, quàm facile eſt ipſius ratiunculas diluere, tam
,, facile foret petitum ab illius exemplo argumentum
,, elevare. At verò poſt ejus librum Romæ authenti-
,, cè approbatum eadem auctoritate, qua de cæteris
,, libris illic ſtatuitur; quotquot ſunt qui huic aucto-
,, ritati refragari nefas putant, non videò qua ratione
,, hæreticis reſponſuri ſint objicientibus Catholicis
,, Eccleſiam plurimos hactenùs aris impoſuiſſe, quos
,, tali honore indignos Roma ipſa hodie fateri neceſ-
,, ſe habeat. Pag. 31.

RESPONSIO.

QUamvis omnis hic ſcrupulus toties tibi evulſus fuit, ſupremam eidem radicitùs extirpando, manum iterùm admovebo. David Bloodellus Catalaunenſis, Calvinianæ ſectæ Miniſter, in tractatu hiſtorico de Primatu in Eccleſiâ, Gallicè ſcripto, pag. 52. edit. 1641. ſect. 6. de Apoſtolicâ Romanâ Sede ſcribens, ait: *Ut nobis obtrudatur judicium ejus tanquam regula fidei, eique ſuprema auctoritas deferatur, adducitur teſtimonium Vincentii Monachi Lirinenſis, quem nobis prætendunt tanquam Sanctum exhibere; quamquam ille-met debeat eò magis haberi abominabilis, quod auſus eſt ſeſe conjicere in partem Semipelagianorum.* Catholici Vincentium & Hilarium Arelatenſem Antiſtitem uti Sanctos venerantur, & cæteros S. Auguſtini in Galliâ adverſarios *eximiæ ſanctitatis* viros appellat Gabriel Vaſquez p. p. diſp. 86. initio capitis ſexti. Utrùm Vincentius reapſe Semipelagianis acceſſerit, varia ſunt inter Catholicos æquè ac inter Heterodoxos judicia, uti oſtendimus. At Hilarium Arelatenſem inter Semipelagianos fuiſſe, affirmante Proſpero, jam eruditi vulgo teſtantur. Enimverò Catholici, quò ſanctitatem cum errore Semipelagiano componant, non unam viam ineunt. Etenim Sirmondus, Raynaudus, Suarez, Labbeus, Thomaſſinus, Antelmius, Cellotius, aliique reponunt, ut jam prænotavi, nondum errorem Semipelagianorum damnatum fuiſſe ab Eccleſiâ, ſed anno demum 530. à Boniſacio II. Romano Pontifice. Nonnulli antè obitum reſipuiſſe, ac ab errore diſceſſiſſe eoſdem putant. Ita ſentiunt Card. Baronius, Sammarthani, Florentinius &c. Tu ab ignorantiâ invincibili excuſationem acceſſis. Eccleſia jubet Hilarium ac Vincentium uti ſanctos coli, quemadmodum coli etiam jubet Cyprianum omnes hæreticos rebaptizantem. At neutiquam jubet, ut unâ, non autem alterâ ratione eorumdem ſanctitas defendatur. Docet Eccleſia Deum habere liberam voluntatem, ac Spiritum ſanctum non eſſe genitum. Verùm modum exponendi indifferentiam divinæ voluntatis, aut rationem qua proceſſio Spiritûs ſancti non ſit generatio, non definit, unde ſcholaſtici diverſis ſanè rationibus utrumque myſterium exponere conantur. Noriſius in ſalvandâ Patrum Gallicanorum ſanctitate ſecutus eſt priorem ſententiam, quæ non tantùm certior, ſed planè eſt apud Scriptores teſtata ac pervulgata. At inquis, Noriſium negaſſe ignorantiam Semipelagianorum fuiſſe invincibilem, quâ ſolâ excuſari poſſunt à crimine. Jam toties dictum eſt, ignorantiam invincibilem perinde eſſe ac vincibilem, quod culpam attinet, ſi ſit ejus, quod ignorans nullâ lege credere tenetur. Hæc ſcribit Angelicus Doctor 2. 2. quæſt. 11. art. 2. ad. 3. *Sic ergo aliqui Doctores videntur diſſenſiſſe vel circa ea, quorum nihil intereſt ad fidem, utrùm ſic vel aliter teneantur; vel etiam in quibuſdam ad fidem pertinentibus, quæ nondum erant per Eccleſiam determinata. Poſtquam autem eſſent auctoritate univerſalis Eccleſiæ determinata, ſi quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus cenſeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter reſidet in ſummo Pontifice.* Quarè cùm conſtet errorem Semipelagianorum A. demum 530. ab Apoſtolicâ Sede damnatum fuiſſe, nullius hæreſis rei cenſeri poſſunt Hilarius, Vincentius, aliique Galliæ Patres, qui antè annos centum in ea opinione fuerunt. Hac planè prævalidâ ratione Blondelli accuſatio refutatur, unàque tui etiam ſcrupuli radicitùs evelluntur.

ANONYMUS.

,, HÆc ſunt videlicet quæ nobis ſcrupulum move-
,, runt. Occurratur hæreticorum calumniæ,
,, avertatur fidelium ſcandalum, & nobis ſatisfactum
,, profitebimur, qui hoc unum quærimus, non ut
,, aliquid durius in Noriſium, ejuſque librum ſta-
,, tuatur, ſed ne ob unius hominis gratiam tot San-
,, ctorum, imò ipſius Eccleſiæ fama illinc damnum
,, ferat, ubi potiſſimum de illâ curari debuit. Pag. 31.

RESPONSIO.

TUis veſtigiis inſiſtam. Scrupulos, qui te moverunt, procul amovi, ne quempiam deinceps commoveant. Occurſum eſt Blondelli aliorumque hæreticorum calumniæ, cui validiores tui ſyllogiſmi nervos addidiſti, quos omnes incidi. Cùm primùm ſilueris, fidelium ſcandalum avertetur. Scandalum eſt, clancularios libellos clandeſtinis typis ſine Superiorum permiſſu procudere. Scandalum eſt, Epiſtolas de rebus Theologicis Italico ſermone ſellulariis, textoribus, cuilibet de plebe legere ſcienti, legendas evulgare. Scandalum eſt, judicio, quodcunque fuerit, Supremæ Romanæ Inquiſitionis non acquieſcere. Scandalum eſt, ipſos Cenſores temerariâ cenſurâ perſtringi. Haud auſim profiteri me tibi ſatisfeciſſe, qui contra veni Noriſii advocatus, cùm tibi neque ſupremi Orthodoxi Orbis in Urbe judices ſatisfecerint. Malo litigatori nullus planè judex facit ſatis. Denique concludis: *Unum quærimus, non ut aliquid durius in Noriſium ejuſque librum ſtatuatur.* Non poſſum non exclamare cum Tertulliano cap. 2. Apologetici: *O ſententiam neceſſitate confuſam! Parcit, & ſævit: diſſimulat, & animadvertit.* Ante ſex circiter ejuſdem pagellæ verſus, conteſtabaris approbato ſemel libro Noriſii, nullam ſupereſſe rationem, qua hæreticis reſpondeatur objicientibus, Romam hodie adſtringi, ad denegandum Divorum cultum illis, quos hactenus aris impoſuerat. At Sanctorum veneratio ſarta tecta ſervanda eſt; ac proinde liber eidem pernicioſus non tantùm infami ſtigmate notandus eſt, verùm etiam ultricibus flammis abſumendus. At ſtatim aſſeris, haud te poſtulare, quidpiam durius in Noriſii librum ſtatui. Eccur quartum contrà eundem judicium poſtulas? Quò collimat poſt ejuſdem examen peractum, inimica tot ſcrupulorum conſtructio? Altiori loco fama Divorum ac Eccleſiæ reſidet, quàm ut ex permiſſâ illius libri lectione augeri poſſit, aut minui.

DIS-

DISSERTATIO IV.

R E S P O N S I O

AD APPENDICEM

Auctoris Scrupulorum.

Quò obligatam in calce proximæ opellæ fidem impleres, mantiſſam adjicis in paragraphos tres diſtinctam, novoſque iterùm ſcrupulos excitas, præfatus, hæreticos non ceſſaturos conſectaria tantoperè ſibi in Noriſiano volumine faventia ingerere, quouſque eadem à Catholicis improbata, ac confutata non videant. Ita eùm ignores, quid tot inſignes Catholici Doctores Noriſio ſimiliter de Commonitorio Vincentii ſcripſerint, contendis divinare quid de eodem ſint in poſterùm hæretici memorati Auctoris libri beneficio ſcripturi. Hoc planè eſt, non videre quæ antè oculos habes, ac augurem prævidere, quæ poſteà hominum conſilia futura ſint. At enim *Hæreticos*, *hæreticos* tam frequenter commemoras, ut odioſo nomine harum rerum ſive imperitis, ſive incurioſis terricula injicias, & eo de nomine ſubinde Noriſium graviori invidiâ oneres, & uti ſperas, etiam opprimas. Cùm tam bellè de ignorantiâ invincibili ratiocineris, tuam ſive in Catholicorum libris, ſive in Heterodoxorum de Commonitorio ſententiis ignorantiam ſuperiori opere demonſtravi, ut verear, ne proximus faſtidio ſim futurus, eadem toties repetendo, quæ ſemel ſat erat vel indicaſſe. Enimverò tibi oſtendi, Lutheranos ſummis præconiis Commonitorium excipere, illos autem hæreticos, qui Traditionem Patrum averſantur, Commonitorio pariter adverſari, eâ cæteras inter ratione, quòd Auctor in Semipelagianis partibus fuerit. At omnes Orthodoxi Commonitorium commendant; non tamen omnes Catholici Auctorem Semipelagiano errore abſolvunt. Noriſius hoc alterum admittens, negat quidpiam auctoritatis eidem detrahi; cùm tu ſeciùs pronunties. Ille ergo eam defendendi Commonitorii rationem iniit, quâ Auctoris errore id temporis eidem innocuo, ſub lite dimiſſo, ſumma ac integra ejuſdem libro auctoritas firmaretur. Equidèm inter Chriſtianos ſcriptores triùm primorum ſæculorum, nullus aut tam ſæpè aut tam validè Traditionem inculcavit, uti Tertullianus, qui ob indulgentiam mœchis reſipiſcentibus à Zephyrino Papa conceſſam, maluit à Catholicâ communione, quàm à rigore acceptæ à majoribus diſciplinæ recedere, ut patet ex capite ultimo libri de Pudicitiâ. Finge, uti ſæpè facis, hæreticos Traditionis hoſtes ita argutari: Tertullianus fuit Montaniſta, ergo nullius eſt auctoritatis, dum Traditionem aſſeruit. Si quod conſequens colligitur, admittis, omnium Catholicorum vocibus refelleris, qui pro Traditione adſtruendâ, inter priores ac præcipuos teſtes Tertullianum producunt. At hoſtes Traditionis objiciunt: Auctor Commonitorii fuit Semipelagianus, ergo Commonitorium nullius auctoritatis cenſendum eſt. Tu hoc enthymemate audito, concedis hæreticos acutè, imò & verè ex illâ priori propoſitione, alteram inferre. Videſis, quid priori enthymemati de Tertulliano cum Catholicis reſpondeas; ac diſce quàm parum legitimum ſit, quod utrobique conſequens obtrudatur. Noriſius ſive inſit, ſive ſecùs, error ille Commonitorio, aurei hujuſce libri auctoritatem contrà hoſtes Traditionis incolumem defendit, quam tu errore ſemel admiſſo, hæreticis prodis, neſcius eandem cum errore componere, unde tanquam certum firmas, quod incertum ac dubium eſt inter Catholicos, nempè num Vincentius Semipelagianis adhæſerit. Tranſis poſteà ad Epiſcopos Galliæ, quorum pleroſque contendis perperam à Noriſio Semipelagianis adjungi. Poſtremò de ignorantiâ eorumdem invincibili litem renovas, & ubique ſcrupulos ſinè fine multiplicas.

§. I.

De Commonitorio Vincentii Lirinenſis.

Haud animum induxi aliâ rurſus apologiâ, quæ in mantiſſam congeſſiſti, refutare, quâ priori ejuſdem parte de Commonitorio Vincentii diſputationem inſtauras. Nam ea Divis reverentia debetur, ut longè melior ſit cauſa ejus, qui eoſdem ab omni errato defendit, quàm illius, qui iiſdem quampiam vel innoxii erroris notam inurit. Hinc, uti rectè ac piè mones, Catholici Doctores quoties in quorundam Patrum libris quidpiam durius effatum offendunt, benignâ interpretatione illorum dicta emollire ſatagunt, niſi ubi nulli probabili expoſitioni locus eſſe videtur. Hujus ergò Patres reverentiæ inſigne exemplum præbuit S. Auguſtinus, qui lib. 1. cont. Jul. cap. 6. objectum ſibi ab hæretico S. Joannis Chryſoſtomi teſtimonium prolixè exponit, & quò ſenſum ejuſdem oſtendat, verba ipſa Græca Latinè reddit, ne Chryſoſtomus Pelagianis faviſſe videretur. Cæterùm uti laudem merentur, qui veterum Patrum dicta benignæ interpretationis beneficio Catholico dogmati conciliare conantur; ita reprehenſioni quàm laudi proximiores ſunt, qui quædam Patrum dicta veluti machinis ac per vim eas in ſententias trahere pertentant à quibus illi longè procul abiere. Noriſius lib. 2. Hiſt. Pel. cap. 11. ſcribit: *Hæc de Commonitorio Vincentii noſtra ſententia eſt, quam Auguſtinianæ doctrinæ cultus, ac veritatis amor invito prorſùs extorſit; non quòd illud volumen è loco honoris, quò nobiles ſcriptores illud evexere, dejectum velim.* Quarè ſi ſe invitum ac penè coactum, ea de Commonitorio ſcripſiſſe ingenuè teſtatur, ſemel id factum ſufficiat. Tacitus lib. 2. Hiſt. narrat Imperatorem Othonem hæc militibus alteram rursùs pugnam poſcentibus, dixiſſe: *Civile bellum à Vitellio cœpit, & ut de principatu certaremus armis, initium illic fuit. Ne pluſquam ſemel certemus, penès me exemplum erit.* Hæc de doctrinâ Vincentii controverſia neutiquam à Noriſio initium habuit. Doctores Lovanienſes, qui anno 1576. omnia volumina S. Auguſtini ad optimorum codicum MSS. fidem exacta, ſummâ cum laude publicarunt, tomo VII. in appendice, Reſponſionibus S. Proſperi ad objectiones Vincentianas hunc titulum, ſive notas præfixere: *Sunt qui arbitrantur Vincentium hunc illum fuiſſe, cujus extat Commonitorium adverſus profanas omnium hæreſeon novitates; certè hoc tempore in Galliis floruit.* Cui ſententiæ ſubſcripſerunt alii inſignes Auctores,

ctores, priuſquàm Noriſii liber evulgaretur, ac rurſus alii poſt ipſum. At tu quò Commonitorium omni Semipelagiani erroris ſuſpicione liberares, contrà Noriſium ſtylum ſtrinxiſti. Ille tamen in præſentia memoratâ ſententiâ reſpondet: *Ne pluſquàm ſemel certemus, penès me exemplum erit.* Et quamvis ad eandem cauſam retractandam, unâ & alterâ opellâ ipſum provoces, ille judicium eruditorum appellat, latâ interim ſiqua fuit, à Romanis Cenſoribus ſententiâ contentus; Ludovicus Molina in Concordiâ quæſt. 14. art. 13. diſp. 41. ac Gabriel Vaſquez in p.p. diſp. 89. cap. 4. & iterùm diſput. 91. numero 44. conati ſunt probare S. Joannem Chryſoſtomum Semipelagianorum errores docuiſſe. Nullus dubito, quin optimè intelligas, quam eminentiori loco Chryſoſtomus ſit ſuprà Vincentium; cùm tamen pro hoc unico vindicando tantum contrà Noriſium ſcrupolorum pulverem excites. Dionyſius Petavius tom. 1. dogm. Theolog. lib. 9. cap. 5. acri contentione Chryſoſtomum à Semipelagianiſmi notâ vindicat, & oppoſita à memoratis Theologis teſtimonia, benignâ expoſitione interpretatur. Idem anteà præſtiterat Baſilius Poncius priori parte Relect. de neceſſitate gratiæ cap. 4. Haud ſanè ille mihi laudandus videretur, qui Molinæ ac Vaſquii ſententiam defendendam ſuſcipiens, adducta quæque à Poncio ac Petavio S. Doctoris teſtimonia in ſiniſtram opinionem detorquere conaretur. Nam quamvis ille veritatis ſtudium fortè prætexeret, non poſſet eas partes implere, quin illuſtriſſimo Eccleſiæ Doctori erroris umbras induceret, quaſi mallens ſanctiſſimum Præſulem erraſſe docendo, quàm homines de illius ſcriptis quidpiam ſiniſtrè judicando.

Noriſius in duobus Commonitorii locis quædam Semipelagianiſmi veſtigia apparere dixit, quibus planè convictus, in eam licèt invitus, ſententiam declinavit. Inſignis ſcriptor Noriſii rationibus diligenter & accuratè perpenſis, ait: *vidi eas eſſe invictas.* Anſelmus pag. 420. laudati operis, eaſdem rationes pronuntiavit *graviores clarioreſque, quàm ut ullius non præoccupati conſenſum non eliciant.* Tu verò pag. 31. eaſdem irriſionis gratiâ *ratiunculas* vocas. At illi ac duobus aliis viſæ ſunt validæ ac convincentes, ita ut eam ſententiam non ſolùm tanquam viriſimiliorem, ſed etiam uti veram eligerent. Qui magnus es ignorantiæ invincibilis aſſertor, profectò affirmabis laudatos Scriptores rationibus illis convictos, ignorantiâ invincibili ita excuſari, ut ea de Commonitorio aſſerentes, ne venialis quidèm culpæ inſimulari poſſint. Num dices, eos majorem, ac judicio de tam inſigni volumine præformando debitam diligentiam omiſiſſe, ac proinde ignorantiâ planè vincibili laboraſſe? Hæc te major diligentia manebat, qui tam aptas, tam legitimas, tamque congruentes interpretationes excogitaſti, ut eximii tui ingenii acumen facilè oſtenderis. Haſce ergo tuas expoſitiones indiſcuſſas dimittens, quaſdam tantùm notulas adjiciam, non ut illas quoquo modo debilitem, ſed ut, ſi fortè opus retractandum ſuſceperis, eaſdem meliori formâ reſtaures.

Priori teſtimonio adducto ex cap. 37. Commonitorii reſpondes, deſcribi ibidem Prædeſtinatianos hæreticos, non autem legitimæ S. Auguſtini doctrinæ ſectatores. Auges hocce reſponſo numerum Criticorum Commonitorii. Nam ſcis hac noſtrâ ætate plerosque viros pereruditos negare ullos id temporis Prædeſtinatianos fuiſſe, ſed eo nomine Auguſtinianæ doctrinæ defenſores à Semipelagianis ignominiæ cauſa appellatos fuiſſe. Ita ſentiunt Lupus, Thomaſſinus, Cabaſſutius, Contenſonus, Piccinardus, aliique plures. Ex his Contenſonus ac Piccinardus Vincentio aliàs faventes, dum verba illa capitis 37. aliter exponi nequeunt; niſi admiſſâ hæreſi Prædeſtinatianâ, cùm hanc ipſi fabulam ac calumniam exiſtimarint, ſi ſuperſtites eſſent, cogerentur tranſire ad Criticos Commonitorii. Synodus Arauſicana ait: *Aliquos verò ad malum divinâ poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam SI SUNT, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Synodus quæ Semipelagianorum errores damnavit, calumniam ab iiſdem de prædeſtinatis ad malum à Deo ab ſe removens, damnat, ſi qui ſint, ejus erroris aſſertores. Non ergo erat Prædeſtinatianorum ſecta eo quinto ſæculo. Prætereà demonſtratum eſt ſolos Semipelagianos ejuſmodi hæreſeos meminiſſe. Noriſii de Prædeſtinatianis ſententiam Viri docti eodem laudato, ſecuti ſunt. Unus inſtar omnium mihi eſt Cardinalis de Aguirre, qui tom. 3. Theolog. diſp. 115. ſect. 3. hoc de argumento diſputans, num. 29. ait: *Moneo me poſt ſcriptam diſſertationem hanc, incidiſſe in opus Henrici Noris de Hæreſi Pelagiana, ubi lib. 2. cap. 15. rem ipſam eruditè admodum tractat, & eandem ferè ſententiam tuetur.* Eccleſiæ Lugdunenſi nono ſæculo in libro adversùs Joannem Erigenam cap. 4. Prædeſtinatianorum hæreſis *tam incognita, tam nova, & inaudita* dicitur. Igitur dubium ex capite illo 37. propoſitum reſponſione magis dubiâ non tollitur, imò potiùs augetur. At dicis pag. 6. *Fac nullum alium ejus rei teſtem occurrere; an non ſatis eſſet, vel ſilentibus aliis, unus hujus Viri auctoritas?* At Synodus Arauſicana dixit, *ſi ſunt*, ut planè neſcierit, an reapſe aliqui eſſent Prædeſtinatiani. Qui eoſdem primitùs memorarunt, fuere Fauſtus, ac Gennadius, Viri Semipelagiani; unde eoſdem etiam deſcribens Auctor Commonitorii, in quam ſuſpicionem veniat, jam vides.

Addis alteram reſponſionem: *Eſto*, inquis, *nullos ejuſmodi hæreticos ætas illa reipſa habuerit: an non potuit Vincentius, falsâ quorundam relatione deceptus, aliquos eſſe bonâ fide credere?* Ridere vetat ſerium, in quo verſamur, argumentum. Ita ubique ad ignorantiam ex bonâ fide tanquam ad ſacram anchoram in tempeſtate confugis. Illi qui id temporis ea propalabant ſive potiùs Auguſtinianæ doctrinæ exprobrabant, erant Semipelagiani, quibus ſi tam facilè fidem Vincentius habebat, jam intelligis, quo loco idem ſteriſſe dicendus ſit. Interim quid ex Commonitorio producas, audiamus.

ANONYMUS.

„ NOs verò contrarium ex his ipſius Commoni-
„ torii verbis poſitivè & apertè demonſtramus: *Quis unquam ante profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum neceſſariam Dei gratiam non putaret &c.* Ecce profitetur Vincentius *ad ſingulos actus in bonis rebus* neceſſariam Dei gratiam eſſe. Hæccine eſt Semipelagiani hominis oratio? Actus quo primùm creditur, vel quo fides poſtulatur, vel quicumque demum actus eſt, quo vita Chriſtiana inchoatur, utique bonus eſt, ſive in bonis rebus &c.) Et ſtatim tibi laudatur *illa tam plana, tam diſerta Catholicæ fidei profeſſio in ejus Commonitorio.* Pag. 8. & 9.

RESPONSIO.

QUod paſſim tibi exprobravi, cogor hic iterùm repetere: nempè te haud conſultis eruditorum Theologorum libris, ad cauſam actitandam acceſſiſſe.

Anni

Anni ſunt centum, ò bone, ex quo magnus Theologus in lectione Patrum verſatiſſimus, & eorum præſertim qui de divina gratiâ ſub Auguſtino magiſtro ſcripſerunt, docuit tantum abeſſe, ut laudata abs te Vincentii ſententia, à Semipelagiani erroris ſuſpicione eundem liberet, ut ea ipſa ſit, ſecus ac arbitrabare, Semipelagiani hominis oratio, communis Semipelagianæ Scholæ phraſis, ac loquendi formula uſitata. Audiſtin' unquam nomen Gabrielis Vaſquez Bellomontani? Quis, inquies, Theologus audit, qui Vaſquii nomen ſummâ cum laude non inaudiverit? Eſt ille Theologorum Societatis facilè princeps, licèt unus Franciſcus Suarez dubium illi facere primatum quibuſdam viſus ſit. Benè. Quandoquidem tam inſignis Theologi nomen tibi notum fateris, ſaxo, ut tibi nota quoque ſit ejuſdem ſententia. Hic in p. p. diſp. 91. cap. 8. num. 43. ſcribit: *Horum Maſſilienſium dux fuit Caſſianus, quem ſecuti ſunt per Galliam Epiſcopi ferè omnes ſuæ ætatis, inter quos, ut quibuſdam placet, fuerunt Vincentius Lirinenſis & Galli permulti.* Hoc anno 1695. Idibus Maii annus centeſimus exiit, ex quo laudati Vaſquii voluminis imprimendi facultas data eſt à P. Franciſco Porres Præfecto provinciæ Toletanæ Societatis Jeſu. Quarè jam antè annos centum apud quoſdam Vincentius Semipelagianiſmi ſuſpicione laborabat, ut planè ridiculum videatur, ob illud ipſum Noriſium veluti gravioris criminis reum tot ſcriptiunculis apud Cenſores in præſentia abs te poſtulari, ſimulque reprehendi, quòd pleroſque Galliæ Epiſcopos dixerit Semipelagianos; cùm *ferè omnes* extitiſſe tales Vaſquius dixerit, nemine ob id illum intrà annos centum in jus vocante. At quorſum iſta, inquies, ad verba Commonitorii? Moram tantiſper feci, ut bini ſcrupuli tibi evellerentur. Jam audies quæ nolles. Nam hæc ibidem Vaſquius proſequitur: *Neque obſtat, quòd Vincentius in libello de hæreſibus cap. 34. contrà Pelagium ſic aſſerit:* Quis unquam antè profanum illum Pelagium tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrii, ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum neceſſariam Dei gratiam non putaret &c. *His enim verbis ſolùm ſentit gratiam neceſſariam eſſe per ſingulos actus ad eos adjuvandos, & promovendos, non ad excitandos, & inchoandos. Nam juxta horum phraſim non eſt idem adjuvare opera noſtra, et inchoare. Ita ipſe dixit gratiam Dei per ſingulos actus eſſe neceſſariam ad adjuvandum, quaſi dicat ad promovendum, id quod Maſſilienſes fatebantur; ſed non conceſſit, eam eſſe neceſſariam ad inchoandum, quod Auguſtinus contendebat.* Vereor, ne cùm primùm iſta intelliges, Vaſquii nomen tanquam Noriſio palàm patrocinantis, ejuraturus ſis; ſiquidèm in alterâ lite, quam de Monachorum Scytharum doctrinâ Noriſio intendiſti, eidem locupletiſſimè ſuffragatur, & hic plures, quàm Noriſius, Epiſcopos Semipelagianos in Galliâ fuiſſe affirmat; & inſuper illa, quæ tibi *tam plana, tam diſerta Catholicæ fidei profeſſio in ejus Commonitorio* aſſeveratur, Vaſquio pura puta Semipelagianorum phraſis adſtruitur.

Quàm verò rectè Vaſquez judicaverit, ex ipſis Semipelagianæ Scholæ anteſignanis oſtendo. Caſſianus Collat. XIII. cap. 9. ait: *Niſi quòd in his omnibus & gratia Dei & libertas noſtri declaratur arbitrii; & quia etiam ſuis interdum motibus homo ad virtutum appetitus poſſit extendi, SEMPER verò indigeat adjuvari.* Quæ S. Proſper contrà eundem Collatorem diſputans, cap. 3. hiſce refellit: *Ipſos tamen laudabiles motus, appetituſque virtutum, remotâ gratiâ Dei, nudæ libertati adſcribis arbitrii: ut boni ſalubreſque conatus nequeant quidèm proficere, niſi Deus adjuvet; poſſint tamen, etiamſi à Deo non inſpirentur, incipere.* Idem Caſſianus cap. 17. ſcribit Deum eſſe protectorem & ſalvatorem: itemque adjutorem & ſuſceptorem. Cùm prior advocat, eſſe protectorem ac ſalvatorem, *in eo autem quod nobis adnitentibus opem ferre* conſuevit, eſſe adjutorem. Quam pariter ſententiam Proſper cap. 18. confutat. Fauſtus lib. 2. de libero arbitrio cap. 10. ait. *Adjutorii itaque ſermo duos indicat, operantem, & cooperantem; petentem, & promittentem; pulſantem, & aperientem; quærentem pariter, & retribuentem. Hoc ſolùm noſtrum eſt, ut qui pro fragilitate idonei non ſumus, ſaltem quærendi, & pulſandi importunitate placeamus.* Ita Deus juxtà Semipelagianos adjuvabat petentes, quærentes, pulſantes viribus arbitrii. Auguſtinus cap. 1. de Prædeſt. Sanct. ſcribit de Maſſilienſibus: *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum Dei gratiâ fateantur, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant.* Videſis, an non eadem omnino colligantur ex laudatâ ſententiâ Commonitorii. At illi adhuc errabant, fidei initium inter illa opera bona neutiquam reponentes, ut tradit cap. 2. Auguſtinus. Hilarius etiam in Epiſtolâ ad S. Doctorem ait, eam eſſe Maſſilienſium opinionem, *ut adjuvetur qui cœperit velle, non ut etiam donetur, ut velit.* Nempè ut adjuvetur qui ſuis viribus quærit, pulſat, petit: non autem adjuvari, ut quærat, pulſet, ac petat; qui error damnatus eſt can. 6. Synodi Arauſicanæ.

Alterum argumentum diſſolvere conaris pag. 9. Verùm omittis id, in quo plures Scriptores vim maximam faciunt; videlicet quòd Auctor Commonitorii ter replicando illam exceptionem, *ſi ita res eſt*, delationem Proſperi & Hilarii falſitatis inſimulare videatur. Cùm Benedictus III. in Epiſtolâ, qua depoſitionem quorundam Clericorum Hincmaro Remenſe inſtante, approbabat, poſuiſſet clauſulam, *ſi ita eſt*; quam, ut relationem in dubium vocantem, cùm Hincmarus eraſiſſet, hic acriter ob eam mutilationem reprehenſus fuit à S. Nicolao Papa in Epiſtolâ ad Synodum Sueſſionenſem, quæ legitur tom. VIII. Concil. edit. ult. pag. 846. Et pag. 1916. Hincmarus Nicolao Papæ ſcribens, ait: *Nam ſi inde, quod ibi eſt poſitum*, ſi ita eſt, *eraſiſſem &c.* Nam reapſe illâ clauſulâ, id eſt, falsâ relatione ſuppoſitâ, approbatio Pontificia irritabatur. Ita Auctor Commonitorii toties repetens eam clauſulam, *ſi ita res eſt*, delationem Proſperi falſitatis arguere videtur. Præterea cùm Cœleſtinus Papa ſcribat, Proſperum & Hilarium ſibi ſignificaſſe *tantùm neſcio quibus Presbyteris illic licere*; Auctor Commonitorii per paraphraſin ſcribit: *Ut apud me quidam Urbes & Provincias veſtras criminantur*, ut Proſperum & Hilarium, qui quoſdam tantùm Presbyteros accuſaverant, Urbes ac Provincias criminatos fuiſſe ſignificaret. Hæc quoque omittis in reſponſione ad illud argumentum. At de hac paraphraſi inferiùs ſermo redibit.

Addis pag. 11. *At enim rursùs quæro quo teſte, quo argumento, quo indicio talem interpretandi impudentiam, atque abſurditatem Vincentio attribuat Noriſius?* Quæris quo teſte? Jam teſtes ejus rei locupletiſſimos tibi oſtendi apud Bibliopolas Pariſienſes, nempè Fraſſenium, Antelmium, Patres Benedictinos, duoſque alios, omnes Gallos, quorum libri Pariſiis editi ſunt. Audiſti quid etiam ſcripſerit Chriſtianus Lupus Doctor ac regius profeſſor Lovanienſis. Suntne tibi ſex iſti Scriptores fungi aut cucurbitæ? Horum quatuor adhuc ſuperſtites, non Noriſii, ſed ſua ipſorum dicta multâ, qua pollent, eruditione defendent,

tuaſque tibi voces reddent. Et illi quidèm non impudentiam, non abſurditatem, non denique ſtultitiam, quæ ad invidiam conflandam nomina addenſas, ſed artem Auctoris notarunt. Rursùs repetis verba ex cap. 34. Commonitorii exclamans: *En ut Vincentio ac Cœleſtino vetuſtas erat, gratiam dicere ad ſingulos actus bonos neceſſariam.*

Tertii argumenti ſolutionem à pag. 12. moliris; ſed quis fateris, Noriſium nullam in eo vim facere, nec ipſe ulla de tuo reſponſo verba faciam. Denique concludis:

A N O N Y M U S.

„ HÆc igitur loca ſunt ex quibus, *niſi oculos nobis*
„ *eruamus*, palàm ſe facturum ſpondebat No-
„ riſius, Auctorem Commonitorii Semipelagianum,
„ ejuſque opus hæreticum eſſe. Veſtrum ſit judici-
„ um, Cenſores doctiſſimi, utrùm fidem Noriſius
„ præſtiterit; utrùm hæc tanti forent ponderis, ut
„ propterea non modò Baronium, ſed omnes ferè
„ ſcriptores Orthodoxos impugnare debuerit, ac
„ hæreticorum partes contrà Vincentii Lirinenſis
„ Commonitorium, imò contrà Eccleſiam Catho-
„ licam ſuſcipere. Pag. 13.

R E S P O N S I O.

ILla verba, *niſi oculos nobis eruamus*, emphatica ſunt, quibus ille claras ac manifeſtas eam in rem rationes ſe adducturum ſpopondit, quas cùm Viri eruditi in Galliâ accurato examine expendiſſent, *invictas*, *graviores, clarioreſque* dixerunt. Uti varia ſunt ingenia, idem argumentum his prævalidum, illis enerve ac debile reputatur. Probabiliſtæ demonſtrationes pro ſuâ ſententiâ jactabant, quas alii poſteà ſophiſmata, ac ſyllogiſmos ex quatuor, ut inquiunt, terminis conſtantes oſtenderunt. Quæ tibi plana ac diſerta Catholicæ fidei profeſſio in cap. 34. Commonitorii dicitur, Vaſquio Semipelagianæ ſcholæ doctrina cenſetur. Nuſquam Noriſius Commonitorium *hæreticum* dixit. In nonnullis veterum Patrum libris damnata Chiliaſtarum opinio legitur, nec proinde illorum libri ſunt hæretici. Nuſquam ille Baronium aut alios Orthodoxos impugnavit, contrà quos hac de causâ non diſputavit, nec ullum illorum argumentum diſſolvit. S. Auguſtinus in diſtinguendis diebus creationis mundi, diverſam ab aliis ſententiam ſecutus eſt. Ergone dices alios ab Auguſtino impugnatos fuiſſe? Rursùs more tuo hæreticos advocas, ut Noriſium in invidiam ac crimen trahas. Jam didiciſti Proteſtantes librum Vincentii *eximium*, *aureum*, *aureolum*, *divinum* nuncupare; ac ſolummodò Traditionis hoſtes eidem detrahere, ſed illius auctoritati nihil diminui, etiamſi Auctor in Semipelagianis partibus fuerit. Et ne procul ab illorum ſcholâ exemplum arceſſam, nonne Caſſianus ſeptem libros de Incarnatione Dominicâ, contrà Neſtorium ſcripſit, qui tamen fuit Semipelagianorum magiſter? Quid ſi alicubi non ex profeſſo, ſed obiter aliqua Semipelagianorum ſententiola illi excidiſſet, invicta illa argumenta vim omnem contrà Neſtorianos amiſiſſe dicerentur? Sed cùm ſuperiùs omnis hæc accuſatio confuſa ſit, ad alteram gradum facio.

§. II.

Quid de Epiſcopis Semipelagianis in Galliâ ſentiendum.

VErùm de aucto Semipelagianorum numero in Galliâ, Noriſio litem intendis, indignatus eundem ſcripſiſſe, plures ibidem Epiſcopos illorum errori adhæſiſſe. Ex Epiſtolâ Proſperi ad Auguſtinum contendis, errorem illum vel in ſolâ Maſſilienſi urbe, vel in anguſto fortaſſis Provinciæ tractu invaluiſſe, ac proinde perperam per univerſam Galliam diffundi. Proſperi Epiſtolam appellas? Audin' quid ille de Semipelagianis dicat: *Multum nos vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotii honore, ſupereminent.* Hæc ille ſcribebat anno 428. At id temporis *ſacerdotis*, ac *ſacerdotii* nominibus Epiſcopus ac Epiſcopatus deſignabantur. Unum ex innumeris Paulinum audias in Epiſtola inter Auguſtinianas 36. ad Romanianum de Valerio Epiſcopo ſcribentem: *ut quem ſucceſſorem ſacerdotii ſui ſimpliciter optabat, hunc mereretur habere collegam*, cùm Auguſtinus coadjutor Epiſcopus ordinatus fuit. Itaque jam ſub initium Semipelagianiſmi aliqui errore occupati, Epiſcopales cathedras aſcenderant. Cùm anno 430. S. Auguſtinus ad ſuperos abiiſſet, ac Semipelagiani acriùs in dies S. Doctoris de divinâ gratiam doctrinam carperent, ac ejuſdem defenſores tanquam errorum magiſtros traducerent, Proſper ac Hilarius rem ex integro ad Cœleſtinum Papam detulerunt, qui de ſui, dum in vivis erat, amiciſſimi Auguſtini honore ſolicitus, data ad Epiſcopos Galliæ Epiſtola, ſancti Doctoris adverſarios increpuit. Hæc ille ſcribit: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius &c. tantùm neſcio quibus Presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adverſantia veritati.* Itaque Proſper & Hilarius conqueſti fuerant, ſe uti hæreticæ doctrinæ profeſſores à quibuſdam Gallicanis Presbyteris inſimulari, quibuſcum non raro de divinâ gratiâ diſputabant. Nullos illi Epiſcopos apud Cœleſtinum accuſarunt; quia licèt quidam eorundem cum Semipelagianis ſentirent, Proſperum tamen ac Hilarium nunquam veluti hæreticos traducebant, cùm illis ſeſe diſputationibus haud immiſcerent. Proſper verò habitas abs ſe cum adverſariis diſputationes narrat in laudatâ Epiſtolâ §. *Et cum contrà eos &c.*

Mortuo anno 432. Cœleſtino Romano Pontifice, ac ſedente Sixto Semipelagianorum numerus latiùs per Galliam auctus fuit. Nam S. Proſper de iiſdem initio libri contrà Collatorem ſcribens ait: *Non ergo negligendum eſt hoc malum, quod ab occultis praviſque ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo latiùs longiùſque diſtenditur;* Quibus verbis erroneam illorum doctrinam latiùs per Galliam propagatam teſtatur. Num putas, *de unâ urbe vel de anguſto fortaſsè Provinciæ tractu*, ea intelligenda eſſe? Antè ſexennium cùm Proſper ac Hilarius ſuas ſinguli ad Auguſtinum Epiſtolas ſcripſere, eidem ſignificarunt quæ *Maſſiliæ vel aliis etiam locis in Galliâ* Auguſtinianis libris objiciebantur. At cùm poſt ſexennium Proſper Caſſianum confutandum ſuſcepiſſet, error ille quotidie auctus, ac ab ortu ſuo, id eſt, ex Maſſilienſi urbe, LATIUS LONGIUSQUE propagatus eidem dicitur. Haud hìc conſulendi ſunt Geographi, ut lineas longitudinis ac latitudinis deſignent, ac certos in Galliâ terminos indicent, definiant, circumſcribant, intrà quos Semipelagianorum factio concluſa, nunquam ulteriùs exundaverit. Cicero in oratione pro Cornelio Balbo exclamabat: *O Cn. Pompeii ſic longè latèque diffuſa laus, ut ejus gloriæ domicilium communis imperii finibus terminetur.* At Proſper non *latè longèque*, ſed *latiùs longiùſque* dixit extenſum Semipelagianiſmum, quem tu intrà Maſſilienſes muros, aut anguſtum fortaſsè Provinciæ tractum coarctaſti. Ita Judex de finibus regundis, non audes certos limites deſignare,

ſed

Digitized by Google

ſed anguſtum tractum dicis; de quo etiam dubitas, ſiquidem ais; vel *de anguſto fortaſſè Provinciæ tractu.* Cùm nec ipſe ſim te melior agrimenſor, petitiores, quæſo, conſulamus.

Adeſt oppidò ex ipſâ Galliâ Dionyſius Petavius in doctrinâ Patrum verſatiſſimus, inſignis Theologus, ſummus idem Hiſtoricus, Geographus, Chronologus, Aſtronomus, ut ex ejuſdem prægrandi utroque de doctrinâ Temporum volumine intelligimus. Is, quod ad noſtrum inſtitutum facit, tom. 3. Dogm. Theol. in tractatu de Pelagianâ ac Semipelagianâ hæreſi cap. 7. num. 1. pag. 621. ſcribit, viſum fuiſſe S. Auguſtinum ita totum dare gratiæ, ut parum libero arbitrio relinqueret: *Quæ res*, inquit, *haud levem apud Catholicos & pios ejus nomini conflavit invidiam, præſertim Gallicanos Epiſcopos & Presbyteros in Lugdunenſi, & Arelatenſi provincia, velut Maſſiliæ, ubi tum eruditione & ſanctitate florebat Caſſianus &c. Illi ergo Auguſtinum tacitè vellicabant, quòd Pelagiani erroris odio in extremum alterum evectus, pluſculum gratiæ & Dei auxilio tribuiſſet.* Habes hìc Epiſcopos ac Presbyteros Semipelagianos non ſolùm in provinciâ Arelatenſi, in qua Maſſilia cenſebatur, ſed in proximâ etiam Lugdunenſi, quæ id temporis latiſſimè per Galliam extendebatur. Theophilus Raynaudus in Apologiâ pro Valeriano Cemelenenſi cap. 3. ſcribit: *Erunt ergo qui exiſtiment eam maculam* Semipelagianiſmi *eſſe in Valeriano minorem, quòd Valerianus eo ævo vixerit, eaque in regione, cujus plerique omnes Præſules & viri ſanctitate ac eruditione præſtantes ad eundem ſcopulum naufragantes de initio fidei ex humanæ voluntatis aliquo per ſe ipſam niſu &c. à Divo Auguſtino impunè diſſidebant.* At Cemelenum erat urbs Vediantiorum in provinciâ Alpium maritimarum, cujus Metropolis in notitiâ Imperii Ebredunum dicitur. Cùm temet inſcribas Doctorem Sorbonicum, poteris è proximo conſulere ſocium itidem Sorbonicum, eumque interrogare de doctrinâ Hilarii Arelatenſis, & num Epiſcopi ac ferè totus Clerus provinciarum Viennenſis ac Narbonenſis Semipelagianorum placitis adhæſerint. Si te fortè ad ſuam BIBLIOTECAM remittere velit, repones, nolle te, bonâ ejus veniâ, ad libros amandari, ſed malle præſentem à præſenti vivâ voce pleniſſimè inſtrui, ac doceri.

Gennadius homo Semipelagianus, in libro de Scriptor. Eccleſ. ubi de Proſpero, ait: *Legi & librum adversùs opuſcula ſub perſonâ Caſſiani, quæ Eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nociva.* Attendas, quæſo. Sanctus Proſper decimam tertiam ex quatuor ac viginti Collationibus Caſſiani impugnavit, demonſtrans duodecim propoſitiones Pelagianæ hæreſi conformes in eadem à Caſſiano tradi. Hæc aſſerta, ait Gennadius, *Eccleſia Dei ſalutaria probat.* Quænam erat iſthæc Eccleſia? Profectò non erat Eccleſia Romana, quæ nunquam dogmata Semipelagiana veluti ſalutaria probavit; imò tanquam noxia damnavit, rejectis inter apocryphos libros opuſculis Caſſiani, ac probatis libris S. Proſperi in Synodo, utì vulgò dicunt, Romanâ, Gelaſio ſummo Pontifice. Quænam ergo, & ubinam gentium erat hæc Eccleſia Dei probans *ſalutaria* Caſſiani dogmata à Proſpero *infamata*, tanquam *nociva*? Age, dic nobis, quænam & ubinam fuerit hæc Eccleſia? Erat, inquies, Eccleſia Maſſilienſis, ac paucæ aliæ in anguſto fortaſſè Provinciæ tractu. Erras, Amice, erras. Unica veluti Municipalis Eccleſia non reddit ſuâ approbatione quampiam doctrinam ſalutarem, ſed plures ſeu plurimæ Eccleſiæ quinque provinciarum Galliæ, videlicet Lugdunenſis, Arelatenſis, Narbonenſis, Viennenſis, ac Alpium maritimarum, poterant quandam ſalutaris doctrinæ ſpeciem doctrinæ Caſſiani circumponere, priuſquàm quidquam de eadem Romana Eccleſia ſtatueret. Bonifacius II. approbans Synodum Arauſicanam, errores Semipelagianorum hæreſeos damnavit, rem curante S. Cæſario Arelatenſi, qui eam Synodum celebraverat. Vetuſti Annales Lirinenſes in libello de vita S. Cæſarii hæc produnt: *Nam bonæ memoriæ Bonifacius Romanæ Eccleſiæ Papa, eadem colluctatione cognitâ, calcatâ intentione jurgantium, proſecutionem S. Cæſarii Apoſtolicâ auctoritate firmavit. Ita donante Chriſto paulatim* (arrige aures) *Eccleſiarum Antiſtites receperunt, quod optaverat Diabolus repentinâ animoſitate caſſare.* Nam Epiſcopi Semipelagiani, ut ibidem narratur, Valentiæ coactâ Synodo, decreta Concilii Arauſicani repudiaverant, quos S. Cæſarius miſſo ad eoſdem Cypriano Epiſcopo Tolonenſi, ad bonam frugem, ſeu rectum dogma reduxit. Valentia erat intrà provinciam Viennenſem, in qua Semipelagianorum Epiſcoporum Synodum coactam intelligens, anguſtum illum Provinciæ tractum cum Proſpero *latiùs longiùſque* extendere cogeris, ac Semipelagianos ex municipalibus facere provinciales, etiam velis, nolis, extra Provinciam. Quid ea ſignificant. *Paulatim Eccleſiarum Antiſtites receperunt, quod optaverat Diabolus repentinâ animoſitate caſſare?* nempè receperunt doctrinam Synodi Arauſicanæ, & eam quidèm *paulatim.* Non ergo eam *Eccleſiarum Antiſtites* anteà tenebant. Hoc eſt conſectarium quod longè meliùs ex antecedentibus deducitur, quàm illæ tuæ *conſequentiæ*, quas tam ſæpè hæreticì tuo ore contrà Noriſium eructant. Enimverò quam illi Antiſtites doctrinam ſequebantur, cùm definitam à Synodo Arauſicanâ recipere recuſarent? In aurem tibi inſuſurrabo: Semipelagianam. At, inquies, erant pauci Antiſtites eo errore detenti; Noriſius verò affirmat eos plures fuiſſe. Non ſtudui Arithmeticæ, qua poſſem exactè calculos ſubducere. Petavius qui in libro XIII. de doctrinâ Temporum, totus eſt Arithmeticus, ſcribit Epiſcopos Semipelagianos fuiſſe in provinciâ Arelatenſi & Lugdunenſi. Numerum non deſignavit. Finge paucos utrobique fuiſſe quos ſi jungas aliis paucis ex provinciâ Viennenſi, ac cum quibuſdam in provinciâ Narbonenſi, itemque cum nonnullis in Alpibus maritimis, conflabis *plures*; cùm totum quantitatis diſcretæ, utì dicitis, ſit plus quàm ſingulæ diviſim partes, ex quibus componitur. Jam audiviſti Theophilum Raynaudum, cui Semipelagiani in eâ Galliæ regione dicuntur *plerique omnes Præſules*, Atticâ elocutione, utì & Terentius initio Andriæ V. 28. dixit: *Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli.*

Hac planè ratione, & accuratiori diligentiâ utì par eſt eum, qui antiquioris ætatis res temporum injuriâ vetuſtis quibuſque libris deperditis, in bono lumine collocare contendit; non autem quemadmodum tu inaniter facis, ex ingenio argumentando, ac ſi in ſcholâ ſyllogizares. Hìc pagellas 16. 17. 18. prolixo ac operoſo argumento imples, cujus ſummarium eſt. Proſper & Hilarius Semipelagianos apud Cœleſtinum Papam accuſantes, neminem eidem Epiſcopum detulerunt; cùm illos, ſi qui tales fuiſſent, præ cæteris Pontifici prodere debuiſſent. Rursùs Cœleſtinus in Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ ſcribit: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius &c. tantum neſcio quibus Presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant, prædicare adverſantia veritati.* Cùm ergo Pontifex quoſ-

dam

Digitized by Google

dam tantùm Presbyteros ibidem arguat, nulli Epiſcopi in Galliâ Semipelagiano errori adhærebant. Et tùm Hilarium Arelatenſem in inſcriptione Epiſtolæ nullatenùs nominet, is injuriâ à Noriſio inter præcipuos Semipelagianæ factionis patronos recenſetur. Hæc tota eſt argumenti tui hiſtoria, ſivè hiſtorica argumentatio.

Jam ſuperiùs prænotabam, *Proſperum* ac Hilarium ſolos Presbyteros detuliſſe, quòd ab his ſolis tanquam hæreticæ doctrinæ aſſertores paſſim traducebantur, quam illis calumniam Epiſcopi nullatenùs importabant, quamvis aliqui etiam Præſules Semipelagianorum placita comprobarent. Nam Proſper Romam venit, ut tum doctrinam nomenque S. Auguſtini, tum etiam ſe ipſum ab impacto hæreſeos crimine, Apoſtolicæ Sedis decreto defenderet, non ut Epiſcopos, imò nec ut adverſarios ipſos erroneæ ac noxiæ doctrinæ accuſaret; quamvis Pontifex illorum ſententias utpotè Auguſtinianis aſſertis contrarias, utì à veritate aberrantes, illis verbis perſtrinxerit: *Sciant omnes qui malè docent, quòd ſibi magis diſcere competat, quàm docere.* In inſcriptione autem Epiſtolæ Cœlaſtini ſex tantùm Epiſcopi nominatim recitantur, quos inter priori loco Venerius Epiſcopus Maſſilienſis legitur, quòd Caſſianus cum collegis Presbyteris Maſſilienſibus Auguſtinianam de divinâ gratiâ doctrinam cæteris ardentiùs oppugnabat; undè Semipelagiani vulgò etiam *Maſſilienſes* ab Scholaſticis nuncupantur.

Priuſquàm à Cœleſtini *Papæ* Epiſtolâ aliò divertam, quædam tibi ex cap. 34. Commonitorii Vincentii Lirinenſis obſervanda propono. Ille ejus Epiſtolæ paraphraſtem agens; *Deſinat*, inquit, *ſi ita res eſt, ut apud me quidam urbes, & provincias veſtras criminantur, quòd eas quibuſdam novitatibus conſentire noxia ſimulatione faciatis &c.* Proſper & Hilarius *neſcio quos Presbyteros* apud Cœleſtinum detulerant, ſibi noxiæ doctrinæ notam inurentes. Si vera eſt Vincentii paraphraſis, falsò abs te dicitur ſcriptum *de unâ urbe, vel de anguſto fortaſsè Provinciæ tractu*; ſiquidem Vincentius numero plurali uſus, *urbes & provincias* Galliæ nominat. Sin verò falſa ille narravit, ut Proſperum & Hilarium urbium ac provinciarum criminatores deſignans, eoſdem in invidiam ubique in provinciis Galliæ traheret, firmatur argumentum Noriſii, quod conſultò omiſiſti, quia optimè animadvertebas unam urbem, & anguſtum provinciæ tractum non poſſe dici urbes & provincias. Si reapſe Proſper & Hilarius Cœleſtino denuntiarunt, urbes & provincias Galliæ noxiis Semipelagianorum novitatibus Epiſcoporum negligentiâ, conſentire; profectò jam intelligis illorum errorem ex Maſſilienſi urbe in proximas Galliæ provincias *latiùs longiùſque* diffuſum. Sin autem nihil ejuſmodi Proſper & Hilarius ſummo Pontifici ſignificarunt, jam perſpicis, in quorum partibus Vincentius ea verba ſcribens, extiterit.

Tranſis pag. 18. ad Hilarium Arelatenſem, ac dicis ſcire te *quid Noriſius in ſanctiſſimum Antiſtitem commentatus fuit, ut Semipelagianum faceret:* addiſque ab aliis ejuſdem objectiones ſolidè confutatas fuiſſe, ac ex S. Cœleſtini ſilentio illas etiam difflari. Sanctus Proſper & eruditi quique ex eodem, Hilarium Arelatenſem in Maſſilienſium ordinem tranſcribunt. Proſper in Epiſtolâ ad Auguſtinum, deſcriptis Semipelagianorum placitis, ait: *Nam unum eorum præcipuè auctoritatis virum S. Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ; & de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre.* Hæc ipſa eodem tempore Hilarius ad S. Doctorem ſcribens, Hilarii Antiſtitis nomen maluit ſubticere: *Sed planè illud*, inquit, *tacere non debeo, quod ſe dicant tuam Sanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.* Potuitne, ſi ſapere volumus, clariùs cum Semipelagianis Hilarius numerari à Proſpero, dum *unus* EORUM dicitur? Neuſser pag. 50. Prodromi Velitaris num. 6. ait, Hilarium dici unum eorum, qui à S. Auguſtini ſententiâ de prædeſtinatione ad gloriam ante prævisa merita diſcedebant, quæ ſententia etiamnum à pluribus Saholaſticis defenditur. Hæc ſcribitis, quia S. Doctoris libros aut rarò aut ſaltuatim legere conſueſcitis. Auguſtinus Epiſtolis Proſperi & Hilarii non binas literas, ſed binos libros repoſuit, unum de prædeſtinatione Sanctorum, alterum de dono perſeverantiæ, in quibus ſigillatim reſpondet iis omnibus, quæ ſibi in duabus illis Epiſtolis proponuntur. At enim in cap. 21. de dono perſever. reſpondens ad ea, quæ ſibi de Hilario Arelatenſi ſignificabantur, ais: *Videant tamen ii, quibus amantibus me ingratus eſſe non debeo, qui præter hoc quod in quæſtionem venit, omnia mea, ſicut ſcribitis, ſe profitentur amplecti: videant, inquam, utrùm in primi libri poſterioribus partibus &c. remanſerit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari: & utrùm ibi non ſatis egerim, etiam initium fidei eſſe donum Dei.* Addit ex dictis ibidem colligi, perſevarantiam eſſe ſpeciale donum Dei. Ex his patet S. Auguſtinum illud quod in quærelam ab Hilario Arelatanſi ejus aliàs admiratore trahebatur, fuiſſe placitum de initio fidei, ac gratiâ omnes bonos actus etiam tantummodò inchoatos antecedante, in quo Semipelagiani aberrabant. Vos audetis negare Hilarium Arelatenſem cùm Semipelagianis quod attinet initium fidei ex nobis ſenſiſſe, cum illum *unum eorum* fuiſſe Proſper tam clarè ac tam diſertè teſtetur, idemque Auguſtinus affirmet. Vos ob Hilarium in Semipelagianos à Noriſio relatum, hunc repetitis accuſationibus impetitis, ac veluti hagiomachum apud judices inſequimini, cùm inſignes Scriptores ante Noriſium idem de Hilario judicium tulerint. Lucas Holſtenius vir ſacræ ac profanæ eruditionis peritiſſimus, in Animadverſis ad Martyrologium Romanum ad diem 5. Maij, ait, *Fuit diverſus ille Hilarius ab Arelatenſi Epiſcopo: Nam Arelatenſis Maſſilienſibus favebat contrà Auguſtinum.* Et paulò inferiùs: *Hilarium autem Arelatenſem Semipelagianos aliquando contrà S. Auguſtinum foviſſe, evidentiſſimè probat Auctor Antiq. Eccleſ. Britann. pag. 345.* Editus fuit Holſtenii liber Romæ Anno 1663. nempè decennio ante Hiſtoriam Pelagianam Noriſii. Franciſcus Maria Florentinius in eruditis notis ad Martyrologium ſub die 5. Maji, advertit eundem Hilarium in Semipelagianorum factione reaitari, addens: *Non inde neceſſario infertur in iiſdem dubiis fortaſsè ab Auguſtino ſolutis, permanſiſſe, & Semipelagianis de cætero faviſſe.* Sirmondus in notis poſthumis ad Epiſt. 2. Cœlaſtini tom. II. Conc. edit. Labbeanæ pag. 1818. arguit eos qui Hilarium Epiſcopum confundunt cum Hilario, qui de Semipelagianorum ſententiis ad Auguſtinum ſcripſit: *Non animadvertentes ſcilicet Epiſtolam illam, quæ tota eſt pro defenſione S. Auguſtini, congruere Hilario Arelatenſi non poſſe, qui Auguſtini doctrinam, ut Proſper in Epiſtolâ ſuâ teſtatur, cùm in cæteris ſuſpiceret, hac in parte non probabat.* Theophilus Raynaudus in opere de bonis ac malis libris num. 581. pag. 326. ait: *Undè diſcimus Hilarium Arelatenſem, aliaſque Gallicanos Epiſcopos ac Doctores in libros Augu-*

ſtini

Digitized by Google

ſtrinxiſſe cenſuram, quos Cœleſtinus I. Epiſtolâ ad Epiſcopos Galliæ ſeverè & fortiter compeſcuit &c. Ludovicus Thomaſſinus Diſſert. 13. in Synodos num. 30. ſcribit: *Ergo ſi de Hilario Arelatenſium Epiſcopo, ſi de Vincentio, ſi de Caſſiano, de Gennadio, &c.* Ita Hilarium priori loco inter Semipelagianos, de quibus ibidem loquitur, recenſet. Sammarthani fratres tom. 1. Galliæ Chriſtianæ pag. 36. narrant Proſperum ſcribere ad Auguſtinum, *Hilarium Arelatenſem tunc fuiſſe Epiſcopum, & ipſius doctrinæ contrarium.* Et recitato Proſperi teſtimonio, *imò patet*, inquiunt, *ex literâ Proſperi, quòd Hilarius Antiſtes faveret Semipelagianis.* Hæc viri eruditiſſimi antè Noriſium de Hilario Arelatenſi teſtati ſunt.

Hìc more ſolito non dicam ad faſtidium, ſed ad riſum tuos hæreticos in ſcenam deducis, qui abs te inſtructi, ex Noriſii ſententiâ grande malum contrà Divos eructent. Nam cùm auctor noſter ſcribat turpe videri aſſerere ſanctos Monachos è monaſterio Lirinenſi ad Epiſcopatum evectos, videlicet Honoratum Arelatenſem, Maximum Rejenſem, ac Lupum Trecenſem, Semipelagiano errore detentos fuiſſe: Tu contra objicis.

ANONYMUS.

„ QUandiu Lirinenſe Monaſterium velut alte-
„ ram Semipelagianiſmi arcem inſimulabit,
„ tandiu ex Noriſio probabunt hæretici nullos eſſe,
„ qui minus quàm tres iſti, ab illo errore vindicari
„ poſſint. Addent ipſum rationi, qua hos alicubi exi-
„ mere viſus eſt, paulò poſt derogaſſe: & quamvis ſic
„ loquatur pugnantia, haud tamen ab eo refelli, quæ
„ tam aſſeveranter, tantaque contentione de Lirinen-
„ ſium Semipelagianiſmo aſſeruit. His verò ſtantibus
„ ea pariter firma conſiſtere, quæ ipſi ex ejus aſſertio-
„ nibus concludunt. Hanc hæreticorum reſponſio-
„ nem non video quî refellere poſſet Noriſius. Pag. 20.

RESPONSIO.

CUm Caſſiani Collationes, & has inter decima tertia ubique Semipelagianis erroribus aſperſa, à Lirinenſibus, quibus ea Collatio nuncupata fuerat, legerentur, quibuſdam illorum Monachorum doctrina illa erronea illuſit. Joannes Garnerius, qui de rebus Pelagianorum accuratè ſcripſit, in Diſſert. 1. de Auct. ejuſdem Hæreſis pag. 150. notarum in Marium Mercatorem ait: *Denique ſiqua Pelagiani erroris fuligo Lirinenſibus adhæſit*, UT ADHÆSIT SANE, *ea certè non ex Juliani, ſed ex Caſſiani Societate, & multis quidem antè annis, ut ex Commonitorio Vincentii colligitur.* An non ipſiſſima Noriſius de Lirinenſibus, deque Commonitorio Vincentii in literas miſit? Chriſtianus Lupus Auguſtinianus immenſæ lectionis vir, tom. IV. in Synodos, in notis ad Can. 22. Dictatus S. Gregorii Papæ VII. ait: *S. Auguſtini de divina gratiæ ac prædeſtinationis efficaria doctrinam Sulpicius Severus, Lirinenſis Vincentius, aliique olim Gallorum Clerici & Monachi oderant peſſimè &c.* Joſeph Antelmius Canonicus Forojulienſis, in cujus urbis diœceſi Lirinenſes cenſebantur, hæc pag. 127. laudati aliàs voluminis ſcribit: *Fauſtus, Valerianus, aliique valentiſſimi Maſſilienſium aſſeclæ defenſoreſque, dignitate aucti, & ex ſpectabilibus Monachis, Abbates, mox ex Abbatibus Præſules creati &c.* Ita Lupus ac Antelmius Semipelaganiſmum in alia à Lirinenſi monaſteria inducunt, quem Noriſius ad paucos unius Lirinenſis inſulæ Monachos reſtrinxit. Lupus Severum Sulpitium Monachum inſignem: Antelmius verò Valerianum Cemelenenſem etiam poſt validam Raynaudi apologiam, inter Semipelagianos recenſent, quorum neutrum Noriſius nominavit. Hilarius antequam ſedem Arelatenſem indipiſceretur, Vincentius, ac Fauſtus Abbas, Semipelagianis partibus addicti, Monaſterium Lirinenſe incoluere. Hos partim ex Proſperi Epiſtolâ, partim ex illorummet ſcriptis Noriſius tot aliis ſibi ſuffragantibus teſtibus, Semipelagianæ factioni ſtuduiſſe pronuntiavit. At unà ſimul fuere in eodem Monaſterio Honoratus Abbas, Maximus, ac Lupus. Noriſius de iiſdem ſcribit: *Turpe eſt enim ſanctos illos viros, quorum errata nullo certo teſtimonio conſtant, in depravatæ ſententiæ ſuſpicionem vocare.* Quid ex his Noriſii verbis, hæretici opponere poſſunt? Quæ in illius dictis antilogia? Ille dixit turpe eſſe, non quidèm illos tres Viros ſanctiſſimos cum Semipelagianis ſenſiſſe; ſed turpe eſſe hiſtorico ſinè teſte, ſinè vetuſtis tabulis, Viris Sanctis nominatim illum errorem impingere. At inquis, nulla etiam extant ſcripta tot aliorum Galliæ Epiſcoporum, quos tamen Noriſius facit Semipelagianos. Rem intellige. Putaſne tres illos tantùm Hilarium, Vincentium, ac Fauſtum in Lirinenſi familiâ Semipelagianos à laudatis auctoribus reputatos, ita ut cæteri Monachi Auguſtinianam doctrinam ſecuti iiſdem credantur? Equidèm plures, vel ne tibi moleſtior ſim, aliquot alii fuere, quos tamen turpe eſt hiſtorico nominatim ſinè teſte deſignare. Ita pariter præter Hilarium Arelatenſem, ac Fauſtum Rejenſem, alios Epiſcopos in Galliâ in Semipelagianorum partibus fuiſſe ex Proſpero, Gennadio, Bonifacii Papæ Epiſtolâ, ac tot inſignium Scriptorum teſtimoniis demonſtravi. Neminem tamen illorum poſſumus ex arbitrio, ſinè teſte, nominatim indicare. Scimus Epiſcopos Orientales, alioſque Neſtorii partes foviſſe. Theodoſius Imperator Canonum Eccleſiaſticorum executor, emiſsâ ſacrâ, quæ legitur par. 3. Synodi Epheſinæ cap. 47. juſſit Epiſcopos obſtinatè Neſtorio adhærentes è ſacris ſedibus expelli. Nomina Schiſmaticorum ex Actis Epheſinis nota habemus; at quinam illorum nominatim pulſi fuerint, ignoravimus, quouſque nominatim eoſdem nobis prodidit cap. 190. inter Epiſtolas Patrum à Chriſtiano Lupo publicatas. An non temerè antè hanc notitiam quiſpiam quoſdam illorum pro arbitrio nominaſſet? Ita aliqui, plures, ferè omnes, plerique omnes, ut variè numerum Scriptores efferunt, Epiſcopi Semipelagiani in Galliâ quinto ſæculo fuere. Neminem, duobus exceptis, nominatim, ſpeciatim, & ut notiori tibi voce utar, individualiter deſignare potuit Noriſius, cujus nomine tibi, ac tuis, quoſcumque fingas hæreticis hocce reſponſum datum habeto.

ANONYMUS.

„ NEminem deinceps futurum arbitror, qui ex-
„ penſis Noriſii conjecturis adversùs tot ſan-
„ ctiſſimos Galliæ Præſules, aut adversùs Vincenti-
„ um Lirinenſem, ejuſque Commonitorium, non
„ fateatur (quod nobis ſufficeret) ſaltem æquè pro-
„ babilia eſſe, quæ ex adverſo oppoſuimus. Pag. 20.

RESPONSIO.

ÆQuumne, an æquo plus minuſve poſtules, incertum. Æquum petere videris, dum allata abs te argumenta ac conjecturas cum oppoſitis Noriſii rationibus ac teſtimoniis æquare contendis. Quis enim tantam animi tui moderationem ac modeſtiam non miretur, qui cùm tam multis contrà Noriſii ſententiam hactenùs diſputaveris, ſatis benè tecum actum

putes,

putes, ſi paria cum adverſario feciſſe judicetis. Etenim arbitrabar fore, ut tuam opinionem non modò oppoſitâ probabiliorem, verùm etiam, dum Sanctos tueri contenditaris, longè tutiorem haberi velles. At quorſum iſta *æquè probabilia*, ò bone Vir? Si ſemel abs te contrà Noriſii librum producta *æquè probabilia eſſe* à Cenſoribus judicentur, neutra opinio proſcribi poterit, quia improbabilia tantùm cenſuræ ſubjiciuntur. Quæ æquè probabilia ſunt, æquali gaudent immunitate à cenſurâ. Sufficit tibi tua ratiocinia *æquè probabilia* eſſe. Sufficit & Noriſio ſua æquè probabilia cenſeri. Cùm teſteris, tuos te tantùm ſcrupulos contrà Noriſii librum adducere, plus æquo poſtulas, dum tibi aſſerta *æquè probabilia* ac à Noriſio ſcripta, haberi poſſe ſperas. Nam ſcrupuli ex levibus ac debilibus fundamentis oriuntur, quibus nunquam poſſunt ad uſque probabilitatem aſſurgere. Hinc, ut probè noris, conſcientia ſcrupuloſa à conſcientiâ opinativâ à Theologis diſtinguitur. Opinio enim probabilis eſt, quæ rationibus magni momenti innititur, aut magnorum Virorum auctoritate fulcitur. Illa intrinſeca: hæc autem extrinſeca probabilitas appellatur. Porrò rationes Noriſii dixerunt Viri eruditi *eſſe invictas, ac graviores.* Tantum probabilitatis intrinſecæ Noriſii opinioni ineſſe judicarunt. Quæ verò ac quanta eidem extrinſecùs probabilitas adveniat ab auctoritate Vaſquii, Garnerii, Petavii, Raynaudi, Lupi, Thomaſſini, Fraſſenti, Antelmii, aliorumque locupletiſſimorum teſtium, nullus non videat. Michael de Elizalde lib. 2. de rectâ doctr. morum quæſt. 5. hunc titulum paragrapho IV. præfigit: *In quo conſiſtat probabilitas opinionibus dari ſolita..* Et ſtatim rem declarans exorditur: *Hæc probabilitas conſiſtit in impunitate alicujus opinionis, vi cujus defendi, vel edi poſſit, ſine ullâ cenſurâ, notâ, aut impedimento.* Liber Noriſii ſemel, iterùm, ac tertiò Romæ in examen in ſupremo Quæſitorum Fidei tribunali vocatus, licitè etiamnum legitur, nec ullâ conſtat cenſurâ inſignitum fuiſſe. Æquum ac bonum factum: quod te quoque æqui bonique facere non tantùm oportet, verùm etiam neceſſe eſt. Num verò hæc eadem impunitas tuos ſcrupulos maneat, haud potis ſum divinare. Tu videbis. Denique æquo minus præter opinionem, opinioni tuæ deprecaris. Nam rationes Noriſii irriſionis causâ *ratiunculas* dicis pag. 31. *prorsùs nullas* pag. 25. *vanum, fallax omni ex parte argumentum* pag. 6. *Ne quidèm probabilibus argumentis niti.* Paginâ 21. Tua verò argumenta tanti facis, ut pag. 20. ſcribas: *Non video qui refellere poſſit Noriſius.* Et pag. 28. *Non videmus quâ ratione refelli poſſint.* Quod attinet probabilitatem, quam extrinſecam dicunt, ſcribis pag. 22. *Neminem hactenùs vidimus.* Et pag. 21. *quæro,* inquis, *quo teſte, quo argumento &c.* Et quod nullos illi teſtes ſuffragari arbitrabare, pag. 28. *dum ſciam*, inquis, *ad quos legendos me remiſſurus ſit.* Itaque ſi Noriſii opinio nullâ aut intrinſecâ, aut extrinſecâ probabilitate fulcitur: & ex adverſo tua ſententia utraque ea probabilitate roboratur, ac firmiſſima utroque latere conſiſtit, nimium profectò eidem de probabilitate derogas, cùm rogas, ut tua opinio in pari probabilitatis gradu cum Noriſianâ collocetur.

§. III.

Quæ ac qualis fuerit ignorantia Semipelagianorum.

CUm hactenùs inſignia dederis ignorãtiæ vincibilis exempla, ac præſertim apud Bibliopolas Pariſienſes, tranſis ad ignorantiam invincibilem, in qua pariter tam multa tuæ vincibilis exempla renovas, ut planè ægrè ac moleſtè feram, tuis hiſce ſcriptiunculis cogi tam multa dicere, ac nihil interim diſcere.

ANONYMUS.

„ ITaque de Maſſilienſium, hoc eſt Semipelagianorum Doctoribus, adeòque maximè de Epiſcopis, generatim affirmat Noriſius, ut vidimus, ejuſmodi illos fuiſſe, ut *allatâ luce oculos obſtinatiſſimè clauſerint, ne viderent.* Qualis profectò accuſatio „ nulli etiam de vulgò, mulsò minus tot ac talibus „ Viris, niſi evidentiſſimè probata, imponi debuit &c. „ Non potuerunt, inquit, ex ignorantiâ invincibili, „ hoc eſt inculpabili bonaque fide errare. Quid ita? „ Quoniam Auguſtini libris edocti, & Proſperi & Hilarii diſputationibus inſtructi erant, ac plurimâ luce colluſtrati; cùm aliunde & ingenio & eruditione pollerent. Hæc tota ratio. Pag. 21.

RESPONSIO.

INtermiſſam de ignorantiâ invincibili Maſſilienſium diſputationem, majori impetu iterùm inſtauras, quod ſanè mihi pergratum fateor; ſiquidèm campum aperis, in quo ab initio cauſam exorſus, in eadem latiùs excurram. Etenim quæ ſuperiùs de ignorantiâ vincibili Semipelagianorum adſtruxi, exercitii gratiâ à me dicta ſunt, ut te eo quoque loco refellerem; non quòd Noriſii defenſio id certamen expoſcebat, à quo citrà prævaricationem poteram abſtinere, teque ad hunc ipſum locum remittere, ubi nullum planè locum eſſe tuæ illi ignorantiæ invincibili animadvertes, ni contradicendi prurigine, omnia velis, aut certè ſimules ignorare. Ad rem.

Noriſius in Appendice aſſutâ Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 2. narrat Rodericum de Arriaga tom. 1. in p. p. diſput. 36. num. 11. hæc ſcribere: *Nomine priorum & antiquorum, de quibus Proſper, non intelligi ſanctos Patres, ſed Maſſilienſes aliquos Epiſcopos, & Viros moribus & pietate inſignes, invincibiliter, ut puto de multis, Semipelagianos.* Hic Auctor putans jam tum Semipelagianos errores ab Eccleſiâ damnatos fuiſſe, ut multos Viros pietate inſignes hæreſeos culpâ liberaret, ignorantiam invincibilem eoſdem paſſos autumavit. Ita ii, quibus non eſt ſufficienter prædicatum Evangelium, dicuntur pati ignorantiam invincibilem myſteriorum fidei Chriſtianæ, quia non poſſunt credere niſi volentes, & ad incognitum non poteſt ferri voluntas; ac proinde appellantur infideles negativè, ut ejuſmodi infidelitas nullatenus peccatum judicetur. Noriſius eò loci ſuppoſitâ opinione Arriagæ, videlicet quòd id temporis hæreſis Semipelagiana prædamnata fuerat ab Eccleſiâ, probat Maſſilienſium ignorantiam non potuiſſe eſſe invincibilem; quia Caſſianus, Hilarius, aliique fuere viri doctiſſimi, iiſdemque vera ſententia à S. Auguſtino tot libris manifeſtata, ac declarata fuerat; unde infert illorum ignorantiam perperam ab illo Auctore invincibilem putari. Conſideres, quæſo, Arriagæ ſententiam, quam ibi Noriſius refellit: *Invincibiliter tamen, ut puto de multis, Semipelagianos.* Non ait id ſe putare de omnibus, ſed *de multis.* Itaque ſi multi Viri moribus & pietate inſignes fuere invincibiliter Semipelagiani; multi è contrà, aut ſi mavis, ſaltem pauci, fuerunt vincibiliter Semipelagiani. Jam peto abs te, in hac alterâ claſſe reponiſne Epiſcopos Doctores, vel rudes tantùm ex imperitâ plebe? Si primum dicas, totus in Noriſii ſententiam tranſis. Sin alterum eligas, majorem ac craſſiorem ignorantiam Viris doctiſſimis, quàm rudioribus plebeis affricas;

ſi qui-

ſi quidem ignorantia vincibilis minor eſt quàm invincibilis, quia illa adhibito ſtudio ab homine ſuperari poteſt; ſecùs autem invincibilis. Hæc quæ obiter ac ſuppoſitâ Arriagæ opinione, Noriſius ſcripſit, nihil faciunt ad ignorantiam invincibilem extrà illam ſuppoſitionem, nempè ſi nondum error ille hæreſeos damnatus fuerat ab Eccleſiâ, ita ut ex ignorantiâ ſententiæ ibidem à Noriſio refutatæ, de ignorantiâ invincibili omnium, vel ſaltem doctiſſimorum ac ſanctiſſimorum Semipelagianis faventium, contrà eundem diſputandi occaſionem fruſtrà arripueris.

Hactenùs veluti caſtris, intrà quæ laudato loco Noriſius ſuam ſententiam continuit, valuè propugnatis, abs te provocatus, ex iiſdem erumpo, ac in campum, in quo tam multa de ignorantiâ invincibili Semipelagianorum jactas, deſcendo. Hæc tibi fingis, Noriſium aſſerere: *Non potuerunt ex ignorantia invincibili, hoc eſt inculpabili, bonaque fide errare.* Imò tu eadem ſemper chordâ aberras, cùm ſolam ignorantiam invincibilem putas eſſe inculpabilem ac bonæ fidei. Nam demonſtratum eſt, ignorantiam quoque vincibilem, ſi ſit eorum quæ nullâ lege ſcire tenemur, eſſe inculpabilem ac bonæ fidei. Qui laxas opiniones in Ethicam Chriſtianam induxerant, ignorantiæ invincibilis beneficio, pleraſque pravas hominum actiones à formali malitiâ vindicare pertentarunt, aſſerentes eſſe ſolummodò materialia peccata; undè apud illos ignorantiæ invincibilis ditio longè latèque extenditur. Verùm qui ſanctorum Patrum, veterumque canonum ſtatuta ſequi profitentur, ignorantiam invincibilem intrà anguſta ſpatia non modò redegerunt, verùm etiam dubium fecerunt locum, in quo poſſit illa tutò conſiſtere. Antè annos centum Gabriel Vaſquez 1. 2. diſp. 124. cap. 1. ſcripſit: *Cæterùm hactenùs non ſatis explicatum manet, unde dignoſci potuit, quando ignorantia ſit vincibilis, quando autem invincibilis; cùm adhuc dubium ſit, quando homo adhibere debeat diligentiam ad vincendam ignorantiam.* Et nuper Michael de Elizalde lib. 5. de rectâ doctrinâ morum quæſt. 10. §. 4. pag. 45. ait: *Vix ſciri poteſt, an ignorantia invincibilis ſit, an vincibilis*: Hinc intelliges rationem quam ab ignorantiâ invincibili ad ſanctitatem veterum Patrum Galliæ defendendam, deducis, ab iis magnis profectò Theologis dubiam, incertam, ac planè difficilem judicari; cùm tamen modus alter, quo Noriſius eorundem Patrum ſanctitatem cum doctrinæ errore componit, haud ejuſmodi difficultatibus implicetur, ſed eo eruditiores quique utantur in Semipelagianorum pietate vindicandâ. Præthereà cùm ignorantia in intellectu, ac difficultas in voluntate ſint defectus ex originali peccato derivati, divinæ gratiæ auxilio opus eſt utrumque vitium pœnale ſuperandum, quæ eſt Catholica doctrina, juxtà quam credimus illuſtrationes intellectûs ad cognoſcendum verum ſupernaturalis ordinis, & inſpirationes voluntatis ad proſequendum bonum prout oportet ad ſalutem, divinâ gratiâ nobis donari, quod utrumque can. 7. Synodi Arauſicanæ II. decernitur, & paſſim in S. Auguſtini libris occurrit. In libro primo ad Bonifacium Papam cap. 3. ſcribit omne peccatum fieri, *vel ignorantiâ veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis.* Et lib. 2. de Peccat. mer. & remiſſ. cap. 17. *Ignorantia igitur*, inquit, *& infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abſtinendum. Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat, gratia Dei eſt &c.* Quæ cap. 18. & 19. validius inculcat. Hinc colligimus diligentiam neceſſariam ad aſſequendam veritatem, non fundari tantùm in induſtriâ, quæ viribus naturalibus haberi poteſt, ſed præcipuè deſumi a divinæ gratiæ adjutorio, qua mens illuminatur ad cognoſcendum verum, ac ad pœnalem ignorantiam depellendam. Quæ gratia cum plerùmque ſit precibus impetranda, dubium poſteà exoritur, an tantùm quantùm & poteras, & debebas, oraveris, ut gratiam ad ignorantiam vincendam obtineres. Nuper hac de re doctiſſimè ſcripſit Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez Patrum Societatis Præpoſitus Generalis Diſſert. XI. de recto uſu Opin. Probab. cap. 5. §. 3. à nu. 34. Nam ut Dei præcepta non dicuntur impoſſibilia, quamvis humanis viribus adimpleri non poſſint, quia ſervari poſſunt cum auxilio Dei; ita nec ignorantiâ dici poteſt abſolutè invincibilis, quia licèt vinci non poſſit attentis viribus humani intellectus, ſuperari tamen poteſt, ab intellectu prout divinæ illuſtrationis gratiâ adjuvatur. Hæc mihi ſuperiùs notata, hic conſultò placuit repetere, ut quæ de ignorantiâ invincibili objectas, faciliùs clariuſque refellerem.

Quemadmodum ſcientia major, minorve eſſe ſolet, ita ignorantia ſuos pariter gradus habet, nec eadem in omnibus circa eamdem rem reperitur. Loquamur de ignorantiâ Semipelagianorum: De his ſcribit S. Proſper in præfatione ad Capitula Gallorum; Sancti Auguſtini doctrinam *quibuſdam viſum eſt, aut non intelligendo, aut intelligi eam nolendo, reprehendere.* Poſteriorum erat ignorantia affectata, malæ fidei, ac planè culpabilis; qualis profectò non erat aliorum, qui non intelligebant. Hæc verò vincibiliſne, an invincibilis eſſet, neutiquam conſtat, quia incertum eſt, quam illi diligentiam adhibuerint, & an humano ſtudio preces, & an tantas, quantæ erant neceſſariæ, ad veritatem aſſequendam, addiderint. Idem Proſper in Epiſtolâ ad Rufinum loquens de objectionibus, quibus Maſſilienſes S. Auguſtini doctrinam impugnabant, ait: *Sed videant, quomodo ſe à dedecore iſtius exuant falſitatis, qui poſſunt tam inepta confingere, ſi hi, quorum abutuntur auribus, aliquantulum diligentiæ ad cognoſcenda ea, quæ præſtantiſſimus Miniſter gratiæ diſputavit, intenderint; licèt omnem iſtius inquiſitionis moram ipſi, qui hæc loquuntur, prævenire deberent.* Itaque in factione Semipelagianorum, ignorantia auditorum erat vincibilis, ſeu talis à Proſpero affirmatur, cùm *nec aliquantulum diligentiæ* ad percipiendam S. Auguſtini doctrinam collocarent. Doctores verò, qui diligentioris inquiſitionis moram, teſte Proſpero, ſuſtinere recuſabant, ignorantiâ ſimiliter vincibili laborabant. Hæc tamen nulli lethali culpæ imputabatur, quia erat ignorantia rei, quam ſcire nondùm Eccleſiæ lege tenebantur. Concedis illis aliàs obſcuris de divinâ gratiâ quæſtionibus multum lucis ex Auguſtini ſcriptis affulſiſſe. Verùm opponis.

ANONYMUS.

„ SEd numquid hinc conſequens eſt in controverſiâ, ſi ulla unquam fuit, ſubtiliſſima & obſcuriſſima, quæ non diu antè agitari cœperat, haud potuiſſe ſatis adhuc caliginis ſupereſſe, ut multa quamvis bona ingenia, quamvis ſincere veritatem inquirentia, nondum tamen illam aſſequi, & à finitimo errore ſeparare valerent. Pag. 22.

RESPONSIO.

QUamvis concedamus illos ſincerè veritatem inveſtigaſſe: undè habes eos tantam, quantam poterant, diligentiam veritati comparandæ impendiſſe?

Digitized by Google

diſſe? Undèhabes, illos humano ſtudio preces quoque ad obtinendam cœlitùs illuſtrationis gratiam junxiſſe? Hæc potis es credere; non potis es neganti perſuadere. At tuquies, erant Viri pietate inſignes, undè haud liceat dubitare, quin etiam oraverint, ut cœlitùs ſibi lumen infunderetur. Verùm neque hæc ſatis ſunt ad ignorantiam invincibilem inducendam. Audias S. Doctorum in lib. de Nat. & grat. cap. 17. *Aliud eſt enim non curaſſe ſcire, quæ negligentiæ peccata etiam per ſacrificia quædam legis videbantur expiari. Aliud intelligere velle nec poſſe; & facere contrà legem, non intelligendo quid fieri velit. Unde admonemur à Deo petere ſapientiam*, qui dat omnibus affluenter; *utique his omnibus, qui ſic petunt, & tantùm petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda eſt.* Undè ergo ſcis, eos ſic petiiſse, & tantum petiiſse, quomodò & quantùm tanta veritas petenda erat? Hæc res eſt facti, quam divinare quidèm potes, non autem probare.

Præthereà S. Proſper cap. 1. contrà Collatorem ſcribit: *Undè ergo hæc diligentia tam ſeveri emerſit examinis? undè in hanc auſteritatem ſupercilium ſe tetricæ frontis armavit, ut menſuras ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum inſidioſus ſcrutator eventilet, magnumque ſe aliquid conficere præſumat, ſi Catholico prædicatori* Auguſtino *notam erroris affigat?* Semipelagianæ ergo ſcholæ Doctores, quorum princeps Caſſianus toto eo opere à Proſpero impugnatus, S. Auguſtini libros legabant, non ut diſcerent, ſed ut contradicerent; quo averſo ab Auguſtinianis ſententiis animo impediebantur, ne in ejuſdem doctrinam procul ab amore & odio inquirerent. Videſis, num tu quoque cùm Noriſii libros legiſti, amoris & odii cauſas procul habueris. Hìc planè memoranda ſunt, quæ pag. 26. hujuſce paragraphi ſcripſiſti, videlicet: *Cùm Viris alioqui ſanctiſſimis ſæpè contigerit, ſic ad errorem diutiſſimè adhærere non ſponte ſuâ, ſed invitis, ac veri ſpecie & alterius ODIO deceptis.* Hoc uno verbo majoribus literis expreſſo, totius tuæ defenſionis ab invincibili ignorantià deductæ, nervos ſuccidiſti. Nam qui odio contrà quampiam ſententiam præoccupatus, veritatam inquirit, is profectò haud animo ſincero, id eſt, quacumque paſſione vacuo, ad veritatem inveſtigandam accedit. Id vel Tacitus loquitur initio librorum Hiſtor. *Incorruptam*, inquit, *fidem profeſſis, nec amore quiſquam, & ſinè odio dicendus eſt.* Repones, illos deceptos odio oppoſitæ ſententiæ, non antequam da utrius veritata deliberarent; ſed poſtquam uni, quæ ſibi ipſis vera appatuerat, adhæſere. At hoc odium impedimento eſt, ne major diligentia inſtauretur, ſtudiumqite etiam atque etiam intendatur, ut melius eadem ſenrentia examinetur. Sancti Auguſtini poſtremas ad Semipelagianos voces repetam, quibus librum de dono perſeverantiæ concluſit: *Qui verò*, inquit, *errare me exiſtimant etiam atque etiam DILIGENTER quæ ſunt dicta, conſiderent, ne fortaſſis ipſi errent.* Non tantùm dixit *diligenter*, ſed *etiam atque etiam diligenter* ſcripta abs ſe iiſdem conſideranda, inculcavit. Jurareſne ipſos *etiam atque etiam diligenter* traditam à S. Doctore ſententiam conſideraſſe? Si id etiam injuratus affirmares, in dubio facti pleriſque non teſtis, ſed potiùs ariolus videreris.

ANONYMUS.

,, Porrò nullam adhuc expreſſam Eccleſiæ defini-
,, tionem in Semipelagianos fuiſse illorum tem-
,, pore, de quibus loquimur, diſertè pluribus locis
,, affirmat Noriſius, ut diximus. Ergo ut aſserat, non
,, potuiſse horum errorem ſive ignorantiam eſse invin-
,, cibilem, ſupponi neceſse eſt, jam tunc talem fuiſse
,, opinionis contrariæ evidentiam, ut nullus ejus tem-
,, poris Doctor impugnare hanc potuerit, niſi malâ fi-
,, de, aut errore prorsùs voluntario. Sed hanc ſuppo-
,, ſitionem quomodo probaret Noriſius? Pag. 22.

RESPONSIO.

JAm ſuperiùs oſtendi S. Auguſtinum ad quartum ferè annum initi Epiſcopatûs, Semipelagianorum ſententiam tenuiſſe, idque nec malâ fide, nec errore prorsùs voluntario, ſed involuntario directè ac bonâ fide, & ex ignorantiâ vincibili, cùm reapſe eandem ille ſuperaverit. Illa ignorantia eſt invincibilis, quam homo quocumque ſtudio, qualibet navatâ diligentiâ, ac omni adhibitâ conſideratione ſuperare non poteſt. Quarè cùm Auguſtinus eam diligentiam atque advertentiam, quam poſteà adhibuit legens illa Apoſtoli 1. Cor. 4. utì fatetur in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. & 4. ac errorem agnovit, potuerit etiam antè Epiſcopatum eidem textui intelligendo impendere, ejuſdem ignorantia ſitit planè vincibilis. Fortaſsè dices tunc remotè tantùm, non autem proximè fuiſse vincibilem. Nihil dicis. Nam quotieſcumque Auguſtinus potuit illam advertentiam habere, potuit proximè ignorantiam illam vincere; atqui etiam antè Epiſcopatum, vel initio Epiſcopatûs potuit illam advertentiam habere; igitur etiam tunc potuit proximè illam ignorantiam expellere. Ita præceptum dici nequit homini impoſſibile; quia licèt quandoquè non habeat potentiam proximam, ſed tantùm remotam; habet taman potentiam proximam orandi, ad impetrandam proximam etiam potentiam præcepti faciendi. Quarè cùm Auguſtinus antè Epiſcopatum habuerit potentiam ad ponendam illam diligentiam, ac ad orandum Deum pro verâ cognitione obtinendâ, non fuit ignorantia illa invincibilis, utì nec præceptum dicitur impoſſibile.

Quòd verò video te paſſim urgere, quod Noriſius ſcripſit Semipelagianos *illatâ luce, oculos obſtinatiſſimè clauſiſſe, ne viderent*, nonnihil hac de phraſe dicendum eſt. Auguſtinus lib. 1. Oper. imperf. num. 67. Julianum arguens, ait: *Tu contrà clariſſimam veritatem oculos claudis.* Nempè Julianus illa D. Pauli ad Rom. VII. 15. *Non enim quod volo bonum, hoc ago; ſed quod odi malum, illud facio*, contendebat dicta à Paulo induente perſonam peccatoris, criminum conſuetudine ad malum inclinati. Ita Origenes, Chryſoſtomus, Baſilius, Hieronymus, aliique apud Cornelium à Lapide textum illum Pauli interpretati fuerant, utì ipſemet etiam Auguſtinus in lib. quæſt. ad Simplicianum, quæſt. 1. At idem doctior poſteà factus, adeò aſseverantar pronuntiavit Apoſtolum ibidem de ſemetipſo locutum fuiſse, ut lib. 6. contrà Julianum cap. 11. ſcribat: *Sed poſteà melioribus & intelligentioribus ceſſi, vel potius ipſi, quod fatendum eſt, veritati, ut viderem in illis Apoſtoli vocibus gemitum eſſe Sanctorum contrà carnales concupiſcentias dimicantium.* Hinc patet, quòd cùm ea expoſitio poſterior, videretur vera ac legitima Auguſtino, idem dixit Julianum alitar exponentem, nec adnotantem hac etiam alterâ ipſi probatâ interpretatione Pelagianum errorem refelli, *contrà clariſſimam veritatem oculos claudere.* Cùm Semipelagiani veritati tot Theologicis iiſque planè invictis, rationibus ab Auguſtino comprobatæ, reſiſterent, Noriſius Auguſtini recitatâ phraſe uſus, dixit eoſdem *illatâ ex Auguſtini libro plurima luce, oculos obſtinatiſſimè clauſiſſe, ne viderent.* At enim iterùm, ſi lubet, conſidera quantam eviden-

dentiam ſuæ ſententiæ S. Doctor attribuat. In lib. r. de Prædeſt. Sanct. cap. 20. ait: *Quid eſt enim*. Orantes ſimul & pro nobis, ut Deus aperiat nobis oſtium verbi, *niſi apertiſſima demonſtratio*, *etiam ipſum initium fidei eſſe donum Dei?* In cap. 5. ait eſſe *hanc Apoſtoli evidentiſſimam intentionem*; & in fine adverſarios *profectò contradicere huic apertiſſimæ veritati*: & cap. 4. *liquidiſſimam veritatem* eſſe teſtatur. Qui non cedit apertiſſimæ demonſtrationi; qui reſiſtit evidentiſſimæ intentioni Apoſtoli: qui non videt veritatem apertiſſimam & liquidiſſimam, is Noriſio aut cæcus eſt, aut oculos ſibi claudit. In fine cap. 13. ſcribit de Semipelagianis: *Dici enim non poteſt: quàm moleſtè feram, quod viderunt Pelagiani eſſe falſiſſimum & abſurdiſſimum, hoc non vidiſſe iſtos, qui nobiſcum errorem illorum hæreticorum Catholicâ auctoritate condemnant.* Qui non viderunt quod Pelagiani rectè obſervarunt, Noriſio aut cæci, aut oculos ſibi claudentes dicentur. Videſis tu quo eos nomine appelles. In fine cap. 14. tradit à Semipelagianis id adſtrui, *quod non dico crediturum, ſed ſomniaturum neminem putaremus.* Ita eas Maſſilienſium chimæras ne quidèm oculis clauſis dormientibus inter inania phantaſmata occurſare poſſe putavit. Et cap. 13. ait: *Attendant & videant.* Quære à Proſpero, cur illi non videbant? Reſpondet in literis ad Auguſtinum: *Qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro* lecto libro S. Auguſtini de correptione, & gratiâ, *averſiores, quàm fuerant, receſſerunt.* Amor nimius ergà ſemel conceptam opinionem, illorum mentem obſcurabat, & ut Noriſii phraſe utar, obcæcatis ſimiles faciebat, cujuſmodi ſunt qui oculos claudunt, ne videant. Sed de his hactenus, ſiquidèm plura hac de re ſuperiùs mihi obſervata ſunt, ac jam prænotavi eam phraſim eſſe apud Noriſium emphaticam, quam etiam ut augeret, adverbium *obſtinatiſſimè* addidit, quod tamen apud Latinæ linguæ magiſtros non legitur. Num verò fuerint obſtinati in ſemel imbibito errore, mox ex Auguſtino ac Proſpero intelliges.

Contexis pag. 23. indicem plurium quæſtionum, quas S. Auguſtinus contrà Pelagianos agitavit; quarum nonnullæ profundiores difficilioreſque appellantur initio appendicis ad Epiſtolam S. Cœleſtini Papæ; quas etiam Arauſicana Synodus, quæ motos in Galliâ de gratiâ divinâ controverſiarum fluctus compoſuit, intactas reliquit. S. Doctor uno & altero peculiari libro de initio fidei, ac de dono perſeverantiæ contrà Semipelagianos diſputavit. Hìc verò ais, Noriſium non dubitare, quin aperta ſit & omninò vera S. Auguſtini ſententia v. g. de prædeſtinatione ad gloriam antè præviſa merita; de gratiâ ex ſe efficaci: de reprobationis causâ ex peccato originali: de diſcrimine adjutorii in ſtatu innocentiæ, & naturæ lapſæ &c. Tum petis an is, qui in his quæſtionibus contrariam Auguſtinianæ ſententiam defenderunt, ac modò etiam defendunt Theologi, ſeriò ac ſincerè veritatem inquiſiviſſe dicendi ſint, vel potiùs *oculos* de induſtriâ *clauſerint*, *ne viderent*. Et pergis:

ANONYMUS.

„ AUt igitur hos quoque reos faciat Noriſius af-
„ fectatæ ignorantiæ, penituſque voluntariæ
„ obſtinationis; aut fateatur veteres quoque potuiſſe
„ bonâ fide, ex involuntariâ & inculpabili ignoran-
„ tiâ errare; cùm nulla adhuc extaret Eccleſiæ deci-
„ ſio, nec major eſſet contrà hos, quàm ſit contrà
„ illos veritatis evidentia &c. Pag. 24.

RESPONSIO

JAm toties dixi, quod tu ne ſemel quidèm advertiſti, quamvis advertere potuiſti, veteres Maſſilienſis Semipelagianæ ſcholæ Doctores bonâ fide ac directè involuntariâ ignorantiâ erraſſe, eam tamen fuiſſe vincibilem, indirectè voluntariam, ſimulque inculpatam, quia verſabatur circà id, quod nondum fuerat ad Eccleſiâ definitum. Quòd fuerit vincibilis, probavi ex Auguſtino, qui cùm in libro de Prædeſt. Sanct. cap. 3. oſtendiſſet ſemet ad annum uſque quartum ſui Epiſcopatûs, fuiſſe in eadem Semipelagianorum ſententiâ, cap. 4. ſcribit: *In quâ ſententiâ iſtos fratres noſtros eſſe nunc video, quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam ſi curaſſent, inveniſſent iſtam quæſtionem ſecundùm veritatem divinarum Scripturarum ſolutam.* Cùm ergo Maſſilienſes lectione librorum poſteriorum S. Auguſtini potuiſſent proficere ad aſſequendam veritatem, nec curaverint proficere, diligentiam majorem ac intenſius eam in rem ſtudium omiſerunt, unde illorum ignorantia fuit reapſe vincibilis, ac indirectè voluntaria. Uti verò major diligentia auget lumen internum ad cognoſcendam veritatem; ita eandem omittere, eſt Noriſio, ſi vis intelligere, habere oculos clauſos, ne veritas perſpiciatur, quæ eâ majori diligentiâ adhibitâ, facilè perſpici potuiſſet. Acceſſerunt illi ad poſteriores libros S. Doctoris legendos, ſed animo errore præoccupato, ac conceptæ ſemel opinionis ſtudio in oppoſitam partem non dicam propenſo, ſed plane inclinato, cæcoque amore ſectæ ſive ſcholæ in oppoſitam Auguſtino ſententiam depreſſo. Hoc quoque objectum ab ipſis impedimentum in cauſâ fuit, ut eorumdem ignorantia indirectè fuerit voluntaria, ac proinde vincibilis. Quòd aliàs quæſtiones ab Auguſtino diſcuſſas, ad huc tamen noſtrâ etiam ætate controverſiæ ſubjectas, cum celebri illâ de initio fidei confers, haud eſt ſimilis inter utraſque comparatio, & in quibuſdam eadem omnino ratione refelleris. Ex iis quas appellaſti, celebriorem ſecerno de divinâ prædeſtinatione ad gloriam, nam ex illâ S. Auguſtinus efficaciam gratiæ deduxit. Porrò duo in quæſtionem apud Theologos vocantur. In primis an S. Auguſtinus docuerit prædeſtinationem antè præſcientiam meritorum. Deinde etiamſi id affirmaverit Auguſtinus, an vera ſit ejuſdem ſententia. Gabriel Vaſquez, quem alii ſecuti ſunt, contendit S. Doctorem locutum ſolummodò de prædeſtinatione ad primam gratiam, ſivè ad initium fidei contrà Semipelagianos. Ac Petavius tom. 1. dogm. Theol. lib. 9. cap. 6. evidentiſſimis Auguſtini teſtimoniis demonſtravit, S. Auguſtinum ſtatuiſſe etiam prædeſtinationem ad gloriam ante præviſa merita, ita ut Recentiores oppoſitam ſententiam ſuſtinentes, ingenuè fateantur, S. Doctorem oppoſitæ ſententiæ adhæſiſſe. Enimverò negare nequis, Vaſquium potuiſſe ad aſſequendam eâ in quæſtione Auguſtini ſententiam eadem majori uti diligentiâ, quam poſteà Petavius impendit. Hinc Vaſquius vincibilem ejus rei ignorantiam paſſus eſt, quæ illi tamen fuit directè involuntaria, bonæ fidei, & inculpata. Si quis verò mente ſemel imbibitâ ſententiâ de prædeſtinatione poſt præſcita merita, ad Auguſtini libros accedat, non ut animo ſincero S. Doctoris ſententiam aſſequatur, ſed ut violentis interpretationibus Auguſtinum ſuam in opinionem trahat, is ſanè & malâ fide, ac ignorantiâ affectatâ ſuam ipſius ſententiam Auguſtino adſcribet. Quod verò ſpectat ad veritatem ſententiæ de prædeſtinatione

ad gloriam ante prævisa merita, illa quidèm probabilioribus apud S. Auguſtini ac S. Thomæ diſcipulos argumentis innititur, ſed non iis, quibus nulla utcumque probabilis reſponſio ab adverſariis reponi poſſit. Hinc factum eſt, ut eadem quæſtio ſit de re adiaphorâ, neque ad dogma pertingat. Certum eſt alterutram ſententiam eſſe falſam; quia prædeſtinatio nequit eſſe, & non eſſe eâdem conſideratione ante prævisa merita. Quarè & alterutrius argumenta ſunt neceſsariò falſa ac ſophiſtica, & conſequenter ex ignorantiâ veri procedunt; quæ tamen ignorantia culpæ non vertitur, quia eſt circà rem nondum ab Eccleſiâ definitam; undè ad peccatum tollendum, cùm nullum ſit, perperam obtrudetur invincibilitas ignorantiæ. Hac ratione oſtendimus, veteres Semipelagianos aſſerentes initium fidei ex nobis eſse, & non ex Dei gratiâ, nullum peccatum commiſiſſe, quia erat id temporis res quæſtionis, non dogmatis; quamvis eorum ignorantia fuerit vincibilis, uti pluribus expoſui; & patet ex characteribus ac notis, quibus Auguſtinus apertiſſimam ſuæ ſententiæ veritatem deſignavit, qui quaſi indignatus Maſſilienſes rem in tanto lumine abs ſe collocatam, nondum vidiſſe, in fine cap. 20. de Prædeſt. Sanct. ait: *Et adhuc tam bonis ingeniis ſic loquimur quaſi obtuſis, quibus & quod nimium eſt, non eſt ſatis.*

A N O N Y M U S.

„ CErtè hos ipſos ex Semipelagianis, qui ad Con-
„ cilium uſque Arauſicanum II. tales extite-
„ runt, quo veritas integri ſæculi diſputationibus
„ eliquata, faciliùs deprehendi poterat; hos ipſos,
„ inquam, adhuc tamen bonâ fide, non ſtudioſâ ob-
„ ſtinatione, errorem propugnaſſe, ex eo admodum
„ probabiliter concludi poteſt, quòd hujus Synodi
„ decretis à ſanctâ Sede comprobatis, ſinè morâ ac-
„ quievarunt, ſic ut nulla deinceps Semipelagianiſ-
„ mi veſtigia apparuerint. Pag. 35.

R E S P O N S I O.

LUdovicus Cellotius Gallus è Societate ſcriptor tibi fortaſsè faciet ſatis, qui lib. 2. Hiſt. Gotteſchalci cap. 4. §. un. pag. 99. ſcribit: *Tu doctrinæ pravitate mores vis inſici, quaſi tum & anteà nemo benè potuerit vivere, qui malè ſentiret: quod ego de Semipelagianis pernego, quorum ſanctitatem vitæ ipſi doctrinæ hoſtes agnoſcunt, & laudant; etſi chronicam tuam, & hiſtoricam mentem placet concutere* (da quæſo aures) *invenies peculiare illud Semipelagiano errori fuiſſe, nullum ut habuerit hæreticum profeſſorem, cum qui ſunt illum profeſſi, antè condemnationem Chriſtiano Orbe publicatam, & admiſſam, vixerint; qui autem poſteà vixerunt, illum repudiarunt.* An non hic eruditus Auctor Noriſio ſimiliter prædocuit? Ille in Semipelagianis ſanctitatem vitæ cum pravæ doctrinæ errore conjungit. Rursùs errorem non ab ipſorum ignorantiâ invincibili, uti tu contendis, excuſat; ſed quia, quemadmodum Noriſius ſcripſit, *antè condemnationem Chriſtiano Orbe publicatam*, vixere. Hæc certa ac ſolida eſt ratio, qua illi hæreſeos notæ eximuntur, quam præclari quinque Scriptores in hac ipſâ causâ adhibuerunt, & ii quidèm quibus vetuſtioris Eccleſiæ monumenta perſpecta erant. At tu ignorantiam invincibilem à quibuſdam Neotericis eam tam ſæpè in Morali Theologiâ obtrudentibus, mutuatus, ejuſdem prætextu Semipelagianorum ſanctitatem neceſsariò defendendam eſſe putaſti: cùm tamen ejuſmodi ignorantia de hæreſi, ſimulque peccato, excuſaſſet quoſcumque, qui ſive ante ejus erroris publicatam condemnationem, ſive poſt eundem latâ ab Eccleſia lege proſcriptum, invincibili ignorantiâ laboraſſent, ſi ipſorum mentibus eapſe talis ac tanta incubuiſſet.

A N O N Y M U S.

„ QUis enim credat, ſi ex eorum numero fo-
„ rent, qui quamvis *plurimâ luce illatâ ocu-*
„ *los claudunt, ne videant*, eos tam dociles, tam
„ promptos ad ejurandum errorem futuros fuiſſe; ac
„ non potiùs recurſuros ad conſuetas hæreticorum
„ cavillationes, ut Eccleſiæ decreta tergiverſando
„ eluderent &c. Pag. 25.

R E S P O N S I O.

ILli verſabantur veritatem plurimâ luce invictorum argumentorum ab Auguſtino demonſtratam, & abſurdarum cavillationum caligine eandem obſcurare nequicquam conabantur. Cum enim, exempli causâ, S. Auguſtinus argumentum urgeret à parvulis ductum, quorum aliqui ſinè propriis meritis baptizati, ſalvantur; alii verò ſinè baptiſmo decedentes, damnantur; unde cap. 12. de Prædeſt. Sanctorum inferebat, gratiam non dari ſecundùm merita, dicens id *evidentiſſimè divinorum eloquiorum teſtimoniis aſſeri*; Semipelagiani reſpondebant, parvulos illos ſalvari, quos Deus præſciebat ſanctè victuros fuiſſe, ſi diutiùs ſuperſtites remanſiſſent; alios verò damnari, quos Deus prævidebat, vitam peccatis obnoxiam acturos, ſi diuturniùs vivere permiſſi fuiſſent. Et ab Auguſtino objectum effatum Sapientiæ IV. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, tanquam non canonicum reſpuebant, teſte Hilario in Epiſtolâ ad S. Doctorem. Hic in laudato libro cap. 14. demonſtrat quantæ auctoritatis ſemper fuerit in Eccleſiâ liber Sapientiæ, & cap. 12. de abſurdo illorum reſponſo ſcribit: *Unde opinari potuerint homines, quorum ingenia non eſſe contemptibili a veſtra indicant literæ, mirans & ſtupens reperire non poſſum; nec credere auderem, niſi vobis non credere non auderem; ſed ſpero affuturum Deum, ut commoniti citò videant &c.* At illi ſemel imbibitæ opinionis amore, ac Auguſtinianæ odio obcæcati, & ſi vox iſta diſpliceat, correpti, in tantâ luce nihil videre voluerunt. Hinc qui ex Lirinenſi Monacho & Abbate, Rejorum Epiſcopus evaſit, Fauſtus Semipelagianæ ſectæ ſuâ ætate antelignanus, lib. 1. de lib. arb. cap. 14. Auguſtiniani argumenti vim hiſce verbis non eliſit, ſed deluſit, inquiens: *Serpentinæ fraudis eſt, ad tenebroſas cavernas relictâ luce, transfugere.* Videſis quid ille aut viderit, aut videre noluerit, dum Auguſtinum ſplendidiſſimam lucem importantem, ad tenebras confugiſſe calumniatur. Addit: *Quid rationis eſt, ut interrogare velis occulta, cùm ſolicitudini tuæ pleniſſimè videas reſpondere manifeſta? &c. Materiam de liberi arbitrii ratione proponis, & ad diſcutiendum infantiæ ſtatum pernicioſo errore dilaberis?* Hinc patet, quantâ illi pertinaciâ aſſertæ ſemel opinioni adhærerent, ut ea abſurda paradoxa comminiſci cogerentur, quæ Auguſtinus vix credebat ab hominibus rationis uſu pollentibus affirmari. Quamvis autem veritati ab Auguſtino demonſtratæ reſtitere, eandem tamen à Synodo Arauſicanâ, ac ab Apoſtolicâ Sede aſſertam amplexi ſunt, quòd profitebantur ſequi ac probare ea tantummodò, *quæ ſacratiſſima beati Apoſtoli Petri Sedes contrà inimicos gratiæ Dei per miniſterium Præſulum ſuorum ſanxit, & docuit*: cap. 3. additorum Epiſtolæ S. Cœleſtini Papæ,

Hilarius

Digitized by Google

Hilarſius in Epiſtolâ ad S. Auguſtinum de Semipelagianis ſcribens ait cruciari ſe *pervicaciâ quorundam, qui non tantùm mani;.ſta reſpuunt, ſed etiam non intellecta reprehendunt.* Manifeſta reſpuere, eſt Noriſio claudere ſibi oculos, ne v deant. Qui verò non intellecta dicta Auguſtini re rehendebant, nec illi quid m invincibilem ignorantiam patiebantur, cùm non pauci ibidem eſſent, qui illis facilè S. Doctoris ſententias explicare potuiſſent.

ANONYMUS.

NOn omnis pervicacia vel obſtinatio cum bonâ fide aut ſanctitate pugnat. Quiſquis in ejuſmodi controverſiis falſam tuetur opinionem, nec veris rationibus in oppoſitum acquieſcit; ille hoc ſenſu pertinax vocari poteſt, quòd reverà ſui judicii nimium tenax ſit, ſed non ſemper ejuſmodi pertinacia eſt voluntaria & affectata. Cùm Viris alioqui ſanctiſſimis ſæpè contigerit, ſic ad errorem diutiſſimè adhærere non ſponte ſuâ, ſed invitis, ac veri ſpecie & alterius odio deceptis. Illa verò haud dubiè culpabilis & inexcuſabilis pervicacia eſt, illatâ luce oculos claudere, ne videas, id eſt, veritatem apertè propoſitam adhuc contradicendi ſtudio impugnare &c. Igitur nihil aſt io illâ Proſperi Epiſtolâ, quo ſuam adversùs eos cenſuram tueri poſſit Noriſius; nec magis hac auctoritate, quàm argumentatione ſuâ probat, non invincibilem, ſed voluntariam & affectatam illorum ignorantiam fuiſſe. Pag. 26.

RESPONSIO.

HÆc tua mantiſſa à falſa imaginatione deducta, & per varios errorum anfractos circumacta, ad erroneum caput redit, eoque concluditur. Nam ignorantiam, quæ non eſt invincibilis, eſſe putas voluntariam & affectatam. Hoc falſum eſſe oſtendi. Itaque Semipelagiani fuere in ſemel conceptâ erroneâ opinione obſtinati ac pervicaces, uti Proſper & Hilarius, qui cum iiſdem diſputarunt, teſtantur; at citrà culpam, quia reſiſtebant, ut toties dixi, veritati ab Auguſtino quidèm demonſtratæ, ſed nondum ab Eccleſiâ aſſertæ. Nec illi ſuam opinionem reapſe erroneam, & oppoſitam S. Auguſtini ſententiam veram aſſe certò cognoſcebant; aliàs fuiſſent inexcuſabiles, qui volentes, ac ſcientes errori, repudiatâ veritate ſibi ipſis perſpectâ, adhæſiſſent; ſed cùm eam quam poterant ad veritatem aſſequendam diligentiam non adhiberent, ſemel etiam imbibitæ opinionis amore corrupti, non tantùm collocarent ſtudii, quantum tantæ rei cognoſcendæ neceſſarium erat, iidem ignorantiâ vincibili laboraſſe jure ac merito Noriſio dicuntur. Scribis Viros ſanctiſſimos ſæpè ad errorem adhæſiſſe, oppoſitæ veræ ſententiæ *odio deceptos.* At odium eſt prava animi diſpoſitio, quæ impedimento eſt, ne contrariæ ſententiæ veritas diligentiùs perquiratur, eoque odio fit, ut majori conatu errori utcumque defendendo, incumbatur. Qui veritatem ſedulus inveſtigat, is duas inter opiniones invicem adverſas, odii & amoris cauſas procul habeat, oportet, ut ſuperiùs admonui. Itaque voce illa unica *odii*, ignorantiam invincibilem, quam tanto hactenùs ſcrupulorum apparatu ſtabilire conabare, in dubium revocaſti. Auguſtinus in lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 20. ſcribit Semipelagianos *nihil dicere, & tamen contradicere.* Illi ergo convicti erant rationibus S. Doctoris, & cùm reſpondere non poſſent; adhuc tamen contradicebant. Videſis tu cujus generis, aut ſpeciei ſint ejuſmodi obſtinatio ac pervicacia, quam utramque illis S. Proſper & Hilarius attribuunt. Noriſius homines probatâ ab Auguſtino veritate convictos, & adhuc contradicentes, dixit illatâ luce, oculos ſibi clauſiſſe, ne viderent. Sanctus Doctor lib. 2. contrà Epiſt. Parmeniani capite 21. ſcribit; *Statim quippè amore ſententiæ ſuæ contrà veritatem oculum clauſit.* En ipſam adhibitam Noriſio loquendi formulam. Semipelagiani amore propriæ ſententiæ, ſimulque, quod tu quoque fateris, odio alterius oppoſitæ ferè obcæcati, manifeſtatam ipſis ab Auguſtino veritatem nullatenùs agnoverunt. Si quid vides, non dubito, quin obcæcati tibi ſint, qui oculos habent clauſos. Illo amore, illo odio præoccupati, majorem diligentiam in ponderandâ S. Auguſtini ſententiâ, omiſerunt; unde ignorantiâ vincibili laborarunt, quæ tamen nec malæ fidei erat, neque affectata. Si hac de re conſulas Reverendiſſimum P. Thyrſum Gonzalez: is in præclaro opere de recto uſu Opinionum probabilium, Diſſert. 3. cap. 2. num. 19. hæc tibi ſuggeret: *Iſte affectus ergà unam ſententiam, animum avertit à contrariâ, & eſt in cauſa, ut intellectus leviter tantùm, & curſim ejus fundamenta inſpiciat &c.* Hinc Auguſtinus veritus, ne Maſſilienſes nimio ergà ſuam ipſorum opinionem affectu præoccupati, allatas abs ſe ex adverſo rationes leviter tantùm ac curſim inſpicerent, nec attentiori ſtudio illarum vim ac momenta perpenderent, eoſdem, ut prædixi, in fine libri de dono perſeverentiæ ſeriò monebat, ut *etiam atque etiam diligenter* abs ſe probata conſiderarent. Num id illi præſtiterint, cùm res facti ſit, in dubio cubat. Illorum tamen ſanctitatis defendendæ rationem à Noriſio initam, præter tot anteà mihi laudatos Scriptores, ſequitur etiam Gabriel de Henao, qui initio tom. 1. Scientiæ med. defen. in Proteſt. pag. 7. num. 28. Fauſtum Rejenſem excuſat, *quia anteceſſit Synodum Arauſicanam II. quæ toti de gratiâ & libero arbitrio controverſiæ exercitæ utrinque centum ampliùs annis inter ſanctiſſimos & doctiſſimos in Galliâ Viros, finem tandem impoſuit ex S. Auguſtini doctrina, & Apoſtolicæ Sedis approbatione.* Quo cum fine Semipelagianorum contrà S. Doctoris ſententiam diſputationibus tandem ſtatuto, noſtræ quoque ad quorundam illorum ſanctitatem defendendam rationes utinam eum exitum ſortiantur, qui tuis quoque ſcrupulis finem imponat.

Digitized by Google

DISSERTATIO V.

Janſeniani erroris calumnia ſublata.

HActenùs in rebus, quæ hiſtoriam attinent, verſati ſumus, in præſentia ad Theologicas diſputationes ſtylus vertendus eſt. Nam Anonymus ſcrupulorum auctor, tertiam eorumdem partem ex iis quæ ad Catholicæ fidei dogmata ſpectant, eo conſilio conſtruxit, ut Noriſium prædamnati Janſeniani erroris ſectatorem oſtenderet. Quò verò inſtitutæ abs ſe delationi major ab accuſatorum numero fides accreſceret, veterem Geryonis fabulam ludens, ſemet ternos in homines momento mutavit: Nam tres diverſæ ſcriptiunculæ à diverſis veluti auctoribus compoſitæ prodiere, quæ unius tantùm mente conceptæ dubio procul intelliguntur. Prima quidem opella inſcribitur: *De his quæ ſpectant ad fidem Catholicam*, Auctore Anonymo ſcrupuloſo. Alterum opuſculum titulum præfert: *Informatio de libro &c. ab uno Theologo Pariſienſi.* Enimverò & ſcenam impletam, & fabulam jam paractam putabam; cùm improvisò togatum inter utrumque Anonymum chlamydatus Eques occultâ machinâ tractus, apparuit, qui plurima Italicæ epiſtolæ exemplaria ſub hocce titulo quaquaversùs ſparſit: *Lettera d'un Cavaliere dimorante in Parigi ad un ſuo Amico in Italia.* Hæc tamen omnia unius artificis manu compacta tam certum eſt, quàm quod hoc ipſum tres illæ ſcriptiunculæ oſtendunt. Nam initio Italicæ Epiſtolæ, ea quæ in eadem continentur, auctorem habere dicuntur *un grand'Uomo, Dottore inſigne nella noſtra Sorbona, di cui ſi dice, che abbia ſu queſto ſteſſo argomento data alle ſtampe una breve, ma nervoſa e ſugoſa Operetta.* At cùm hactenùs binæ tantùm opellæ nempè Anonymi ſcrupuloſi, & Informatoris Theologi apparuerint, horum alter in eâ epiſtolâ magnus Vir ac Doctor inſignis ridiculè æquè ac fraudulenter obtruditur. Equidèm non geminos, ſed unum eundemque fuiſſe utriuſque ſcriptiunculæ auctorem inde palàm apparet, quòd eadem omnino objectant, iiſdem pariter periodis ac ipſiſſimis verbis loquuntur. Nam quæ apud Doctorem ſcrupuloſum à pagellâ 32. §. *En ſolemnis objectio &c.* uſque ad pag. 36. contexuntur, eadem iiſdem vocibus repetit Informator à paginolâ 20. §. *En ſolemnis objectio &c.* Quæ apud illum §. V. leguntur, ad verbum apud hunc §. VII. exſcripta exhibentur. Utraque opella eâdem S. Cœleſtini Papæ ſententiâ concluditur. Ita eadem manus, quæ ſcrupulos anteà ſeverat, eoſdem meliori ſubinde ordine in Informatione repaſtinavit; ut planè illud Terentii in Phormione Act. II. 1. reponere poſſim:

Unum cognoris: omnes noris.

Maximam tamen inter utrumque diſcrepantiam, ut ingenuè fatear, adnotavi, quòd alter *Noriſium*: alter verò *Noritium* ſcribit. Num hic veteres imitari maluit, qui teſte Quintiliano lib. 1. Inſtit. cap. 4. literam T vice S, uſurpantes, *pultare* pro *pulſare* ſcribebant? Ne tamen unus Noriſio adverſari cenſeretur, hæc initio præfatur: *Idcircò lectis accuratè plurimorum è noſtrâ Pariſienſi Facultate Doctorum animadverſionibus, eas excerpſi, & affero*, nempè ut Romanis Cenſoribus tot Theologorum ſecum conſpirantium numero ac præjudicio cogitationem, anxietatem, & fortaſſis etiam quidpiam metus injiciat. Extat comicum carmen in Captiv. III. 1. apud Plautum:

Pergo ad alios: venio ad alios: deinde ad alios; una res.

Cæterùm quàm procul à Sorbonâ Anonymus habitet, ſuperiùs à pag. 175. ſatis lepidè oſtendi; dum me præmonſtrante, veluti homo novus ac peregrinus rubore parique ſtupore plenus primùm didicit, quales quantive inſignes in Galliâ Scriptores, & hos inter etiam Socii Sorbonici Noriſii ſententiis ſuffragarentur. Profectò affirmare auſim hunc hominem ne ſemel quidem Sorbonam à limine ſalutaſſe; cùm tamen ſeſe Doctorem Sorbonicum & jactet, & geminet. Cùm anno abhinc viceſimo quidam ficto ſub nomine Huberti Carthuſienſis libellum evulgaſſet, inſcripto titulo; *Germanitates Cornelii Janſenii & Henrici Noris*; alter ex adverſo libellus prodiit inſcriptus: *Gerro germanæ Germanitatum Cornelii Janſenii & Henrici Noris*; quo planè ſcripto ad oculum demonſtratur, quot is paraſangis Noriſii ſententiæ a Janſenianis opinionibus diſtent. Eo ſanè libello Janſenianâ calumniâ depulsâ, Noriſii liber id temporis in ſupremo Romanæ Inquiſitionis tribunali examinatus, cenſurâ immunis evaſit. Hocce ſcriptum ſi Anonymo perſpectum fuiſſet, confuſam ac tot ante annos protritam delationem omiſiſſet. Anni ſunt duodeviginti ex quo Janſenii libros non legi, quos etiam anteà vix ſaltuatim attigeram, ſuetus puriſſimos Auguſtinianæ doctrinæ latices ex ipſiſmet potiùs S. Doctoris voluminum fontibus potare, quàm derivatas inde aliorum arte aquas, eaſque variâ invicem diſcordantium Scholarum interpretatione turbatas haurire. Verùm cùm Anonymus ſcrupulorum auctor Janſeniani voluminis perluſtrandi neceſſitatem imponat, neſcio queis & ipſe ſcrupulis memet pungi perſentiſco, veritus, ne quæpiam deinceps extrà proſcriptarum numerum, Janſeniana ſententia mihi adhæreſcat, ac malo fato, dum à Noriſio Janſeniſmi calumniam depello, ipſe interim tantillùm Janſenianus fiam, qui totus & eſſe, & haberi velim Auguſtinianus. Verùm cùm in librorum S. Auguſtini lectione plures annos verſatus ſim, ejuſdem tutiſſima ac inconcuſſa dogmata altiùs animo infixa hærent, quàm ut contrariæ quorumcumque doctrinæ locum dare poſſe videantur.

CAPUT I.

Binæ propoſitiones ab objectâ Janſenianâ affinitate vindicantur.

ANonymos auctor ſcrupulorum idemque Informator initio objicit, tantam eſſe ſententiarum Noriſii cum damnatis Janſenii erroribus affinitatem, ut nec unam inter utraſque diſcriminis lineam obſervare potuerit. At paucis oſtendam quàm lato inter ſe ſpatio disjungantur; & propoſitiones prout ab Informatore præformantur, adducam, quòd meliori ordine ibidem digeſtæ apparent.

§. I.

Prima Propoſitio Noriſii.

Tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati tametſi negata fuerit ipſi gratia proximè ſufficiens qua poſſet exequi mandatum.

HÆc eſt doctrina apud Theologos pervulgata, qui tradunt, ſatis eſſe potentiam remotam ad implendum

plendum

Digitized by Google

plendum præceptum, ut tranſgreſſor legis reus criminis habeatur, nec ſemper requiri ad legem violandam potentiam proximam ejuſdem implendæ. Ita docent Card. Bellarminus lib. 2. de grat. cap. 7. Suarez lib. 4. de grat. cap. 2. Pontius p. p. releꝰ. de grat. cap. ult. num. 6. Ruiz diſp. 39. de prædeſt. ſect. 2. Amicus diſp. 18. de grat. ſect. 3. Salmanticenſes tract. 14. diſp. 6. dub. 3. num. 90. Joannes à S. Thoma diſp. 10. de reprobat. num. 30. Gonetus diſp. 5. de reprob. art. 6. §. 2. aliique paſſim, & ipſimet Janſenii antagoniſtæ Decamps lib. 3. cap. 11. & Moraines diſp. 24. ſect. 1. Ut autem quæ totâ hac diſſertatione dicturus ſum, faciliùs percipiantur, notionem potentiæ remotæ ac itidem proximæ Franciſci Suarez inſignis Theologi verbis exponam. Hæc ille ſcribit lib. 4. cit. cap. 4. num. 6. Auxilium homini datum vel eſt illi tantùm oblatum, ut illud poſſit habere, ſi velit; & ſic auxilium illud, quod eſt actu receptum, nondum eſt proximè ſufficiens ad illum actum, ad quem illud auxilium præveniens dicitur eſſe neceſſarium, ſed tantùm remotè &c. ergo auxilium illud, quod ſupponitur actu datum, eſt proximè ſufficiens ad illam priorem diſpoſitionem, & ita ad illam includit omnia auxilia prævenientia actu data, & reſpectu ulterioris actus eſt tantùm remotè ſufficiens. Hæc ille, quæ alii etiam vulgò docent. Unum in diſputatione de gratiæ auxiliis magiſtrum Auguſtinum ſequar. Enimverò in lib. de Grat. & lib. arb. c. 17. ſcribit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidèm habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robuſtam.* Et anteà cap. 15. *Gratia Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut poſſit implere divina mandata, quæ voluerit, cùm valdè perfectèque voluerit.* Gratia illa, qua homo habet *bonam voluntatem* implendi præcepti, dicitur remotum auxilium ad implendum præceptum, quia cum eâ ſolâ gratiâ *non poteſt* mandatum facere, ſed indiget adjuvari ulteriori ac majori auxilio, quod dicitur auxilium proximum, à quo homo conſtituitur in potentiâ proximâ ad exequendum præceptum, ac ſinè ulteriori hoc auxilio habet potentiam tantùm remotam faciendi præcepti. Idem S. Doctor lib. 3. contrà Maximinum cap. 14. ſcribit: *Quis autem neſciat, aliud eſſe præceptum, aliud poteſtatem? Hoc enim habemus in poteſtate, quod cùm volumus, poſſumus. Præceptum verò id nobiſcum agit, ut quod jam eſt in poteſtate, faciamus. Si autem non eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt, impleamus.* Et in laudato c. 15. de Grat. & lib. arb. ait: *Ut homo qui voluerit, & non potuerit, noverit ſe plenè velle cognoſcat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata.* Gratia illa qua volumus juſſa facere, quæ non poſſumus, eſt remota; illa autem qua poſſumus facere quod volumus, eſt proxima, ita ut homo antequam oret pro impetrando ulteriori auxilio, non habeat niſi potentiam remotam, oretque pro proximâ poteſtate obtinendâ.

Jam verò ad peccandum ſatis eſſe potentiam remotam, nec proximam requiri, certum eſt placitum inter Theologos. Nam homo volens implere præceptum antequam oret pro proximâ poteſtate obtinendâ, non eamdem habet, ſed tantùm remotam, qui tamen ſi orationem omittens, præceptum tranſgrediatur, reus eſt peccati, quamvis caruerit potentiâ proximâ ad exequendum mandatum. Præterea habens conſcientiam vincibiliter erroneam, non habet potentiam proximam ad vitandum peccatum; ſiquidèm qui erroneè putat licitum eſſe furari ad ſuccurrendum pauperi, ſuppoſitò eo judicio practico vincibiliter erroneo, hìc & nunc nempè oblatâ occaſione furti, ac pauperis ſublevandi, neceſſitatur ad peccandum: Nam ſi non furatur, agit contrà conſcientiam, quæ licèt erronea, obligat, ut docent Theologi, cum S. Thoma 1. 2. quæſt. 19. art. 5. At ſi furatur, peccat contrà divinam legem furta vetantem, ut pariter docent iidem Theologi cum S. Auguſtino lib. 1. Oper. Imperf. contrà Julianum num. 46. & Angelico Doctore quodlib. 8. art. 13. ubi ait: *Illud quod agitur contrà legem, ſemper eſt malum; nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam.* Videſis Thomam Sanchez lib. 1. Summæ cap. 11. num. 12. ubi Doctores id docentes enumerat, quibus adde Gregorium Ariminenſem in 2. ſent. diſt. 28. q. 1. art. 2. Nuper id etiam aſſeruit Reverendiſſimus P. Thyrſus Gonzalez, qui de operante ex conſcientiâ vincibiliter erroneâ in Diſſert. 8. de recto uſu Opin. Prob. cap. 1. num. 6. ſcribit: *Ex ſuppoſitione illius conſcientiæ erroneæ eſt neceſſitatus ad peccandum.* Quæ neceſſitas à peccato non excuſat, quia non eſt neceſſitas abſoluta & ſimpliciter, ſed ex ſuppoſitione liberè inducta, & ſecundùm quid, ac proindè indirectè voluntaria, ob omiſſam diligentiam, qua erronea illa conſcientia poterat non induci. Porrò qui neceſſitatur ad peccandum, caret potentiâ ſaltem proximâ ad vitandum peccatum, cùm non poſſit non peccare, ac proinde caret gratiâ proximè ſufficiente ad abſtinendum à peccato, cùm gratia proximè ſufficiens ad evitandum peccatum, conferat proximam poteſtatem fugiendi peccati.

Nec juvat reponere operantem ex conſcientiâ erroneâ, habere potentiam proximam ejuſdem deponendæ. Nam id planè falſum eſt; nam qui in hæreſi eſt obſtinatus, & ſæpè ex conſcientiâ erroneâ operatur juxtà erroneas ſuæ ſectæ opiniones, ita haſce veras putat, ut non poſſit eaſdem momento abjicere. Hinc diuturniori inſtructione opus eſt, priuſquàm errore abjecto, ad Catholicam fidem convertatur. Quarè laudatus proximè P. Thyrſus Gonzalez diſſer. 3. cap. 2. §. 2, num. 25, docet *Hæreticum in eo inſtanti, in quo ſuis erroribus pertinaciter adhæret, non habere potentiam proximam ad aſſentiendum Myſteriis noſtræ fidei;* nec tamen inde hæretici excuſantur. Præterea qui operatur ex conſcientiâ erroneâ, judicat ſe debere hìc & nunc eamdem retinere; quocum judicio repugnat tunc poſſe illam deponi. Etenim gratia proximè ſufficiens ad eam conſcientiam deponendam, non eſt niſi illuſtratio intellectus, qua conſcientiæ error appareat; atqui tunc oppoſitam cognitionem habet, quia ea conſcientia ita ſibi vera videtur, ut oppoſitum judicet falſum omninò & erroneum. Cùm primùm de errore, cui adhæſit, cœperit dubitare, tunc incipiet ad proximam deponendæ erroneæ conſcientiæ poteſtatem accedere; & cùm certò ſectæ errores agnoverit, tunc ex illis inductæ erroneæ conſcientiæ deponendæ proximam poteſtatem habebit. Ex his conſtat tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati tametſi caruerit gratiâ proximè ſufficienti, qua poſſet exequi mandatum, quæ eſt ipſa Noriſii propoſitio.

Anonymus informator pag. 4. hanc alteram propoſitionem ſub prioris titulo exhibet: *Ex his colligitur quomodo Infideles peccent, non obſervando legem, quandoquidem ſinè fide manent tantùm ſub lege præcipiente, non ſub gratiâ proximè adjuvante.* Pag. 90. Vindiciarum. Nonne hæc ſentiunt paſſim Theologi? Suarez lib. 4. de Grat. cap. 18. num. 27. ait Pharaonem habuiſſe *ſufficiens auxilium ſaltem remotè ad credendum, & con-*

& conſequenter ad obediendum. Ruiz diſp. 46. de prædeſt. ſect. 8. num. 7. docet dari infidelibus *auxilium ſufficiens remotum.* Decamps lib. 3. de Hæreſi Janſen. cap. 14. ſcribit Judæos *propter antegreſſa peccata proximam credendi poteſtatem non accepiſſe.* Macedo in Scrinio Auguſt. cap. 11. pag. 160. de auxiliis datis Infidelibus ait: *Ea ſunt remotiſſima, & à Fidelium ſufficientibus tantùm diſtant, ut vix appellari auxilia poſſint.* Idem Informator ibidem alterum Noriſii dictum hiſce verbis exſcriptum profert: *Unde opera quæ Infideles faciunt, ſunt ſemper peccata pag. 90.* Si hæc tantùm Noriſius ſcripſit, profectò eo in dogmate totus eſt Bajanus, totus Janſenianus. Verùm fraudem accuſatoris integra Noriſii ſententia luce clariùs meridianâ manifeſtat. Nam eo loco hæc leguntur: *Unde opera quæ ipſi,* Infideles, *faciunt ſemper ſunt peccata, niſi ubi aliquando Deus quoſdam bonos actus ipſis neſcientibus, in eorumdem voluntate operatur.* An non jure Noriſius Anonymo reponere poſſet cum S. Auguſtino lib. 4. contrà Julianum cap. 8. *Redde verba mea, & vaneſcet calumnia tua?* Libeat hìc antitheſes Janſenii & Noriſii adjicere, ut Janſenianæ affinitatis calumnia brevium utriuſque propoſitionum collatione obteratur.

J A N S E N I U S.

IN fideles carent gratiâ ſufficienti ad ſalutem tam proximâ, quàm remotâ, & omnibus principiis ejus. Lib. 3. de gratiâ Chriſti, in titulo capitis 11. paginâ 126.

N O R I S I U S.

QUamvis enim Infideles careant auxilio proximè ſufficienti, habent tamen quadam auxilia remota, unde non patiuntur neceſſitatem antecedentem peccandi. In Vindiciis Auguſt. cap. 3. §. 6. pag. 44. Col. 1. v. 37.

J A N S E N I U S.

ECce quoties quàm densè, quàm inſtanter docet Auguſtinus eos, qui ſub lege poſiti ſunt, nullum adjutorium benè vivendi propter legem accepiſſe. Ibidem cap. 3. pag. 111.

N O R I S I U S.

CÆterùm omnibus hominibus adeſſe auxilium ſaltem remotum, mihi videor colligere ex Auguſtino in lib. de Naturâ & Gratiâ cap. 67. Ibidem pag. 45. Col. 1. v. 13.

J A N S E N I U S.

NUgæ, delirium, inſania, error, impietas contraria Chriſtianorum ſenſui, Scripturis, & fidei, quòd infidelium ſit ulla vera virtus, vel opero ſinè peccato juxtà Auguſtinum, & Concilium Arauſicanum. Lib. 4. de ſtatu Nat. lapſæ in titulo cap. 17. pag. 257.

N O R I S I U S.

SEd non adeò rigorosè de operibus Infidelium S. Doctor locutus eſt. Nam aliquos quandoque virtutum actus eoſdem elicere, palam conceſſit, ut ex dictis ſatis apparet. In Vindiciis cap. 3. §. 4. in fine, pag. 24. Col. 1. v. 20.

J A N S E N I U S.

HÆc oſtendunt, quàm parvi momenti ſit etiam iſtud, quod Auguſtinus dicit de Rege Aſſuero, quòd Deus juxtà ſcripturas, tranſtulerit indignationem ejus in lenitatem &c. Ex quo non video quâ ratione conficiatur, illam ejus voluntatem fuiſſe omni ex parte bonam. Lib. 4. cit. cap. 6. pag. 230. col. 1.

N O R I S I U S.

REſpondeo tertiò Infideles aliquos actus bonos elicere, ad quos à Deo præmoventur, qui profectò peccata eſſe non poſſunt. Tradit hoc disertè S. Doctor cap. 24. de gratiâ Chriſti, ubi recitato illo Scripturæ ſacræ teſtimonio Eſter XV. 2. convertit Deus, & tranſtulit indignationem ejus in lenitatem &c. *In Vindiciis cap. 4. §. 5. pag. 58. Col. 1. v. 41.*

J A N S E N I U S.

REſpondetur continentiam illam Polemonis fuiſſe bonam, ſed non opus bonum, cujuſmodi hic poſtulamus, hoc eſt, ſine omni peccato ex omnibus circumſtantiis. Ibidem cap. 5. pag. 230. col. 1.

N O R I S I U S.

PRæterea Epiſt. 130. continentiam Polemonis Philoſophi divinæ gratiæ deputandam ſcribit: Tamen, *ait,* ne idipſum quidem quod melius in eo factum eſt, humano operi tribuerim, ſed divino. *In Vindiciis cit. cap. 3. §. 4. pag. 21. Col. 2. v. 43.*

Hæccine, Lector optime, ſunt Janſenii ac Noriſii dogmata ſibi invicem affinia? hæ ſunt parallelæ utriuſque propoſitiones? hæc utriuſque Scriptoris effata ſimilia imò etiam ipſiſſima? Quæ major inter utriuſque theſes diverſitas eſſe potuit? quæ diſſimilior ſententiarum diſcrepantia excogitari.

C A P U T II.

Propoſitio Secunda.

Tali Auxilio proximè ſufficiente privari etiam juſtos, tùm cùm urget obſervatio alicujus mandati, quod non poteſt impleri ſinè gratiâ.

ANtequam poſitæ theſis veritatem oſtendam, notanda venit durior phraſis, quâ in deſcribendâ tùm hac, tùm alterâ ſuperiori propoſitione, Informator utitur. Nam in priori ait ex ſententiâ Noriſii tranſgreſſorem legis reum peccati fieri, *tametſi negata fuerit ipſi gratia proximè ſufficiens;* in hac verò poſteriori ait Noriſium aſſerere, *auxilio proximo ſufficiente privari etiam juſtos &c,* quaſi Noriſius dicat à Deo negari eam gratiam, & à Deo eâdem hominem privari, quâ loquendi formulâ ille aſſeruiſſe videatur, Deum habuiſſe decretum non dandi gratiam proximè ſufficientem, ex quo decreto Dei abſoluto ejus gratiæ privatio in homine reſultet; cùm tamen Noriſius ſcribat ex peccato Adami illam privationem gratiæ proximè ſufficientis ortam fuiſſe, ſeu Adamum ſibi ac poſteris gratiam proximè ſufficientem perdidiſſe, ita ut beneficio tantùm meritorum Chriſti Redemptoris hominis reſtituta fuerit. Hanc ſententiam, ut cæteros omittam, tradidere duo magni hujus ſæculi Theologi, Baſilius Poncius Auguſtinianus, qui 1. par. Relect. de grat. cap. 17. num. 10. ſcribit: *Quare in Adamo fuit auxilium proximè ſufficiens pro omni occaſione & inſtanti; in nobis non eſt proximè ſufficiens pro quibuſcumque inſtantibus, & pro multis vel aliquibus, tantùm eſt auxilium remotè ſufficiens &c.* Alter eſt Franciſcus Suarez maximus Doctorum Societatis Jeſu, qui idem docet lib. 4. de Gratiâ cap. 18.

num,

Digitized by Google

num. 19. cujus verba aurea, quia Auguſtiniana ſunt, paulò inferius recitabo; hìc altero ejuſdem teſtimonio Noriſianam theſim proximè confirmabo; tantam enim Noriſianæ cauſæ fiduciam habeo, ut ejus præcipuam defenſionem in unius Suarezii doctrinâ collocare non dubitem. Itaque Suarez in libro cit. cap. 4. num. 6. rectè cùm cæteris obſervat auxilium homini datum, vel eſſe illi tantùm oblatum, ut illud poſſit habere, ſi velit; & ſic auxilium illud, quod eſt actu receptum, nondum eſt proximè ſufficiens ad illum actum, ad quem illud auxilium præveniens dicitur eſſe neceſſarium, ſed tantùm remotè. Auxilium verò quod ſupponitur actu datum, eſt proximè ſufficiens ad illam priorem diſpoſitionem, & ita ad illam includit omnia auxilia prævenientia neceſſaria, actu data, & reſpectu ulterioris actûs eſt tantùm remotè ſufficiens. Hæc ad verbum ex Suario exſcripſi. Auxilium proximè ſufficiens ad reſiſtendum graviori tentationi illud eſt, quo habito, nihil ulteriùs adjutorii à Deo dandum ſupereſt, ut tentatio poſſit reapſe ſuperari. Auxilium verò remotum ad illam tentationem vincendum, eſt gratia orationis, qua poſſumus impetrare à Deo auxilium tantum, quantum neceſſarium eſt ad reſiſtendum tentationi. Hæc ſunt apud Theologos trita ac pervulgata.

His prænotatis, ſtatutam Noriſii theſim invictâ Synodi Tridentinæ auctoritate, uno præ cæteris interprete Suarez, ſolidè æquè ac clarè ſtabilio. In ſeſſ. 6. de Juſtificatione cap. 11. damnantur hæretici qui dicunt: *Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*; ac ſtatim præclara S. Auguſtini ſententia ex lib. de Nat. & grat. cap. 43. ſubjicitur: *Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Janſenius lib. 3. de gratiâ Chriſti cap. 13. pag. 135. eandem Concilii ex Auguſtino ſententiam referens, ait: *Tridentinum verò de juſtificatis expreſsè loquebatur, ut id oſtenderet, quod præmiſerat, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum non eſſe impoſſibilia, eò quòd jubendo Deus moneat petere quod non poſſis, & ſi exaudiat, adjuvet ut poſſis.* Ubi clauſulam illam: *& ſi exaudiat*, inſertam voluit, ut poſteà cap. 19. perſuaderet, quandoque hominem juſtum deſeri à Deo priuſquàm ipſemet juſtus delinquendo deſerat Deum; imò etiam cùm juſtus tentatione pulſatus, gratiam tentationi pellendæ neceſſariam à Deo ſuppliciter petit. At Noriſius in Vindiciis cap. 3. §. 6. pag 45. col. 1. non modò Janſenianam clauſulam, ſeu conditionatum illud additamentum omittit, ſed etiam oppoſitam abſolutam propoſitionem ex tract. 53. S. Auguſtini in Joannem adducit, ubi S. Doctor ait: *Sed audiamus Dominum & præcipientem, & opitulantem, & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere poſſimus.* At enim ex priori illâ S. Auguſtini ſententiâ Synodali repetitione conſecratâ, probat ibidem Noriſius quandoque inſtante præcepto, deeſſe homini juſto gratiam proximè ſufficientem, ad implendum mandatum. An non hæc anteà Suarez demonſtravit? Ita Vir inſignis lib. 4. de Grat cap. 2. num. 3. laudatam ſacræ Synodi ex Auguſtino ſententiam expendit: *Nam illud verbum*, facere quod poſſis, *indicat eum, cui hoc jubetur, habere auxilium proximè ſufficiens; tum quia ab illo immediatè poſtulatur, ut faciat; tum quia hoc ſolùm diſtinguitur illa poteſtas ab ea, quam Concilium indicat in ſubjunctis verbis*: & petere quod non poſſis *nam in his inſinuat auxilium remotè ſufficiens: nam qui nondum poteſt, nondum habet auxilium proximè ſufficiens.* Hæc Auguſtiniana ac Catholica ſententia adeò clara eſt, ut majori explicatione admota, obſcurari potiùs poſſit, quàm indè quidpiam lucis accipere. Nam dum dicitur *facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*, verba illa *poſſe & non poſſe* prout potentiam activam tantùm reſpiciunt ſinè ordine ad terminum ſive actum eliciendum, contradictoriè opponuntur, undè illa affirmant id quod altera negant; ſed priora adſtruunt in homine juſto potentiam proximam faciendi præcepti, ergo verba *non poſſis* negant in homine juſtificato eandem potentiam proximam obſervandi præcepti. Ex his ſyllogiſmum expediamus. Qui non habet potentiam proximam obſervandi præcepti, habet privationem auxilii proximè ſufficientis, ſed juſtus quandoque urgente præcepto non orans, non habet potentiam proximam obſervandi præcepti; ergo tunc habet privationem auxilii proximè ſufficientis. Major propoſitio eſt certa, quia ab auxilio proximè ſufficienti conſtituitur formaliter & eſſentialiter potentia proxima in juſto ad obſervandum præceptum. Decretoria Suarez ſententia eſt lib. 4. cit. cap. 4. num. 3. *Tunc dicitur auxilium proximè ſufficiens, quando conſtituit hominem in actu primo proximè potentem ad operandum.* Minor eſt doctrina Synodi Tridentinæ ex Auguſtino deſumpta. Concluſio eſt theſis ipſiſſima Noriſii, quam Informator uti erroneam & Janſenianum dogma proponit. Michael de Elizalde, quem ob acumen ingenii mirari ſæpè ſoleo, lib. 5. de rectâ doctr. morum quæſt. 12. §. 4. pag. 68. ferè indignatus quoſdam legis tranſgreſſiones ob voluntariam impotentiam commiſſas, à peccato excuſare, ait: *Vos dicitis* poteſt. *Concilium, & Auguſtinus dicunt*, non poteſt; *& ego Auguſtino, & Concilio crediderim. Atque utinam in peccatoribus habitualibus non ſint hujuſmodi impotentiæ permultæ conſequenter &c.*

Præterea hæc carentia auxilii proximè ſufficientis in juſtis quandoque etiam urgente præcepto, probatur ex Epiſtolâ Africanorum Patrum ad S. Innocentium Papam, quæ 95. eſt inter Auguſtinianas, ubi cùm egregiè notaſſent hominem juſtum in Dominicâ oratione dicere: *Ne nos inferas in tentationem*, nec orare, ut ſit homo, nec ut habeat liberum arbitrium, aut legem, *neque remiſſionem peccatorum*, quam antè oraverat, illis verbis: *Dimitte nobis &c.* ſcribunt: *Orat ergo ut non peccet*, *hoc eſt*, ne quid faciat mali. *Undè ſatis apparet quod ad non peccandum*, id eſt *ad non malè faciendum, quamvis eſſe non dubitetur arbitrium voluntatis, tamen ejus poteſtas non ſufficiat, niſi adjuvetur infirmitas. Ipſa igitur oratio clariſſima eſt gratiæ teſtificatio.* Homo juſtus jam per habitus inſuſos conſtitutus in ordine ſupernaturali, ob virium infirmitatem indiget oratione, quia *ejus poteſtas non ſufficit* ad tentationes ſuperandas; & hoc quid aliud eſt, quàm ipſum habere privationem potentiæ proximæ ad implenda præcepta: Sanctus Doctor in Serm. 2. de Verbis Apoſtoli, ait: *Verum eſt: magnas arbitrii liberi vires homo, cùm conderetur, accepit, ſed peccando amiſit. In mortem lapſus, infirmus factus eſt*; & factâ comparatione cum vulnerato à Samaritano curato Lucæ cap. 10. addit: *Sed ſufficit*, inquit, *mihi, quòd in baptiſmo accepi remiſſionem omnium peccatorum. Nunquid quia deleta iniquitas, finita eſt infirmitas?* Idem S. Doctor lib. de Dono perſev. cap. 7. eadem verba Dominicæ orationis expendens, ait: *Qui enim non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo. Non eſt hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt, fuerat in homine antequam caderet.* At Adam habuit gratiam proximè ſufficientem, undè idem S. Doctor ſcribit in lib. de Corrept & grat. cap. 11. *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homi-*

ni;

ni, quum primùm facti ſunt, defuiſſet, quoniam non talis natura facta erat, ut ſinè divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſet. Igitur natura humana ob peccatum Adæ amiſit vires ad faciendum bonum, quas ille habuit proximas & expeditas ad obſervanda divinæ mandata; hæc de eodem ac uxore dicente Auguſtino conc. 9. in Pſal. 118. *Sic à mandato Dei, quod ſibi Deum mandaſſe ſciebant, & quod faciliimè nullâ infirmitate revocante, impediente, tardante implere poterant, per hanc ſuperbiam declinarunt.* Scribit in lib. de Corrept. & gratiâ cap. 12. Adamum *in tantâ non peccandi facilitate* peccaſſe, cùm ei, ut ait lib. 1. Retract. cap. 15. *ab opere malo abſtinendi ſumma poteſtas erat.* Et ut plurima alia S. Doctoris teſtimonia brevitatis gratiâ omittam, præclariſſimam ejuſdem ſententiam recito ex lib. 6. Oper. imperf. con. Julianum num. 15. ubi ait fideles dicere: *Ne nos inferas in tentationem, propter hoc utique ne mala faciamus; unde & Apoſtolus dicit:* Oramus autem ad Deum, ne quid faciatis mali. *Quod ſi ita eſset in poteſtate, quomodo fuit antè peccatum, priuſquàm eſset natura humana vitiata, NON utique poſceretur ORANDO, ſed AGENDO potiùs teneretur.* Et ſtatim: *Ideò in hoc agone magis nos Deus voluit orationibus certare, quàm viribus, quia & ipſas vires, quantas hìc habere nos competit, ipſe ſubminiſtrat certantibus, quem rogamus.* Ex tot locupletiſſimis ſententiis colligimus, Adamum habuiſſe magnas arbitrii vires, ſummam ac tantam non peccandi poteſtatem; at ob peccatum Adæ homines evaſiſſe infirmos, amiſiſſe vires, eaſque Dei gratiâ ſubminiſtrari. At vires ſe tenent ex parte actûs primi, cùm corroborent potentiam, eamque compleant ad actum eliciendum. Hinc quò plus virium ac potentiæ habemus ad aliquid faciendum, eò minus indigemus rogare alterius auxilium ad illud exequendum; *Quis enim*, inquit Auguſtinus conc. 4. in Pſal. 118, *ſe dicat optare, quod ſic habet in arbitrii poteſtate, ut nullo indegens adjutorio, id poſſit efficere;* quæ repetit lib. 2. de Pec. mer. cap. 6. Hac ratione nullus homo ſani corporis rogat Deum, ut poſſit manum elevare, pedem movere, oculos aperire, quia jam ſcit ſe integras vires ac potentiam proximè expeditam cum ordinario Dei concurſu, ad eos motus faciendos habere. Si verò oculus humore contrario inficiatur, aut pes podagrâ laboret, tum homo Deum rogat, ut utrique membro deperditam ſanitatem ac vires priſtinas ad videndum, ac ambulandum reſtituat. Jam verò in Adamo tantæ erant vires, tanta poteſtas faciendi mandati, ut non indiguerit, teſte Auguſtino, oratione ad majores vires impetrandas. Quid enim plus virium petiiſſet *in tantâ non peccandi facilitate*? At homo etiam juſtificatus, cùm ſit viribus deſtitutus, debilis, ac infirmus, non habet eam plenam ac proximè expeditam poteſtatem implendi mandata, undè eandem cogitur orando, à Deo impetrare. Hæc infirmitas oritur ex rebelli concupiſcentiâ, ut patet ex Apoſtolo cap. 7. Epiſt. ad Romanos, cujus verba egregiè hanc in rem expendit Card. de Lauræâ Opuſc. 3. de grat. act. cap. 7. & 13. Eadem ſcribit idem Apoſtolus ad Galatas cap. 5. *Caro concupiſcit adverſùs ſpiritum &c. ut non ea quæ vultis faciatis.* Quem textum appellans S. Doctor lib. 6. Oper. imperf. con. Julianum num. 8. ait: *Ubi tu, qui negas liberum arbitrium vires ſuas perdidiſſe peccando, id eſt malè ſe utendo, quid reſpondebis audiens, quòd carne concupiſcente adverſùs ſpiritum, non ea quæ volunt, faciant & fideles; non ea quæ volunt, faciant etiam hi, quibus ſunt in baptiſmo dimiſſa peccata &c.* Ita juſti patiuntur virium defectum, ac carent potentiâ plerumque proximâ & expeditâ ad implenda præcepta. Et propterea ſacra Tridentina Synodus ſeſſ. 6. de Juſtificat. cap. 1. tradit non eſſe ob Adami peccatum extinctum liberum arbitrium, *viribus licèt attenuatum & inclinatum;* quæ virium attenuatio non aliud ſignificat, quàm privationem potentiæ proximæ & expeditæ, qualis fuerat in naturâ hominis antè Adami peccatum.

CAPUT III.

Antitheſes Janſenii & Noriſii de potentiâ proximâ ad orandum urgente præcepto.

QUæ hactenùs dicta ſunt; Anonymo ſcrupulorum & Informationis auctori non multùm diſplicere poſſunt, cùm fateatur etiam juſtos quandoque carere proximâ potentiâ adimplendi præcepti, habere eos tamen remotam, qua nempè poſſunt orare: quæ remota in ordine ad orationem eſt proxima; ideoque ait damnatam primam propoſitionem Janſenii, non quia ſimpliciter aſſerit, *aliqua Dei præcepta juſtis &c. eſſe impoſſibilia*, ſed quia addit, *deeſſe quoque gratiam quæ poſſibilia fiant;* cùm poſſint orare Deum pro impetrandâ gratiâ neceſſariâ ad obſervationem præcepti, unde meritò ob illam ultimam clauſulam ea propoſitio ab Apoſtolicâ Sede damnata fuit. Verum Auctor Scrupulorum pag. 15. ſcribit Noriſium Janſenio ſimiliter tradere: *Siquidèm*, inquit, *eo judice, quiſquis præceptum aliquod violat, is neque habuit potentiam proximam hujus exequendi; neque rursùs potentiam proximam orandi, ſive aliud quid agendi, per quod poſſet obtinere auxilium, quo indiget &c.* Ita tota Janſeniſmi nota in eo apparet, quod Noriſius inſimulatur negaſſe juſtis inſtante præcepto proximam poteſtatem orandi, ut mediâ oratione gratiam adimplendo mandato neceſſariam, impetrent. Hæc importata Noriſio calumnia nullâ evidentiori demonſtratione confutari poteſt, quàm utriuſque ſcriptoris ſententiis unà ſimul ſub aſpectum expoſitis. En tibi, candide Lector, Janſenii ac Noriſii antitheſes.

JANSENIUS.

QUiutum itaque ex eodem principio conſentaneum eſt, plurimis non dari iſtam faciendi præcepti poſſibilitatem, quæ precibus implorari ſolet. Lib. 3. de grat. Chriſti cap. 13. pag. 139. col. 1.

JANSENIUS.

CUm nec omnibus gratiam vel ferventer petendi, vel OMNINO petendi Deus largiatur, apertiſſimum eſt fidelibus multis deeſſe illam ſufficientem gratiam, quam quidam prædicant faciendi præcepti, facultatemque. Ibidem pag. 140. col. 1.

JAN-

NORISIUS.

QUarè cùm urgente quolibet præcepto, POSSIT HOMO ORARE DEUM, ut gratiam ad illius præcepti impletionem largiatur, ſignum eſt, gratiam illam non adeſſe ſemper in omnibus & ſingulis momentis. In Vindiciis cap. 3. §. 6. pag. 42. Col. 1. v. 47.

NORISIUS.

QUarè cùm inſtante quolibet præcepto legis, homo non irriſoriè, ſed veraciter DEUM ORARE DEBEAT, ut ſibi gratiam donet ad faciendum mandatum, ſignum eſt gratiam neceſſariam ad exequendum opus imperatum non adeſſe in omnibus & ſingulis momentis. In Vind. cit. eadem pag. col. 2. v. 65.

NO-

JANSENIUS.

ITa diſcimus non ſolùm Judæis, ſed & Chriſtianis non ſolùm carnalibus, ſed & ſpiritualibus gratiam talem ſufficientem ad id faciendum, quod jubetur, frequenter ſubtrahi, atque ita ſubtrahi, ut nec pro tali gratiâ adipiſcendâ, deprecandi ſimiliſ ſufficiens gratia habeatur. Lib. 3. de gratia Chriſti cap. 5. p. 113. col. 1.

Haud hìc opus eſt benignas interpretationes compingere, & machinis aliquid ſaltem diſcrepantiæ trahere, ut Noriſii ſententia à Janſenii opinione diverſa judicetur. Utriuſque effata contraria ſibi invicem ita apparent, ut monſtro propior videatur eorum ſimilitudo, quæ ab Anonymo tantâ confidentiâ obtruditur. Janſenius affirmat plurimis juſtis urgente præcepto, non dari ejuſdem faciendi poſſibilitatem, quæ precibus impetrari ſolet. Ita Janſenio docente, plures juſti urgente præcepto, non poſſunt orare. At Noris ſcribit: *Urgente quolibet præcepto poteſt homo orare Deum ut &c.* An non hæc utriuſque dicta contradictoriè opponuntur? Scribit Noriſius eodem loco, *quolibet inſtante præcepto hominem debere orare*, ut Deus ſibi gratiam ad exequendum mandatum largiatur. Jungimus utrumque effatum: *Homo inſtante quolibet præcepto poteſt, & debet orare Deum, ut ſibi gratiam ad illius implecionem largiatur.* Atenim Informator pag. 11. inquirit, *quare Noriſius ne verbo quidèm oſtendit, id quod tantoperè ad rem præſentem pertinebat &c. juſtum hunc non quidèm habuiſſe vincendæ tentationis potentiam proximam, ſed habuiſſe proximam orandi, vel agendi aliquid aliud, ex quo infallibiliter ſecutura fuiſſet potentia proxima vincendæ tentationis.* Quid ais, ne verbo quidèm id Noriſius oſtendit? Quid hæc verba, cùm Latinè ſapias, ſignificant, *urgente quolibet præcepto poteſt homo orare Deum?* Eſtne præceptum vincendæ tentationis? Ita planè, inquies, ergo ex Noriſii effatis tunc homo poteſt & debet orare Deum, ut gratiam ſibi conferat ad tentationem vincendam. Ite nunc, & ſcrupulorum aciem denſate, & Informationes efformate, ut doctiſſimis Cenſoribus Noriſii Janſeniſmum demonſtretis, utque imperitis ac plebeis Italicis ſcriptiunculis fucum faciatis. Acclamatis ex ſtatutis à Noriſio principiis Janſenianum dogma manifeſtè deduci. Iſtæ ſunt tam bellæ tamque bonæ illationes, iis planè perſimiles, quibus in diſputatione hiſtoricâ inſerebatis, ab eodem infallibilitatem Apoſtolicæ Sedis in rebus fidei ſubverti.

Opponit Informator pag. 13. perperam à Noriſio ſcribi hominem privari potentiâ, ſive gratiâ proximè ſufficienti, ſi ea ipſo tempore offertur. *Sanè*, inquit, *privari dicimur non eo omni quod abeſt, ſed eo quod vellemus;* additque privationem gratiæ non accipi pro qualibet abſentiâ gratiæ, ſed pro abſentiâ cum impotentiâ obtinendi; velutì luce privari dicitur non quicunque non videt, ſed qui non videt, nec videre poteſt. Nam qui lubens volenſque lucente Sole oculos claudit, is privari luce non dicitur, quia penès eum eſt, ut aſpiciat. Hæc Informator. Verùm Noriſius non dicit, ut jam prænotavi, hominem privari gratiâ, quaſi Deus id ſuo decreto ſanciverit; cùm enim offerat gratiam, ſi oret, qui fieri poſſit, ut Deus habeat abſolutum decretum gratiæ denegandæ? Scribit ille hominem ex peccato Adæ incidiſſe in privationem potentiæ proximæ, ſervandæ legis. Quòd ſi Deus gratiam proximè ſufficientem nolit dare, niſi ab homine exoratus, jam decretum largiendi gratiæ, aut denegandæ, eſt conditionatum, nempè ſi homo oret, aut non oret. Si

NORISIUS.

NAm dum petis, ut poſſis, *profectò ſentis te urgeri præcepto, & ſimul cognoſcis te deſtitutum gratiâ proximè ſufficienti ad opus implendum, undè ORAS, ut eandem tibi Deus largiatur. In Vindiciis loco citato pag. 43. col. 1. v. 27.*

quis alteri quidpiam ſub conditione promittat, nonne is habebit rei promiſſæ privationem, quouſque poſitam conditionem adimpleat? Exemplum de illo, qui volens oculos claudit, ne videat, eſt prorsùs impertinens. Nam privatio potentiæ proximæ non eſt liberè ſibi ab homine inducta, ſed eſt pœnalis infirmitas voluntatis, ac cæcitas intellectus, quo duplici vulnere humana natura Adamo peccante contabuit. Hæc in lib. 3. de Lib. arb. cap. 18. docet Auguſtinus: *Homo nec habet in poteſtate, ut bonus ſit: ſive non videndo qualis eſſe debeat, ſive videndo, & non valendo eſſe qualem debere eſſe ſe videt. Pœnam iſtam eſſe quis dubitet?* Homo cæco oculo mentis natus eſt, coactus, ut ait idem lib. de Nat. & grat. cap. 15. *medicum quærere, qui cæci oculos ſanaret, & videndi poſſibilitatem reſtitueret, quæ fuerat amiſſa per cæcitatem: quoniam cæcus puto quòd velit videre, ſed non poteſt; ſi autem vult, & non poteſt, ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas.* Barbaris nationibus hæc pœnalis cæcitas incubat; at juſti baptizati, fide jam ſciunt quid ſibi agendum eſt, edocti divina mandata. At ipſos alterum pœnale malum, nempè virium infirmitas premit, *videndo, & non valendo eſſe quales debere eſſe ſe vident.* Audis quid divinæ gratiæ Doctor maximus dicat? *Ineſt voluntas, ſed amiſſa eſt poſſibilitas.* Hæc quid aliud eſt quàm privatio potentiæ proximæ expeditæ ad faceſſenda præcepta? Sine igitur hunc orare Deum, ut pœnalem privationem gratiæ proximè ſufficientis dono diſpellat.

Rursùs objicit Informator pag. 9. *Noriſius negat*, inquit, *Infidelibus adeſſe gratiam orationis, aut ullum modum impetrandi auxilii proximè ſufficientis, neque enim ullum agnoſcit ſeclusâ fide, qua illi carent; vult tamen eos non excuſari, quia habent auxilia quædam remota.* Equidèm rectè Noriſius negat adeſſe Infidelibus gratiam orationis, id enim ex manifeſtâ Apoſtoli ſententiâ prædocuit S. Auguſt. in Epiſt. 170. ad Vitalem, ubi de infidelibus nuper converſis ad fidem ait: *Et velle incipiunt quod nolebant, & habere fidem, quam non habebant, quod ut fiat in eis, oratur pro eis, quamvis non oretur ab eis.* Ipſi enim quomodo invocabunt, in quem non crediderunt (Rom. X. 14.) *Cùm verò factum fuerit quod oratur, ei qui fecit, aguntur gratiæ, & pro eis, & ab eis.* Idem de Paulo Apoſtolo ait ſerm. 36. *Et ut oſtenderet fidem fontem eſſe orationis, nec poſſe ire rivulum, ubi caput fontis ſiccaretur, adjunxit, atque ait,* Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? *Ergo, ut oremus, credamus &c.* Etenim ſi infideles orarent Deum, non poſſent non credere, Deum ſibi ipſis opem laturum; non ergo eſſent infideles, quippè qui orantes, in Deum ac Deo crederent. Noriſius in Vindiciis cap. 3. §. 4. pag. 22. col. 1. oſtendit ex S. Auguſtino in lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 7. Cornelium Centurionem piis eleemoſynis impetraſſe divinam gratiam, qui Centurio, ut ait S. Doctor, *nec tamen ſinè aliquâ fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?* Jam ſuperiùs adverti à Theologis auxilia ſufficientia data infidelibus, appellari ab ipſis *remota*, & *remotiſſima*; in quo autem conſiſtant, non conveniunt Scholaſtici, & Pater Macedo in Scrinio Auguſtiniano cap. 11. prolixâ diſputatio-

ne

dubios monſtrat & incertos quoſcumque modos, quibus hactenùs Doctores hæc remota auxilia ſufficientia infidelibus à Deo collata explicarunt. Et ut cæteros omittam, Vaſquez 1. 2. diſp. 189. cap. 14. & alibi tradit ea auxilia remota conſiſtere in cogitatione congruâ ordinis naturalis, quæ eſt gratia itidem ordinis naturalis, qua ſi benè utantur infideles ſervando legem naturalem, Deus poſteà confert iiſdem gratiam proximè ſufficientem ordinis ſupernaturalis qua proximè poſſint ad fidem converti. At Suarez lib. 4. de Grat. toto capite 14. acerrimè hoc auxilium ſufficiens ordinis naturalis eo fine à Vaſquio invectum confutans, in fine concludit: *Propter hæc ergo non videtur per illum dicendi modum convenienter fieri ſatis difficultati propoſitæ, nec ſufficienter vitari Semipelagianorum doctrina.* Et cap. 15. num. 19. ait in opinione Vaſquez *non recedi in re ipsâ à ſententiâ Caſſiani & Fauſti*, qui duo fuerunt Semipelagianorum factionis principes. Idem verò Suarez aliorum opinionibus gravi rationum pondere protritis, tandem cap. 15. num. 38. concludit conditionem, ſub qua Deus promiſit infidelibus & omnibus adultis *Proximum auxilium ſufficiens ad ſalutem, ſeu fidem, eſſe negativè intelligendam, id eſt, ſi homo ex parte ſuâ impedimentum divinæ vocationi non poſuerit.* Verùm Vaſquez in 1. p. diſput. 91. cap. 12. num. 98. hanc conditionem *per accidens removentem ſola impedimenta* ad recipiendam gratiam, vocat aſſertum, *quo ſanè*, inquit, *meo judicio multi Maſſilienſes contenti eſſent.* Viden', utì duo iſti Theologi celeberrimi in exponendâ notione auxilii remoti infidelibus collati, mutuò ſibi Semipelagianiſmum objiciunt. Itaque Noriſius in re dubiâ & obſcurâ explicatu dixit pag. 92. Vindiciarum, dari infidelibus à Deo auxilia tantùm remota, nempè cogitationes quaſdam bonas, ſed adeò debiles, ut voluntatem ad virtutem non pertrahant, cùm eadem longo ſcelerum uſu obcæcata indureſcat.

§ I.

Noriſius admittit etiam in ſtatu naturæ lapſæ adjutorium ſine quo non, *ſecùs Janſenio ſentiente. Eo adjutorio fiunt actus boni minùs perfecti. Actus intellectus ac voluntatis conſtituentes potentiam proximam orandi ex ſancto Auguſtino demonſtrantur. Ejuſdem celebris ſententia:* Quæ lex imperat, fides impetrat, *exponitur.*

AD Triarios ventum eſt. Hìc enim præcipua difficultas ab Informatore pag. 10. Noriſio oppoſita, ſuperanda eſt, quod plenè præſtare nequeo, niſi plura explanando, quæ hocce argumentum aſperant, multiſque curam non mediocrem injiciunt. Noriſius in Vindiciis cap. 2. pag. 8. col. 1. oſtendit ex S. Auguſtino contrà Janſenium nos interiori Dei gratiæ reapſe reſiſtere, ubi hæc ait: *Cùm adjutorium miniſtratum Angelis antè lapſum, dari etiam in ſtatu naturæ lapſæ quibuſdam, aliis in pœnam peccati non dari, cùm, inquam, iſta* Auguſtinus *docet, de alterâ gratiæ ſpecie debili, incongruâ, & remotè ſufficienti loquitur.* At Janſenius toto lib. 2. de gratiâ Chriſti conatur oſtendere adjutorium Angelis ac primo homini innocenti collatum, nulli in naturâ lapsâ conferri, & huic eſſe prorſus inutile; & cap. 29. pag. 88. col. 2. ait: *Auguſtinus docet adjutorium Angelorum & primi hominis fuiſſe duntaxat* ſine quo non, *ſecundi hominis*, quo, *quod ſexcenties nobis eo modo interpretatur.* En alterum & quidèm maximum ac capitale Noriſianæ doctrinæ à Janſeniana diſcrimen. Interim quòd ille ſcripſit hominem gratiæ *remotè ſufficienti* reſiſtere, Informator utraque voce arreptâ, hoc ratiocinio Noriſium impugnat pag. 10. (Præterea gratiam, cui reſiſtitur, declarat eſſe dumtaxat remotè ſufficientem: quibus verbis apertè demonſtrat juſtos, qui urgente tentatione, orare negligunt, non habere gratiam proximè ſufficientem ad orandum ſicut oportet; ſi enim haberent, non eì reſiſterent, ut ipſe contendit, orarent ergo, & exaudirentur; ſicque non deeſſet illis auxilium proximè ſufficiens vincendæ tentationis. At non orant; undè nec habent auxilium proximè ſufficiens ad orandum) Ita ille argumentatur.

Noriſius utì proximè notabam, affirmat etiam in ſtatu naturæ lapſæ dari adjutorium *ſine quo non*, ſecùs ac Janſenius contendit, quod quidèm adjutorium efficit in nobis, ut loquitur P. Macedo in Scrinio laudato cap. 6. pag. 65. *voluntates parvas & infirmas, non validas & robuſtas, quibus præcepta non implentur.* Adjutorium verò *quo* ſemper eſt efficax, atque reddit voluntatem magnam, validam, ac robuſtam. Porrò illud adjutorium *ſine quo non* in ſtatu naturæ lapſæ eandem notionem retinet, quam in naturâ integrâ habebat, atque adeò ut agat, motum voluntatis cui idemmet cooperatur, expectat, utì fuſiùs explicat S. Doctor in lib. de Cor. & grat. cap. 11. & 12. qui eo cap. 11. hæc etiam ſcribit: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, quum primùm facti ſunt, defuiſſet &c. non utique ſuâ culpâ cecidiſſent. Adjutorium quippè defuiſſet, ſinè quo manere non poſſent. Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt: quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur, non ſecundùm debitum, ET TANTO AMPLIUS datur per Chriſtum D. N. quibus id Deo dare placuit, ut non ſolùm adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, verùm etiam tantum ac tale, ut velimus.* In priori parte recitatæ doctrinæ deſcribi auxilium ſinè quo non purè ſufficiens, omnes concedunt. Cùm verò ait *quibus autem datur*, idemmet adjutorium *ſinè quo non* deſignat. At cùm addit *& tantò ampliùs datur*, exprimit adjutorium *quo*, ſive gratiam efficacem. Jam verò adjutorio *ſinè quo non*, movetur voluntas ad eliciendos actus debiles, nempè deſideria, conatus, orationes minùs fervidas, pro adimplendis mandatis, in ordine ad quorum executionem adjutorium *ſinè quo non* eſt tantùm auxilium remotum, impetratorium tamen auxilii *quo*, ſive gratiæ efficacis ac victricis, qua ſolâ mandata reapſe implentur. Hinc laudato loco pag. 65. Macedo ſcribit: *Igitur ad hujuſmodi actus imperfectos, quæ ſunt inchoata deſideria boni in peccatoribus & juſtis, iſtud adjutorium* ſine quo non *& exigitur, & invenitur.* Auguſtinus lib. de Grat. & libero arb. cap. 17. ſcribit: *Qui vult ergo facere Dei mandatum, & non poteſt, jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam.* Illa bona voluntas eſt ab adjutorio *ſine quo non*, quo deſiderium præcepti implendi excitatur; qui tamen motus eſt invalidus, niſi adjutorium *quo* roboretur. Plura ad hoc ipſum habet S. Doctor in ſuperiori cap. 15. *Ut homo qui voluerit, & non potuerit, nondum ſe plenè velle cognoſcat, & oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata;* tanta autem voluntas habetur ab adjutorio *quo*; prior verò quæ eſt purum deſiderium, ex adjutorio *ſinè quo non* derivatur. Et in lib. de Nat. & grat. cap. 15. *Conetur ergo*, inquit, *anima domare linguam, & dum conatur, poſcat auxilium, & oret lingua, ut dometur lingua.* Ille conatus & oratio ſunt cum adjutorio *ſinè quo non*; ipſam vero linguam reapſe domare, eſt effectus adjutorii *quo*, ac gratiæ victricis. Hoc ipſum probatur ex lib. S. Doctoris de Nat. & grat.

cap.

Digitized by Google

cap. 68. ubi cùm dixiſſet, Deum non præcipere impoſſibilia, ait: *Hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Igitur opera facilia, ſeu actus bonos minus perfectos facere poſſumus abſque eo, quòd majus & ulterius auxilium à Deo poſtulemus: quod tamen in actibus perfectioribus ac difficilioribus ſupplicitee petendum eſt. Idem in Epiſt. 89. ad Hilarium ſcribit: *Qui a etſi poſſit, antequam petat, quid ei prodeſt, niſi illi agat gratias ex eo quod poteſt, à quo petendum eſt quod nondum poteſt?* Hic S. Doctoe loquitur de potentiâ proximâ nondum actum bonum operante; ſiquidèm ait: *etſi poſſit, antequam petat*; aliàs ſi jam actum bonum eliceret, irriſoriè peteret, ut poſſet elicere. Quarè illud adjutorium eſt *ſinè qua non*, conſtituens voluntatem in potentiâ proximâ ad faciendos actus bonos remiſſos ac minùs perfectos, abſque eo quòd indigeat ulterioeis auxilii additione, quod tamen petendum eſt, cùm vult agere *quod nondum poteſt*, nempè actus bonos validiores ac perfectiores, qui, quas actu habet, vires exuperant.

Cæterùm manifeſtum eſt potentiam ad orandum, debere eſſe proximam in juſto ſive fideli; nam ſi fidelis ſit in potentiâ remotâ ad ſimpliciter orandum (non enim hìc loquor de fervidâ & diutueniori oratione) non habet is aliam potentiam proximam pro impetrandâ oratione, aliàs procederetue in infinitum. Quomodo autem homo fidelis habeat ſemper, niſi ipſemet obicem ponat, potentiam proximam ad orandum, ex Auguſtinianâ doctrinâ paucis exponam. Ut quis ſit in potentiâ proximâ ad orandum pro impetrandâ gratiâ efficaci ad implendum præceptum, debet priùs credere illud ſibi à Deo præcipi. Auguſtinus conc. 17. in Pſal. 118. ait: *Quid eſt ergo mandatis tuis credidi, niſi credidi, quòd tu illa mandaveris, non aliquis homo.* Præter hunc actum fidei, quo creditur Deo jubenti, requiritur actus dilectionis in voluntate, quo homo deſiderat exequi id, quod ſibi à Deo præcipitur; undè S. Doctoe laudato cap. 17. de Grat. & lib. arb ait; *Qui vult ergo facere Dei mandatum, & non poteſt &c.* ideò enim orat pro adimplendo præcepto, quia vult ſeu deſiderat implere præceptum. Hinc S. Fulgentius lib. 1. de Verit. prædeſt. cap. 17. exponens brevem illam Apoſtolorum orationem: *O Domine, auge nobis fidem*, Lucæ XVII. 5. ait: *Quia gratia, quæ illis initium fidei contulerat, ipſa in eis augendæ deſiderium ſuſcitabat.* Cognitio præcepti eſt ex gratiâ illuminationis in intellectu; deſiderium verò faciendi præcepti ex inſpiratione ſanctâ in voluntate. Præter ambos actus, requiritur tertius actus intellectus, quo homo cognoſcit, ſe non habere vires ad exequendum mandatum, ſuamque infirmitatem edoctus, vi duorum actuum præcedentium conſtituitur in potentiâ proximâ ad orandum. Nam cùm fidelis experiatur, ſe à rebelli concupiſcentiâ in contrarium trahi, ſeque fieri invalidum ad faciendum præceptum, eâ ipsâ cognitione propriæ infirmitatis repercuſſus, ex fide ac dilectione præhabitâ, proximè excitatue ad poſtulandum auxilium. Auguſtinus Epiſt. 89. ad Hilarium quæſt. 2. ait: *Jubet ergo, ut facere juſſa conati, & in noſtrâ infirmitate ſub lege fatigati, adjutorium gratiæ poſcere noverimus.* Videſis lib. 4. ad Bonifacium cap. 5. §. *ideò ſic expreſſum eſt.* Actus autem quo ſuam infirmitatem homo cognoſcit, eſt naturalis, & experientiâ ſentitur; eſt enim attractio violenta concupiſcentiæ à bono retrahantis, & obſiſtentis. Apoſtolus ad Rom. VII. 18. ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio &c. Condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Cùm dicit *velle adjacet mihi*, monſtrat, ſe bonum legis præceptum cognoſcere & deſiderare. Verùm cùm ait, *video* autem aliam legem, ſuam ſe cognoſcere infirmitatem oſtendit ac fatetur ſe non poſſe præceptum implere ob repugnantem concupiſcentiam. Et S. Auguſtinus lib. 8. Confeſs. cap. 5. initia ſuæ ad Deum converſionis deſcribens, ait: *Voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, ſola certa jucunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam &c. Sic intelligebam* meo experimento *id, quod legeram, quomodo caro concupiſceret adverſùs ſpiritum.* Idem docuere inſignes ejuſdem ſectatores, S. Proſpee in Pſal. 106. *Humiliati ergo*, inquit, *ſunt* per experimenta impoſſibilitatis ſuæ, *& invenerunt ſe ſinè Dei adjutorio nihil poſſe.* Et S. Fulgentius in Epiſtolâ ad Probam cap. 20. ſcribit: *Quiſquis igitur beneficium rogat, & adjutorium flagitat, neceſſe eſt, & ut evidentiam ſuæ imbecillitatis & egeſtatis agnoſcat; & ideò egeſtas noſtra dari ſibi quod non habet, poſcit.* Itaque actus, quo noſtram infirmitatem, ideſt privationem potentiæ proximæ faciendi mandati cognoſcimus, experimento & evidentiâ naturali ſinè ullo ſpeciali auxilio à nobis intelligitur. Hæc eſt prima, quam à lege percipimus utilitatem: uti paſſim S. Auguſtinus inculcat ſcribens, legem homini ſuam infirmitatem oſtendere, eumque ad orationem pro viribus ex gratiâ obtinendis impellere. Ex ſexcentis, unum S. Doctoeis teſtimonium appello ex Epiſt. 200. ad Aſſelicum Epiſcopum: *Utilitas itaque legis eſt, ut hominem de ſuâ infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Chriſto eſt implorare compellat.*

Ita fidelis ſive juſtus cognoſcens ſe non poſse mandatum facere, per actus fidei ac dilectionis conſtituitue in potentiâ proximâ ad orandum, fide ſpem in Deum excitante; nam ut ait S. Doctor Serm. 3. de verbis Apoſtoli: *Quod enim lex imperat, fides ſperat.* Homo enim fidelis credit Deum uti dominum ſibi præceptum imponere, dicente Auguſtino conc. 2. in Pſal. 70. *Quomodo eris ſub domino, niſi fueris ſub præcepto?* Præterea eadem fide credit Deum tamquam adjutorem vires miniſtrare, ad implendum præceptum. Nam in Pſalmis 18. 27. &c. *Dominus adjutoe* laudatue, quod egregiè explicat Auguſtinus conc. 17. in Pſalm. 118. dicens: *Quia itaque credidi tua eſſe mandata, ipſa fides mea, qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua faciam quod mandaſti. Si enim homo mihi hæc juberet forinſecùs, numquid etiam, ut facerem quod jubebat, adjuvaret interiùſecùs?* Et in lib. de Spir. & lit. cap. 30. ait hominem fieri juſtum ex *lege fidei, qua credidit nullo modo poſſe ſua infirmitati ad implenda ea quæ lex factorum jubet, niſi divinâ gratiâ ſubveniri.* Rurſus deſiderium, quo homo fidelis vult facere præceptum, ſed ob virium defectum non poteſt, eo infirmitatis obice repercuſſum intenditue, & impellit hominem ad orandum pro viribus impetrandis. Idem S. Pater in lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 18. ait: *Niſi quia præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidèm ſinè ſuo fructu prorsùs admoneretur, niſi priùs acciperet aliquid dilectionis, UT addi ſibi quæreret, undè quod jubebatur, impleret.* Et S. Fulgentius in Epiſtolâ ad Probam capite 2. *Quis enim*, inquit, *vel orare competenter valeat, niſi medicus ipſe nobis initium deſiderii ſpiritalis infundat?* Illud *aliquid dilectionis*, ſeu *deſiderium ſpiritale*, ſtatim ac fidelis expertus eſt, ſe non poſse implere præceptum, eundem excitat ad Dei auxilium implorandum. Audiendus iterùm Auguſtinus hæc pro concione dicens

in

in Pſal. 106. *Audit, vivt benè ſecundùm quod noſti &c. Conatur, & non poteſt; ligatum ſe ſentit. Exclamat ad Dominum.* Habes hìc actum fidei quo credit Deo imponenti præcepta benè vivendi. Rursùs non tantùm habet deſiderium eadem exequendi, verùm etiam *conatur* illa faceſſere. At ubi cognoſcit ſemet propriæ infirmitatis vinculis impediri, opem à Deo impetraturus, exclamat, eo videlicet ſpiritali deſiderio impellente, quo antè infirmitatis experientiam, volebat mandatum implere. Idem in Pſalm. 118. conc. 10. *Quid eſt*, inquit, *inclinatum cor ad aliquid habere, niſi hoc velle? Et voluit ergo, & orat, ut velit. Voluit cùm dixit*: Deduc me in ſemitam madatorum tuorum, quia ipſam volui; *orat autem, ut velit, cùm dicit*: Inclina cor meum &c. *Hoc itaque orat, ut ipsâ voluntate proficiat*: Quod exemplo etiam exponens, ait: *Quemadmodum ſi poculum plenum teneas, & ſitienti dare incipias, & haurit bibendo, & poſcit deſiderando.* Illa ergo *aliqua dilectio, ac deſiderium ſpiritale* jam in voluntate accenſum, quo juſtus ſeu fidelis vult facere præceptum, compertâ virium debilitate, excitat eundem ad auxilium poſcendum; nempè ut laudato cap. 15. de nat. & grat. ſcribit: *Dum conatur, poſcat auxilium.* Tum primùm conatur, cùm animadvertit ſuam ſibi volenti præceptum implere, infirmitatem obſiſtere; igitur tunc poteſt orare; ſiquidèm faciliùs eſt implorare alterius auxilium, quàm per ſemetipſum conari. Denique idem Auguſtinus in Pſal. 32. ait: *Quia utique ſi credis, caves; ſi caves, conaris, & conatum tuum inſpicit Deus &c.* ut conatus ille implendi præcepti ex actu præexiſtenti fidei derivetur. Ex illo deſiderio implendi præcepti, ac judicio practico propriæ infirmitatis, ejuſque confeſſione, divina gratia impetratur; etenim S. Doctor conc. 27. in Pſal. 118. ait: *Quid deſiderabat, niſi facere mandata divina? Sed non erat unde faceret infirmus fortia, & parvulus magna. Aperuit os ſuum confitens, quod per ſe ipſe non faceret, & attraxit unde faceret. Aperuit os petendo, quærendo, pulſando, & ſitiens hauſit ſpiritum bonum, undè faceret, quod per ſe ipſum non poterat, mandatum ſanctum & bonum &c.*

Celeberrima eſt S. Doctoris ſententia, & paſſim in ejuſdem ſcriptis occurrit: *Fides orando impetrat, quod lex imperat.* In lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. In lib. de Nat. & grat. cap. 16. De perfect. Juſtit. cap. 4. In Enchirid. cap. 117. Serm. 3. de verb. Apoſtoli. Epiſt. 89. & ferè ubique. Exponit inſigne illud apophthegma conc. 10. in Pſal. 118. expendens verba Apoſtoli ad Romanos III. 17. *Ubi eſt gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem fidei*: atque ita ratiocinatur: *Hæc eſt lex fidei, qua credimus, & oramus per gratiam donari nobis, ut faciamus, quod per noſmetipſos implere non poſſumus.* Idemqua pertractans in lib. de Spir. & lit. cap. 13. ait: *Ac per hoc lege operum dicit Deus*: Fac quod jubeo; *lege fidei dicitur Deo*: Da quod jubes. *Ideò enim jubet lex, ut admoneat, quid faciat fides, id eſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat, ſi autem continuò poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire, quo donante facit.* Ex quibus colligimus in fideli unà cum lege reperiri potentiam proximam ad orandum, quæ eſt veluti lex ex Dei promiſſione nobis donata, qua eidem Deo dicimus: *Da quod jubes*, quam alteram ſibi familiarem ſententiam mirificè ex ſacris literis illuſtrat lib. 2. de Peccat. mer. capite 5.

Hic tamen removenda eſt difficultas, quæ hactenùs dictis opponi poteſt. Nam ſi dun fideles velint ſervare præceptum, quod ſecundùm præſentes quas habent vires, non poſſunt, ambo habent adjutorium *ſine quo non*, id eſt, poteſtatem proximam orandi pro majori auxilio impetrando, unus pro libito orabit, alter autem non orabit; igitur orans ſolâ determinatione ſuæ voluntatis ſe diſcernet à non orante, ſecùs ac docuit Apoſtolus in Epiſtolâ 1. Cor. IV. 7. *Quis enim te diſcernit? Quid autem habes quod non accepiſti?* Nam ut ait Auguſtinus Epiſt. 46. ad Valentinum ac ſub eo monachos Hadrumetinos, ille qui oravit, *poſſet reſpondere vel voce, vel cogitatione, & dicere, diſcernit me fides mea, diſcernit me oratio mea, diſcernit me juſtitia mea.* Et in Epiſtolâ 105. ad Sixtum poſteà Romanum Pontificem ſcribit: *Etiam ipſa oratio inter gratiæ munera reperitur.* Quid enim oremus, *ait Doctor gentium*, ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Quid eſt autem* interpellat, *niſi interpellare nos facit?* Et producto altero teſtimonio ex Epiſtolâ ad Romanos cap. XIII. 15. *in quo clamamus*: *Abba* (*Pater*) ait: *Ita ſinè ſpiritu fides non eſt rectè quiſpiam crediturus, nec ſinè ſpiritu orationis ſalubriter oraturus.* Fateor me in vado hærere. Nam quàm facile mihi fuit à Noriſio Janſeniſmi calumniam avertere, tam difficile eſt, ejuſdem ſententiam à conſpiratione cum opinione antagoniſtarum Janſenii vindicare. At cùm conſtet ipſum admittere in ſtatu naturæ lapſæ adjutorium *ſinè quo non*, ut patet ex appellato locupletiſſimo ejuſdem teſtimonio, dum generum actus proximè diſtinxi ut tenuiores actus boni, & debiliores poſſint reapſe fieri à voluntate cum ſolo adjutorio *ſinè quo non*; cùm tamen actus validiores & robuſtiores debeant ab adjutorio *quo* procedere. Hac diviſione jam ſuperiùs probatâ, concedo orationem intenſam ac ferventiorem ab adjutorio *quo* dependere, quo fit, ut ardenter oremus. Hac de oratione intelligendus eſt S. Doctor in eâ ad Sixtum Epiſtolâ, & cùm ibidem ait hominem divinâ gratiâ à peccato liberari *impartito ſalubriter orationis affectu & effectu*; & ſimiliter cùm lib. 2. de Pec. mer. cap. 19. ſcribit: *Et nos vigilanter oremus, & ipſum deprecemur ardenter ſimul intelligentes, & quod ſic conemur, & quod ſic deprecemur, dono illius nos habere &c.* Cùm verò S. Doctor ex illo teſtimonio Apoſtoli probat neminem diſcerni ſuâ oratione à non orante, contrà Pelagianos loquitur, qui viribus naturæ orandi Deum facultatem tribuebant, ut omnem Dei gratiam excluderent, quem errorem Semipelagiani uti capitale dogma retinuere. At juxtà propoſitam ſententiam oratio dependet ab actu per ſpem operante, ac dilectione, ſeu deſiderio implendi præcepti, qui actus ab efficaci gratiâ dependent, ac ſunt illuſtrationes intellectus, ac ſanctæ inſpirationes voluntatis, ſinè quibus quemadmodum oratio fieri nequit, ita ſi eadem oratio fiat, ab iiſdem tanquam à cauſis principalibus dependet. Hinc Auguſtinus in eadem Epiſtolâ ad Sixtum ait; *Quapropter ne ſe vel ipſius orationis meritum extollat &c. adjutorium datur oranti; fides orat, quæ data eſt non oranti, quæ utique niſi data eſſet, orare non poſſet.* Hac ſanè interpretatione laudata Apoſtoli verba expoſuit S. Doctor in Epiſtolâ 106. ad Paulinum, ubi de homine juſtificato, ait: *Quia cùm dixerit, ut merear juſtificationem, habeo fidem: reſpondetur ei*, Quid enim habes quod non accepiſti? *Cùm ergo fides impetrat juſtificationem &c. non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pediſſequâ, non prævià voluntate*; quia etiam homo dum orat, præmovetur ex inſpiratâ dilectione præcepti, ac deſiderio ejuſdem implendi. Plures actus ad actualem impletionem præcepti neceſſarios, eoſque *catenatim connexos*

ex ſacris literis deſcribit Auguſtinus in lib. de Spir. & lit. cap. 30. ubi ait: *Per legem cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contrà peccatum &c.* quòd nempè fides eſt fons & origo orationis. Jam verò cùm oratio tenuis, non autem fervens ac intenſa, ex deſiderio implendi præcepti dependeat, ipſum verò deſiderium ſit actus voluntatis debilis ac invalidus ad præceptum exequendum ſinè ulteriori auxilio, proinde eadem oratione hoc ipſum auxilium poſtulatur. Hinc patet, cur Noriſius dixit, hominem reſiſtere gratiæ debili ac remotæ; illam enim debilem vocavit, quia cùm ſit adjutorium ſinè quo non, *parvas* tantùm & *invalidas* voluntates efficere poteſt, utì ex S. Auguſtino lib. de Grat. & lib. arbitrio cap. 17. prænotavi. Idem in lib. de Cor. & grat. cap. 11. comparans gratiam à Creatore Adæ collatam cum gratiâ à Salvatore nobis obtentâ, ait: *Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam; ſed hac potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, ut habeat homo juſtitiam, ſi velit; ſecunda ergo plus poteſt, qua etiam fit, ut velit &c. Nec illa parva erat, qua demonſtrata eſt etiam potentia liberi arbitrii*, quia illa ſola poterat *in tantâ non peccandi facilitate*, ut ait cap. 12. præcepta adimplere. At in ſtatu naturæ lapſæ ob pœnalem infirmitatem, adjutorium *ſinè quo non* eſt parva gratia, quod ſi ſolum haberetur ſinè gratiâ victrici, homines, ut ait eodem cap. 12. S. Doctor, non poſſent in acceptâ juſtitiâ ac ſanctitate perſeverare, quia *deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.* Ita in ſtatu naturæ lapſæ adjutorium *ſinè quo non* dare poteſt tantùm voluntatem ſeu deſiderium implendi, non vires reapſe exequendi præcepti ardui ac difficilis.

§. II.

Homo ex liberâ ſuppoſitione judicii practici erronei obicem ponit potentiæ proximæ ad orandum. Id exemplo D. Petri ex ſancto Auguſtino demonſtratur.

CUm Auctor ſcrupulorum toto §. 6. & Informator §. 2. pag. 12. hiſtoriam damnatæ Anno 1655. à Theologicâ Facultate Pariſienſi famoſæ propoſitionis Doctoris Antonii Arnaldi recitent, eamque ipſam theſim à Noriſio aſſertam publicent, operæ pretium duxi hanc quoque calumniam non tantùm refellere, ſed rem ipſam controverſam unius S. Auguſtini doctrinâ explicare. Itaque narrant Arnaldum aſſeruiſſe Divo Petro tentatione pulſato, defuiſſe gratiam proximè ſufficientem ad evitandam negationem. Qui cùm noluiſſet eam gratiam admittere, Doctorum albo eraſus, ſolum non quidèm vertere, ſed mutare coactus fuit. Eò tota controverſia redacta erat, num homo juſtus inſtante præcepto habeat potentiam proximam ad orandum, cui quæſtioni cùm putem me proximè ſatisfeciſſe, unam tamen exceptionem ſubdendam exiſtimo. Nam quamvis Noriſius palàm & apertè teſtetur, hominem urgente præcepto, poſſe ac debere orare pro impetrandâ gratiâ ad mandati impletionem neceſſariâ, id intelligendum eſt, niſi homo ponat obicem, ſuoque vitio ſe ea poteſtate proximâ ad orandum privet, quod impedimentum reapſe opponi poſſe demonſtro.

Cùm ad orandum pro impetrandâ gratiâ neceſſariâ ad exequendum præceptum, concurrant notitia præcepti, deſiderium ejuſdem faciendi, ac judicium practicum propriæ infirmitatis, ideò enim oramus, quia cognoſcimus deeſſe nobis vires ad faciendum quod nobis præcipitur, ut enim ait Auguſtinus Epiſt. 105. *Si in poteſtate haberetur, non utique poſceretur;* ac proinde ex eodem S. Doctore ac Synodo Tridentinâ orando petimus *quod non poſſumus*: Hinc ſi homo formet judicium practicum prorsùs oppoſitum, nempè judicet ſe poſſe ſinè ulteriori Dei auxilio mandatum implere, ponit obicem orationi faciendæ, nec eſt in potentiâ proximâ ad orandum. Pelagiani putabant eâ Dei gratiâ, quam Catholica Eccleſia docet, everti liberum arbitrium, ac omnium virtutum merita ſuffocari. Hoc erroneo judicio obcæcati, non erant in potentiâ proximâ ad orandum pro impetrandâ gratiâ ad exequenda præcepta. Ita cenſuit S. Innocentius Papa ſcribens in Epiſtolâ ad Patres Synodi Carthaginenſis: *Negantes enim adjutorium, non aliis, ſed ſibi hoc penitùs abſtulerunt.* Cujus rationem tradit Auguſtinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 7. dum ait: *Putant enim ſe arbitrii ſui viribus implere legem jubentem, & ISTA IMPLICATI SUPERBIA, ad gratiam non convertuntur juvantem.* Idem argumentum repetens tract. 53. in Joannis Evangeliſtæ verba cap. XII. 39. *propterea non poterant credere &c.* ait: *Hinc & illi non poterant credere, non quia mutari in melius homines non poſſunt, ſed quandiu talia ſapiunt, non poſſunt credere. Hinc excæcantur, & indurantur, quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur.* Quarè ex magni Doctoris ſententiâ, qui putant ſuis tantùm viribus ſinè Dei adjutorio poſſe ſervare mandata, *quouſque talia ſapiunt*, potentiam proximam ad orandum pro impetrando adjutorio non habent, quam tum primùm recipient, cùm erroneum illud judicium deponent. Ita paſſim Theologi tradunt eum qui ex conſcientiâ erroneâ operatur, non eſſe in potentiâ proximâ ad obſervandum præceptum, cujus oppoſitum tunc erronea conſcientia faciendum dictat. Exemplum deſumo ex Suarez lib. 4. de Grat. cap. 20. num. 11. *Sicut aqua nondum calida non poteſt dici proximè potens ad calefaciendum; jam verò calefacta, rectè dicitur proximè ſufficiens.* Sed ſimile exemplum aliâ occaſione adducit Auguſtinus in lib. 83. Quæſt. hæc quæſt. 66. de nive ſcribens: *Non calefacit, nec enim poteſt. Quandiu enim nix eſt, non calefacit; ſed reſolvi poteſt., & fervere, ut calefaciat &c.* Omnia hæc in brevem ſyllogiſmum coarcto. Homo ut ſit proximè potens orare, debet habere judicium practicum propriæ impotentiæ proximæ, ac neceſſitatis majoris gratiæ impetrandæ; ſed qui de ſuis viribus præſumit, non habet judicium practicum propriæ impotentiæ proximæ ac neceſſitatis majoris gratię impetrandæ; ergo is non eſt proximè potens orare. Major eſt certa, quia petimus orando quod proximè non poſſumus facere. Minor æquè vera eſt, quia præſumens de ſuis viribus, putat per ſemet poſſe aliquid facere ſecundùm præſentes quas habet vires, ſinè alterius cujuſpiam adjutorio. Quarè ſicut aqua quatenùs eſt frigida, non eſt proximè potens calefacere, ita homo quatenùs eſt præſumens de ſuis viribus, non eſt proximè potens petere vires ab alio. Hinc S. Doctor putavit, intelligi poſſe, cur cùm plures Confeſſores fidei Chriſtianæ à tyrannis tormentis ſubijcerentur, nonnulli eorum à fide defecerint. Nam conc. 1. in Pſal. 90. de iiſdem ait: *Multi defecerunt. Et, credo illi defecerunt, qui de ſe præſumpſerunt &c. Sed viribus ſuis multum dederunt.* Et iterùm in Pſal. 102. *Qui ergo defecerunt, Dominum non invocaverunt, de ſuâ fortitudine præſumpſerunt.* Eadem repetit conc. 13. in Pſal. 118.

Poſitâ, ac conceſſâ hac doctrinâ, ad caſum D. Petri deſcendo, ac facilè reſpondeo, defuiſſe eidem gratiam

Digitized by Google

am proximam ad orandum pro impetrando ulteriori adjutorio neceſſario ad ſuperandam tentationem negationis, ſi eidem gratiæ Petrus de ſuis viribus præſumens, obicem liberè oppoſuit. Num reapſe talem obicem oppoſuerit, eſt quæſtio facti, in qua S. Auguſtinus ſuis in libris ſæpiſſimè ac conſtanter aſſeveravit D. Petrum de ſuis nimium viribus præſumpſiſſe. In primis docet Petrum tentatione pulſatum non habuiſſe reapſe vires reſiſtendi tentationi. Nam in fine enarrationis in Pſal. 140. comparans Petrum cum Joanne Baptiſta, hæc ait: *Quia enim ſi fieret impetus propter Chriſtum in Joannem, non negaret. Erant quippè in illo magnæ vires, quibus appellatus eſt amicus ſponſi. Magna in illo gratia, magna excellentia &c. Ergo in illum impetus factus eſt, qui non habebat tales vires. Fit impetus in Petrum, non fit in Joannem. Etenim vires ipſas Petrus poſt accepit, tunc autem infirmus fuit. Pro Chriſti nomine ille interrogatur, qui vires non habebat. Ille qui habebat vires, non patitur perſecutionem pro Chriſto.* Hìc loquitur de viribus, quæ in habitu charitatis continentur; ſiquidèm qui intenſiorem habet charitatem habitualem, majores etiam vires habet ad reſiſtendum tentationi, undè idem S. Doctor in lib. de Sanctâ Virginitate cap. 47. cùm dixiſſet quaſdam conjugatas poſſe pro fide Chriſti reſiſtere tormentis, quibus ſufferendis aliquæ virgines impares ſunt, ait: *Latent iſta in facultatibus & viribus animorum, tentatione panduntur, experientiâ manifeſtantur*; nempè latent in habitu intenſioris charitatis. Eadem ſcribit de patientiâ Job in cap. 21. libri de Bono conjugali. Charitas autem tum habitualis tum etiam actualis varios habet gradus, undè dicitur Auguſtino in lib. de Nat. & grat. cap. ult. *Charitas ergo inchoata, inchoata juſtitia eſt; charitas provecta, provecta juſtitia eſt; charitas magna, magna juſtitia eſt; charitas perfecta, perfecta juſtitia eſt*; & ſtatim: *quæ maxima eſt in hac vitâ, quando pro illâ ipſâ contemnitur vita.* Maxima erat charitas habitualis in Joanne Baptiſta, qua potens erat in actu primo, ut Scholaſtici loquuntur, pro Chriſti confeſſione propriam vitam contemnere. Hanc tantam charitatem Petrus, cùm Chriſtum negavit, nondum habebat, Etenim Chriſtus Dominus Joannis XIII. 36. dixit Petro: *Quò ego vado, non potes me modò ſequi: ſequeris autem poſteà. Dicit ei Petrus; Quarè non poſſum te ſequi modò? Animam meam pro te ponam.* Quæ verba exponens Auguſtinus tract. 66. in Joannem ait: *Quid in animo ejus eſſet cupiditatis videbat; quid virium non videbat; voluntatem ſuam jactabat infirmus.* Et conc. 1. in Pſalm. 36. ait: *Et forſaſsè & ipſe Abraham nondum noverat, quas vires haberet fides ejus. Unuſquiſque enim ſe tentatione tanquam interrogatus, agnoſcit. Sicut Petrus quas vires haberet fides ejus utique neſciebat &c.* At Petro, cùm negavit, defuiſſe charitatem perfectam ſeu maximam in hac vitâ, quando pro illâ ipſâ contemnitur vita, tradit idemmet Auguſtinus tract. 92. in Joannem inquiens: *Dabit enim vobis fiduciam teſtimonium perhibendi charitas Dei diffuſa in cordibus veſtris per Spiritum ſanctum qui dabitur vobis. Quæ utique Petro adhuc defuit, quando mulieris ancillæ interrogatione perterritus, non potuit verum teſtimonium perhibere &c.* Quæ dicta Auguſtini recitat Eccleſia inter precum officia fer. 6. poſt octavam Aſcenſionis. Nempè Petrus ſecundùm quas tunc habebat vires, *non potuit tentationi reſiſtere*; eâ tamen gratiâ quam tunc habebat, poterat gratiam ulteriorem tentationi ſuperandæ neceſſariam implorare, niſi obicem oppoſuiſſet.

Num verò reapſe obicem oppoſuerit, eſt quæſtio facti, in qua S. Auguſtinus ea ſcribit ex quibus tale impedimentum à Petro objectum fuiſſe intelligitur. Nam in lib. de Grat. & lib. arb. cap. 17. ait: *Ipſam charitatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit.* Et laudatis verbis in Epiſt. S. Joannis: *Sed perfecta charitas foras mittit timorem*, addit: *Et tamen quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino*, animam meam pro te ponam. *Putabat enim ſe poſſe, quod ſe velle ſentiebat.* Idem in Pſalm. 43. ait: *Plerumque enim homo putat ſe poſſe, quod non poteſt; aut putat ſe non poſſe quod poteſt &c. Nunquid Petrus noverat ſe, quando dixit medico*: tecum ſum uſque ad mortem? *Medicus noverat venâ inſpectâ quid intus ageretur in ægroto; ægrotus non noverat.* Et in Pſalm. 55. ait: *Vires ſuas Petrus ignorabat.* At cùm Petrus putabat ſe poſſe, quod ſecundùm eas, quas tunc habebat vires, non poterat, liberè judicium erroneum induxerat, quo putabat viribus, quas actu habebat, poſſe oppetere mortem pro Chriſto; quo erroneo judicio implicitus, de ſe præſumens, non potuit cum eodem componere judicium rectum, quo putaret, majores ſibi à Deo vires precibus impetrandas eſſe; quod judicium ad orationem prærequiri ſuperiùs oſtenſum eſt, & ex cujus defectu homo non eſt in potentiâ proximâ ad orandum. Itaque cùm primùm Petrus erroneum illud judicium depoſuit, tunc primùm pariter habuit potentiam proximam ad orandum. Auguſtinus in Pſalm. 58. *Ignotus enim ſibi quiſque eſt antè interrogationem tentationis. Sicut ſe Petrus præſumendo ignorabat, & negando didicit, quales vires haberet; in tribulatione intellexit, falsò ſeſe præſumpſiſſe.* Et conc. 1. in Pſalm. 36. *Proinde*, inquit, *Petrus, qui antè tentationem præſumpſit de ſe, in tentatione didicit ſe.* Ita tentatione victus, depoſuit erroneum judicium, quod de ſuis viribus anteà præſumendo formaverat, ac tunc fuit in potentiâ proximâ ad orandum. Hæc de caſu D. Petri Auguſtinus prædocuit. At Arnaldi & Janſenii opinio à Facultate Theologicâ Pariſienſi damnata fuit, quòd dixere Petrum præſumpſiſſe, quia deſertus priùs fuerat à gratiâ efficaci, ſinè qua non potuit orare, cùm ſine adjutorio quo nullus orare poſſit. At ſecùs docuit Auguſtinus non uno loco exponens verba Pſalmi XXIX. *Dixi in abundantiâ meâ: Non movebor in æternum*: quæ applicans Divo Petro in lib. de Cor. & grat. cap. 9. ait: *Hæc vox & Apoſtoli Petri eſſe potuit; dixerat quippè & ipſe in abundantiâ ſuâ*: Animam meam pro te ponam; *ſibi feſtinando tribuens, quod ei fuerat à Domino poſteà largiendum. Avertit autem* ab illo faciem Dominus, & factus eſt conturbatus, *ita ut eum mori pro illo metuens, ter negaret.* Ita Dominus Petrum de ſuis viribus præſumentem deſeruit; non autem quia priùs deſertus fuerat, ille præſumpſit.

CAPUT IV.

Sententia Noriſii de privatione potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum in juſtitiâ acceptâ in ſtatu naturæ lapſæ, ex S. Auguſtino à P. Suarez aſſeritur; & ubique Janſeniana calumnia depellitur.

ALterum Janſenianæ doctrinæ lineamentum, quod Auctor ſcrupulorum in Vindiciis exactè expreſſum contendit, inde trahitur, quòd Noriſius ſcripſit naturam humanam ex peccato primi parentis incidiſſe in privationem potentiæ proximè expedi-

tæ ad perſeverandum in acceptâ juſtitiâ. At ex ſuperiùs de potentiâ proximâ ac gratiâ ſufficienti ſtabilitis, hujus quoquè accuſationis vis omnis elanguet. Auguſtinus juſtum volumen de dono perſeverantiæ evulgavit, ut ea quæ de eadem in libro de Correptione & gratiâ antea docuerat, adversùs Semipelagianorum opinionem defenderet. Equidem initio ſtatim libri obſervat perſeverantiam aliam eſſe temporariam, *tanquam temporis ſui*, cùm juſtus aliquo temporis ſpatio in acceptâ juſtitiâ perſeverat, priuſquam in aliquod peccatum incurrat; aliam verò eſſe finalem, quæ conſiſtit in actu bono ac meritorio gloriæ, quem prædeſtinati eliciunt, ac poſt quem ſtatim vivendi finem faciunt, ac ſalvantur, de quâ alterâ ſpecie perſeverantię ait ſe eo in volumine contrà Semipelagianos diſputare. Noriſius in Vindictis cap. 4. §. 10. oſtendit S. Doctorem docuiſſe peccatum origioale eſſe cauſam reprobationis omnium qui damnantur, quam ſententiam S. Thomas & inſigniores ejuſdem diſcipuli, aliique etiam Theologi ſecuti ſunt, licèt non unâ ratione eandem ſententiam tueantur.

Idem autem loco laudato pag. 67. col. 1. ex S. Auguſtini doctrinâ rem ſatìs difficilem explicans, ait Adamum habuiſſe à Deo adjutorium, quo proximè & expeditè poterat perſeverare in juſtitiâ dono Creatoris acceptâ, ita ut Adamus non indiguerit ſpeciali dono actualis perſeverantiæ, quia habebat auxilium, quo jugiter ad inſtar habitûs inerat illi potentia proximè expedita ad perſeverandum, ac nihil ex parte Dei defuiſſe, quo facillimè reapſe perſeveraret, ſi vellet. Hæc cum locupletiſſimis S. Doctoris teſtimoniis confirmaſſet, ibidem addit: *Cæterùm ex peccato perdidit ſibi & nobis hoc auxilium conſtituens potentiam proximè expeditam ad perſeverandum. Quarè privatio hujus potentiæ in nobis eſt pœna primi peccati.* Hinc infert eam impotentiam ſpeciali Dei gratiâ tolli, quæ ſi juſto gratia non conferatur, *& ſtet ſub privatione potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum, tentationi infallibiliter ſuccumbet*; quæ Noriſii verba ſunt pag. 66. col. 1.

Nolo hìc indicem texere Theologorum S. Auguſtinum Noriſio ſimiliter exponentium. Unum tantùm appellabo, cui non modò accuſatores honoris gratiâ aſſurgent, verùm etiam eodem audito, obmuteſcent. Is eſt P. Franciſcus Suarez, qui lib. 4. de auxiliis gratiæ cap. 18. num. 19. ſcribit: *Dico ergo ſenſum Auguſtini eſse, Adamum recepiſse auxilium proximè ſufficiens ad perſeverandum, ſi vellet, & ita ſufficiens, ut pro ſua libertate, & velle, & perſeverare cum effectu potuiſset, quod eſt veriſſimum &c. De hoc ergo eodem auxilio, ita proximè ſufficiente negat Auguſtinus dari hominibus lapſis, qui cum effectu non perſeverant, idque in pœnam primi peccati &c.* Additque ſtatim auxilium ſufficiens naturæ lapſæ non eſſe tantum, ac quale fuit in Adamo *propter fomitem, & alia impedimenta benè operandi. Non dicit tamen*, inquit, *Auguſtinus hujuſmodi homines in præſenti ſtatu nullum auxilium ſufficiens recipere, ad perſeverandum, nam recipiunt ſaltem* remotè ſufficiens, *quod ſuo modo eſt verè ſufficiens, in eis tamen propter conditionem hujus ſtatus tale eſt, ut* non ſit proximè ſed remotè ſufficiens, *& ut NUNQUAM CONSEQUATUR EFFECTUM; ita ergo ſuo modo in præſenti juxtà præcedentem Auguſtini doctrinam.* Hanc maximus Theologus ſententiam S. Auguſtini exhibet, quam non reprobat, ſed ſuam facit. Videtis, quemadmodum omnia quæ Noriſius ea in quæſtione tanquam aſſerta Auguſtiniana adſtruxit, eadem anteà Suarez utì S. Doctoris eſſata docuerit, ut hic recentior ſcriptor Vindiciarum cuncta ex Suario exſcripſiſſe videri poſſet, niſi univerſa illa doctrina in Auguſtini ſcriptis adeò maniſeſtè appareret, ut non interprete diligenti & accurato, ſed mediocris intelligentiæ Lectore opus ſit; cum tantâ undique luce ſe prodat, ac publicet.

In Synodo Arauſicanâ II. canon X. ita concipitur: *Adjutorium Dei etiam renatis ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Quodam de temporariâ, quàm finali perſeverantiâ intelligitur. At ſi implorandum eſt auxilium juſtificatis, ut poſſint in bono opere perdurare, antequâm petant, non poſſunt; orant enim *ut poſſint*; cùm verò poſſint orare, ut illud adjutorium impetrent, antequàm orent, non ſunt proximè potentes perſeverare, quod idem eſt ac habere privationem potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum. Auguſtinus cap. 7. libri de Dono perſeverantiæ ait: *Qui enim non infertur in tentationem, non diſcedit à Deo. Non eſt hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt; fuerat in homine antequam caderet.* Non diſcedere à Deo, idem eſt ac perſeverare in bono ſeu juſtitiâ acceptâ. At ſi hoc fuit in viribus liberi arbitrii antè primum peccatum, modò in naturâ lapsâ eſt privatio ejuſmodi virium; undè ut illæ conſtituebant, judice Suarez, potentiam proximam, earundem abſentia cauſat impotentiam itidem proximam ad perſeverandum in bono, remanente in juſtificatis plerumque potentiâ tantùm remotâ, qua orare poſſunt, ut proximam impetrent. Eandem doctrinam prolixè Auguſtinus tradit cap. 11. & 12. de Cor. & grat. & poſteriori loco in fine capitis ſcribit: *Quòd ſi in tantâ infirmitate vitæ hujus &c. ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſinè quo perſeverare non poſſent, manerent, ſi vellent, nec Deus operaretur, ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideò perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent.* Adjutorium *ſinè quo non* dabat Adamo poſſe perſeverare, ſi vellet, ut ibidem ſæpè Auguſtinus docet. At ob peccatum originale contractâ virium infirmitate, voluntas juſti cum eo ſolo adjutorio, *nec vellet; aut non ita vellet, ut poſſet.* An non tanta virium infirmitas privationem potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum exprimit? Si cum illo adjutorio ut quid maximè, vellet, ſed non poſſet, privatio ſanè potentiæ proximè expeditæ ad perdurandum in bono, naturæ lapſæ incubuit. Hæc adeò clara & aperta ſunt in S. Doctoris doctrinâ, ut Petrus à S. Joſeph Fulienſis in libro contrà Janſenium par. 4. pag. 167. cùm conceſſiſſet, Adamum habuiſſe *potentiam proximam ad perſeverandum in gratiâ*, laudatis poſteà verbis ex cap. 11. citati libri de Cor. & grat. concludat: *Itaque cùm ait Auguſtinus auxilium ad perſeverandum quibuſdam non dari, id intellige de auxilio proximè ſufficienti, quod non omnibus dari concedimus.* Huncne etiam Janſenii antagoniſtam, quum Noriſio conformiter ſcripſerit, inter transfugas reputabitis? Baſilius Poncius 1. par. Relect. de grat. cap. 17. num. 9. ſcribit: *Quare in Adamo fuit auxilium proximè ſufficiens pro omni occaſione & inſtanti; in nobis non eſt proximè ſufficiens pro quibuſcumque inſtantibus, & pro multis, vel aliquibus tantùm eſt auxilium remotè ſufficiens.* Alterum ex eadem Auguſtinianâ gente Doctorem Poncio addam Joannem Schuveitzerum publicum nunc in Academiâ Colonienſi Profeſſorem, qui in Diſsert. 3. Theol. de prædeſt. & reprob. dub. 6. probans ex eodem cap. 11. de cor. & grat. hominum reprobationem ex peccato originali, ait cum S. Doctore: *Nunc autem*

Digitized by Google

quibus deeſt tale adjutorium (quale ſcilicet fuit actu datum primo homini, eumque conſtituit proximè potentem ad perſeverandum) *jam pœna peccati eſt, quibus autem datur, ſecundùm gratiam datur.* Ea parenthesis tota eſt Noriſiana, & §. *Dices etiam &c.* ait: *Primus homo ſibi, & toti poſteritati perdidit poſse, & ita naturam corrupit, ut auxilium illud, per quod ipſe erat proximè potens, modò non ſufficiat ob cæcam, & indomitam concupiſcentiam &c.* Quæ fuit etiam, uti prænotavi, Suareſii juxtà Auguſtinianam doctrinam ſententia. Idem Doctor pag. 96. ſcribit: *Inter ſic reſpondentes eſt etiam P. Noris;* nec hujus dicta refellit, ſed in ſuâ probabilitate relinquit.

Informator §. 1. p. 4. hanc propoſitionem à Noriſio aſſertam ait: *Vi talis privationis contingere, ut reprobus etiam poſtquam juſtificatus fuit, perſeverare non poſſit in acceptâ juſtitiâ.* Et rursùs pag. 5. hanc alteram imponit: *Remanere tunc in eo, ſicut & in ſingulis peccatoribus, fidelibus, infidelibuſque ſolam obſervandæ legis potentiam remotam; quæ ut in proximam mutetur, penès eos non eſt, Deo ſolam remotam dante, proximam non offerente.* Hæc calumniæ & invidiæ conflandæ gratiâ Noriſio imponuntur; nunquam enim ille dixit reprobum juſtificatum *perſeverare non poſse* in acceptâ juſtitiâ, *ſed proximè & expeditè non poſse:* quæ adverbia non tollunt abſolutè poſſibilitatem temporariæ perſeverantiæ, ſed modum aliquem ejus poſſibilitatis, qualis fuerat in naturâ integrâ antè peccatum Adami. Et ſanè notandum eſt, quòd conſultò ac prudenter Noriſius tam ſæpè ibidem tradit, ex Adami peccato humanam naturam decidiſſe in privationem non *potentiæ proximæ*, ſed *potentiæ proximè expeditæ*, quæ verba non carentiam potentiæ proximæ, ſed potiùs carentiam facilitatis ac promptitudinis ipſius potentiæ, nullo intrinſeco impedimento retardatæ, deſignant; ibi enim comparat potentiam benè operandi naturæ integræ, cum potentiâ rectè agendi in naturâ lapſâ. Auguſtinus conc. 10. in Pſal. 118. ait Adamum ac conjugem violaſſe præceptum, *quod facillimè nullâ infirmitate revocante, impediente, tardante implere poterant.* At in naturâ lapſâ clamat Apoſtolus ad Rom. VII. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ &c.* Quæ Auguſtinus objiciens Juliano lib. 6. Oper. imperf. num. 13. ait: *In quibus verbis evidenter apparet, liberum arbitrium malo ſuo eſse vitiatum. Non enim antè peccatum, quo malè uſus eſt homo libero arbitrio, in illâ paradiſi felicitate conſtitutus, poſſet hoc dicere.* Et anteà ibidem num. 7. cùm dixiſſet multos conari ad virtutum decora pervenire, ait: *Sed ſi animam corpus corruptibile non gravaret, non utique conarentur. Ac per hoc in paradiſo, ſi nemo peccaſset, & ſuper filios Adam grave jugum non eſset, ſinè conatu Deo ſuo facilè & feliciter obedirent.* Præterea Noriſius ſcripſit, omnes habere poteſtatem ſaltem remotam obſervandæ legis; at quæ ab accuſatore annectuntur: *Quæ ut in proximam mutetur, penès eos non eſt, Deo ſolam remotam dante, proximam non offerente*, nuſquam hæc in Noriſii libro leguntur; imò contrarium palàm aſſeruit, cùm dixit, hominem urgente quolibet præcepto, poſſe rogare Deum pro impetrandâ gratiâ neceſſariâ ad ejuſdem præcepti impletionem, ut ſuperiori capite oſtendi.

Rurſus pag. 11. objicit in ſententiâ Noriſii juſtum ſufficienti gratiâ & poteſtate proximè expeditâ privari, non propter ullam præcedentem culpam, ſed propter ſolum originale peccatum, quantumlibet jam remiſſum. Et paulò poſt: (Ut quid enim ſi gratiam orandi accepit, non propter orandi negligentiam, ſed propter originale peccatum, ſolùm privari dicitur auxilio proximè ſufficiente, ut quid ad originale jam condonatum recurritur modo tam novo, & Catholicis exoſo) Hæc Informator. At vir bonus ac ſimplex diſſimulat ea noſſe, quæ ex S. Auguſtini aliorumque Patrum ac Theologorum ſententiâ Catholicis omnibus innoteſcunt. Nam nullus non ignorat, ex peccato originali humanam naturam duo vitia contraxiſſe, ignorantiæ videlicet & infirmitatis, ex quibus veluti ſontibus peccata cuncta derivant. Auguſtinus in Enchiridio cap. 81. ait: *Duabus ex cauſis peccamus: aut non videndo quid facere debeamus; aut non faciendo quid debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis.* Et lib. 2. de Pec. mer. cap. 17. *Ignorantia igitur & infirmitas vitia ſunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum.* Et conc. 9. in Pſalm. 118. *Aliud eſt quippè mandata Dei per infirmitatem, vel per ignorantiam non implere &c.* Legeſis cap. 67. de Nat. & grat. §. *Nec mirandum eſt &c.* Utrumque malum eidem in lib. de Perfect. juſt. cap. 4. dicitur *pœnalis vitioſitas* ex Adami peccato *ſubſecuta*; ſub qua *poſiti vel non poſſumus, quod volumus, intelligere; vel quod intellexerimus, volumus, nec valemus implere.* Peccata omnia ſacramento baptiſmatis & pœnitentiæ tolluntur; at inquit S. Doctor ſerm. 2. de verbis Apoſtoli: *Nunquid quia deleta eſt iniquitas, finita eſt infirmitas?* Jam verò oſtenſum eſt, hanc pœnalem infirmitatem nil aliud eſſe quàm privationem virium, quas ſervandæ legis natura humana antè Adami peccatum habebat, eamque virium privationem ipſam eſſe privationem potentiæ proximè expeditæ ad ſervandum præceptum.

Cùm igitur certum ſit homines infirmitate peccare; atque hanc infirmitatem eſſe pœnalem vitioſitatem ex originali peccato derivatam, hinc Noriſius ſcripſit reprobos etiam juſtificatos, habere privationem potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum; quæ privatio non eſt pœna perſonæ ejuſdem reprobi, ſed pœnalitas, uti loquuntur Theologi, toti humanæ naturæ ob primum peccatum inflicta. Verùm reprobos juſtificatos habere potentiam proximam ad orandum tùm, cùm urget præceptum, ex aſſertionibus Noriſii demonſtravi. Auguſtinus lib. 3. ad Bonifacium Papam cap. 3. cùm dixiſſet baptiſmum omnia peccata delere, addit: *Sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus reſiſtit, quando bonum agonem luctatur; conſentit autem, quando ſicut homo in aliquo delicto præoccupatur; propter illud gaudens in actione gratiarum: propter hoc autem gemens in allegatione orationum.* Cùm quis dicitur peccare *ſicut homo*, infirmitas pœnalis indicatur; cùm verò dicitur *gemens in allegatione orationum*, potentia ejuſdem proxima orandi deſignatur. Idem S. Doctor in lib. ad Simplicianum quæſt. 2. ait: *Nonne aliquando ipſa oratio noſtra ſic tepida eſt, vel potiùs frigida, & penè nulla, imò omninò interdùm ita nulla, ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus: quia ſi vel hoc dolemus, jam oramus? Quid ergo aliud oſtenditur nobis, niſi quia & petere, & quærere & pulſare ille concedit, qui ut hæc faciamus, jubet?* Ex quibus in primis colligimus defectum ipſum ferventis orationis ex infirmitate naturæ procedere, quòd corpus corruptibile aggravat animam, ut tam lentè orando, vix aſcendat ad Deum, terrenis cogitationibus implicata; ita ut privatio potentiæ etiam expeditæ ad ferventiùs ac diutiùs quantùm oportet, orandum, eidem infirmitati ex peccato originali contractæ adſcribenda ſit. Rurſus colligo dolorem, quo adeò tepidè orare dolemus,

uti

Digitized by Google

uti & ipſammet tepidam orationem fieri à nobis cum adjutorio *ſinè quo non*, ac ordinario concurſu Dei, cum ſint actus boni remiſſi, debiles, & minus perfecti. Eâ tamen tepidâ oratione impetramus ſpiritum ferventioris orationis, qui nobis adjutorio *quo* donatur, dicente Auguſtino in Pſal. 57. *Ego liberâ & validâ intentione preces ad te direxi, quoniam ut hanc habere poſſem, exaudiſti me infirmiùs orantem.*

Noriſius in eodem libro Vindiciarum, ut defenderet Sancti Auguſtini ſententiam, qua aſſeruit peccatum originale eſſe cauſam reprobationis omnium, qui damnantur, cùm tamen reprobis baptizatis peccatum originale in baptiſmo remittatur, qui poſteà in peccata lapſi, iiſque immorientes, damnantur, ut horum quoque reproborum damnatio aliquâ ratione peccato originali adſcribi poſſet, eandem in infirmitate ab humanâ naturâ ex peccato Adami contractâ collocavit, qua factum eſt, ut etiam juſtificati proximè expeditâ poteſtate perſeverandi in acceptâ juſtitiâ plerumque careant, eaque ſit à Deo precibus impetranda. Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 10. & rurſus 2. 2. quæſt. 137. art. 4. objicit in prioribus argumentis, Adamum potuiſſe perſeverare per gratiam quam acceperat, uti docet Auguſtinus, & cùm Chriſtus majora dona attulit, quàm nocumentum Adamus, indè colligi juſtum poſſe perſeverare in acceptâ juſtitiâ ſinè novo auxilio gratiæ. Huic argumento reſpondet loco citato ex 1. 2. hominem in primo ſtatu accepiſſe donum, quo perſeverare poſſet; non autem quo reapſe perſeveraret; nunc autem per gratiam Chriſti multos accipere & donum gratiæ, quo perſeverare poſſunt, & ulteriùs eis dari, ut perſeverent; & ſic donum Chriſti eſſe majus, quàm nocumentum ex delicto Adami; & ſtatim addit: *Et tamen faciliùs homo per gratiæ donum perſeverare poterat in ſtatu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad ſpiritum, quàm nunc poſſumus, quando reparatio gratiæ Chriſti, etſi ſit inchoata quantùm ad mentem, non eſt tamen conſummata quantùm ad carnem &c.* Et alibi 2. 2. cit. ait ex S. Auguſtino primo homini datum, *ut perſeverare poſſet per liberum arbitrium, quia nulla corruptio tunc erat in humanâ naturâ, quæ perſeverandi difficultatem præberet.* Hæc rebellio carnis ſive concupiſcentia reddidit hominem infirmum ad faciendum bonum, ac maximam implendæ legis difficultatem affert, ita ut amiſſâ potentiâ proximè expeditâ, quam ad perſeverandum Adamus habuit, homines præſertim reprobi, ad obſervandam legem non recipiant quandoque niſi auxilium ſufficiens, quod *in eis tamen propter conditionem hujus ſtatus tale eſt, ut non ſit proximè, ſed remotè ſufficiens, & ut nunquam conſequatur effectum*: quæ Suarez verba ſunt loco ſuperiùs laudato. Quòd ſi nunquam hæc auxilia remota juxtà Suarium, conſequuntur effectum, infirmitatem ex originali peccato contractam reapſe non ſanant, ac proinde eadem infirmitas ſeu privatio potentiæ proximè expeditæ eſt in causâ, ut homines etiam juſtificati, mandata poſteà non implentes, reprobentur. Hinc ut alios omittam, Thomas Lemos inſignis Theologus, tom. 2. de grat. tract. 4. de reprobat. cap. 16. num. 257. ſcribit: *Vndè illa infirmitas ex peccato originali dimiſſo relicta, cauſa erit permiſſionis talis in his, qui cadere permittuntur; & per conſequens originale peccatum etiam hoc modo eſt prima radix reprobationis.* Jam ſæpiùs admonui infirmitatem ad opus faciendum, idem omninò eſſe ac carentiam virium, ſeu privationem poteſtatis proximè expeditæ ad agendum. Cardinalis Brancatus de Lauræa Opuſc. 2. de reprobat. in *fine* cap. 5. cùm notaſſet genus humanum ob peccatum originale incidiſſe in ignorantiam, concupiſcentiam, aliaſque pravas paſſiones ad peccatum inclinantes, ait: *Et ita originale in reprobis baptizatis; per ſe non eſt cauſa damnationis; ſed effectus ejus ad eam conducunt, quia ad peccata inclinant, quæ ſunt immediatæ damnationis cauſa.* Noriſius paginâ 68. col 1. negat hominem in baptiſmo juſtificatum, damnari propter peccatum originale, ac ratione illius, ut cauſæ proximæ, reprobari, *ſed dicimus*, inquit, *radicaliter peccatum originale eſſe cauſam reprobationis fidelium, qui damnantur, quatenùs ex illo ortum habuit privatio potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum, ſub qua præciſo ſpeciali auxilio Dei, homo labitur in peccata, ob quæ proximè & formaliter à Deo damnatur.* Quamvis enim habeat auxilium remotè ſufficiens, id tamen tale eſt, *ut nunquam*, inquit Suarez, *conſequatur effectum.* Hinc S. Doctor in lib. de Corrept. & grat. cap. 13. ſcribit: *Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt, nec perſeverant; deſerunt, & deſeruntur. Dimiſſi enim libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto, & occulto.* Nempè *dimiſſi libero arbitrio*, non quocumque Dei auxilio deſtituti, ſed auxilio tantùm remoto adſiſtente, quod ſinè ulteriori auxilio impetrato, nunquam conſequitur effectum, ad quem principaliter datur.

Informator §. 4. num. 1. titulum inſcribit: *Utrùm à Janſenio differat Noriſius in eo quod dicit de potentiâ remotâ.* Enimverò obſervat Janſenium lib. 3. de grat. Chriſti cap. 15. tradere præcepta dici poſſibilia diverſimodè à *multiplicitate potentiæ remotiſſimæ, remotæ, propioris, & proximæ.* Potentia remotiſſima dicitur à Janſenio ipſummet liberum arbitrium. Potentia remota habetur ab habitu fidei, quem qui habet, dicitur poſſe benè vivere. Tertiò potentia multò pleniùs propinquiuſque habetur per charitatem ſed imperfectam, qua homo incipit poſſe, & reapſe vult bonum, quod tamen nondum plenè poteſt agere. Denique addit Janſenius: *Quartò itaque completiſſimè dicimur poſſe, quando S. Spiritus inſpiratione ſic voluntas præparatur, ut non nudè poſſit, ſed etiam velit &c. Hoc poſſe nunquam habetur, niſi quando reipſa quoque agitur &c.* Ex his patet Janſenium conſtituere potentiam remotiſſimam in ipſo libero arbitrio, in quo Pelagiani proximam collocabant, & minùs remotam in habitibus fidei & Charitatis imperfectæ. Illam verò eſſe proximam, quæ ſemper eſt actui conjuncta, & à Theologis gratiæ efficaci attribuitur. Nam, inquit, pag. 145. col. 2. *reliqui tres poſſibilitatis modi imperfecti ſunt, quibus præſentibus, ſi poſtremus qui per actualem gratiam datur, non affuerit, non magis hîc & nunc, & abſolutè fieri poſſe præceptum dici poteſt, quàm ſi ſinè alis volare poſſe diceretur.* Hæc Janſenius. At Noriſius in Vindiciis cap. 3. in fine §. 6. pag. 45. col. 1. cùm affirmaſſet *omnibus hominibus adeſſe auxilium ſaltem remotum*, id probat ex S. Auguſtino in lib. de Nat. & grat. cap. 67. ubi ait: *Cùm verè ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem, averſum vocet: doceat credentem: conſoletur ſperantem: diligentem adhortetur: conantem adjuvet: exaudiat deprecantem.* Auxilium remotum dicitur Noriſio, illud, quo quis conatur implere præceptum, quove deficiens viribus, eaſdem à Deo deprecatur. Nam ille disertè admittit etiam in ſtatu naturæ lapſæ adjutorium *ſine quo non*, quo homo, uti ſuperiùs dixi, ſimpliciter poteſt conari implere mandata, ac orare pro viribus impetrandis. Oppoſitum planè tradit Janſenius lib. 2. de grat. Chriſti cap. 27. pagina 87. col. 1. ubi loquens de minimo effectu gratiæ

Digitized by Google

efficacis ait: *Hæc igitur gratia, quamvis* nullo modo ſufficiat, *ut homo Dei mandatum operetur, &c.* ut oret, *ut credat, adhuc tamen facit aliquid, ut iſtarum vel alterius cujuſdam cœleſtis rei liberas quaſdam non voluntates, ſed velleitates vel complacentias excitet.* Quatè ſinè adjutorio *quo* juxtà Janſenium, homo nullo modo ſibi ſufficit, ut oret. Prætereà Noriſius ibidem de auxiliis remotis hæc ſcribit pag. 92. *In quo autem conſiſtant hujuſmodi auxilia remota, non ita facilè explicatur; etenim miris modis Deum humanas voluntates ad bonum faciendum movere idem Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. veriſſimè affirmat.* Igitur juxtà Noriſium Deus auxiliis remotis humanas voluntates ad bonum faciendum movet, nempè ad actus tenues & minùs perfectos, exempli gratiâ, conatus ad implenda præcepta, & orationes ad impetrandas vires, uti ſuperiùs expoſui, qui profectò actus non ſunt puræ putæ velleitates, uti cenſet Janſenius, ſed voluntates licèt ſinè ulteriori auxilio inefficaces ad implenda præcepta. Ubinam ergo in Noriſii dictis Janſeniſmus cubat?

Eandem fallaciam Anonymus in ſcrupulis pag. 33. & in Informatione pag. 20. iiſdem utrobique verbis intendit, fingens neceſſitatem antecedentem peccandi ſinè gratiâ ſufficiente eodem modo à Janſenio & à Noriſio, quod abſit, explicari, ne peccantes ab impotentiâ ſervandi mandati, excuſari poſſint. Sunt geeræ geemanæ. Janſenius lib. 3. de gratiâ Chriſti cap. 15. pag. 145. col. 2. ideò juxtà aliquos negat neceſſitatem antecedentem peccandi: *Non enim*, inquit, *ideò peccant, quia non poſſunt abſtinere à peccato, quamvis reverà non poſſint; ſed idcircò peccant, quia non volunt, neque vellent abſtinere, etiam ſi poſſent.* Ipſe verò meliùs reſponderi putat, dicendo impotentiam eſſe quæ ex defectu ipſius voluntatis ſeu volitionis oritur, *quæ ſi adeſſet, quanta adeſſe debet, præceptum facillimè impleretur*; pag. 146. col. 1. Utraque reſponſio eſt frivola, nec vel apparenter tollit difficultatem. Nam ſi reverà non poſſunt, eſt planè antecedens neceſſitas. Rursùs defectus volitionis oritur ex impotentiâ voluntatis, quæ non poteſt ſervare mandatum ſinè gratiâ, qua omninò caret, cum quocunque medio eandem obtinendi, ac proinde eſt neceſſitas antecedens. Quod addit pag. 147. col. 1. poſſe homines ſine gratiâ vitare peccata *illâ remotiori poteſtate, qua poſſunt ea vitare, ſi voluerint*, idem eſt, ac ſi quis homini jubeat, ut Lunam tangat, ſi velit volare. Nam perinde homini impoſſibile eſt volare, ac Lunam tangere; eodemque modo homo ſinè gratiâ non poteſt velle vitare peccata. At Noriſius neceſſitatem antecedentem eâ notione intelligens, qua à Theologis exponitur, hæc ibidem pag. 44. col. 1. de Infidelibus ſcribit: *Quamvis enim careant auxilia proximè ſufficienti, habent tamen quædam auxilia remota; undè non patiuntur antecedentem neceſſitatem peccandi, quam licèt humanum genus ex peccato primi parentis incurrerit, Chriſti tamen Redemptoris beneficio ſublata eſt, ut acutè probat noſter Poncius 1. par. relect. de grat. cap. 15.* Illud auxilium remotum, eſt adjutorium *ſinè quo non*, quod idem Auctor in ſtatu naturæ lapſæ admittit ad eliciendos actus bonos remiſſos, debiles, ac minùs perfectos, quibus tamen adjutorium *quo* ad robuſtiores actus ad implendam legem neceſſarios impetrari poteſt. Quis autem non intelligat ex illâ Poncii ac Noriſii ſententiâ apertè colligi ejuſdem diſcrimen à rejectâ opinione Janſenii? Illi cenſent ex Adami peccato ipſum Adamum ejuſque poſteros ſecluſo beneficio Redemptoria, contraxiſſe neceſſitatem antecedentem peccandi, quæ tamen neceſſitas Chriſti Domini meritis ſublata fuit etiam ab infidelibus, de quibus ibidem Noriſius loquitur. At certum eſt eam neceſſitatem non eſſe ſublatam niſi beneficio auxilii proximi vel remoti, quocum utroque auxilio eadem neceſſitas eſt incompoſſibilis; quarè omnes homines, à quibus ea neceſſitas ablata eſt, facti ſunt beneficio Redemptoris participes gratiæ ſufficientis proximæ vel ſaltem remotæ. At Janſenius, cujus verba à pag. 194. recitavi, contendit infideles carere gratiâ ſufficienti, *tam proximâ quàm remotâ, & omnibus principiis ejus.* Qua de plura ſcribit lib. 3. de Gratia cap. 11.

Hìc conſultò omitto quæ Anonymus in utraque opellâ de notione potentiæ proximæ in actu primo ex inſignibus Thomiſticæ ſcholæ Doctoribus addenſat; ſiquidèm nihil indè præjudicii Noriſii doctrinæ infertur, qui potentiam proximam ad orandum cum adjutorio *ſinè quo non* palàm admittit. His adde, quod in gratiâ proximè ſufficienti exponendâ Doctores diverſimodè opinantur. Nam Cardinalis Brancatus de Laureâ Opuſc. 3. de gratiâ cap. 4. num. 83. mirari ſe dicit cum aliis viris doctis, cur à recentioribus Theologis gratia, qua homo vocatur, illuminatur, & excitatur ad faciendum bonum, & effectum non obtinet, dicatur *ſufficiens ad diſtinctionem efficacis, quæ ſemper habet annexum effectum, cùm ſatis non ſit ad eum ponendum, ſicut efficax, quæ in rigore dici deberet ſufficiens.* Prætereà Franciſcus Macedo in Auguſtini lectione verſatiſſimus, in Scrinio S. Auguſtini c. 8. univerſam Noriſii doctrinam, quam hactenùs defendi, uti Auguſtinianam tuetur, & à pag. 87. pluribus contendit ſolam gratiam efficacem dici poſſe *proximè ſufficientem*, quod aliis quoque Theologis placuit, quos inter eſt Cumel tom. 3. variar. diſp. 5. ſect. 1. pag. 207. Sed cùm de re illi conveniant, haud vacat de nominibus diſputare. Atque hìc finem habeat Noriſianæ doctrinæ apologia, quam importunitas adverſariorum extorſit, qui laudatum Scriptorem tùm læſæ Apoſtolicæ Sedis infallibilitatis, tùm Janſeniani erroris reum peragere variis ſubinde ſcriptiunculis conati ſunt. Quibus ex S. Auguſtino lib. 3. con. Julianum cap. . . . . repono: *Modò cauſa finita eſt. Nec ampliùs vobiſcum agendum eſt, quantum ad jus examinis pertinet, niſi ut peractam apud Apoſtolicam Sedem, quæcunque fuerit, cenſuram cum pace ſequamini. Quod ſi nolueritis, à turbulentâ vel inſidioſâ inquietudine cohibeamini.*

F I N I S.

SOMNIA QUINQUAGINTA

F. MACEDO

IN ITINERARIO

SANCTI AUGUSTINI

Poſt Baptiſmum Mediolano Romam,

Excutiebat levi brachio

P. FULGENTIUS FOSSEUS

Auguſtinianus Sac. Theol. Profeſſor.

Ad Reverendiſſimum ac Sapientiſſimum Patrem

D. JOHANNEM MABILLON

Congregat. S. Mauri Ord. S. Benedicti.

Somnia extollunt imprudentes. Eccleſ. 34. 1.



Digitized by Google

Digitized by Google

Ad Eruditiſſimum, ac Sapientiſſimum Virum

P. D. JOHANNEM MABILLON MONACHUM BENEDICTINUM.

P R Æ F A T I O.

VEreor ne in publica commoda peccare velle videar, cùm te, V.C. gravioribus ſtudiis occupatum ad ludicrum quoddam cum larvis certamen ſpectandum invitem; imò in eodem etiam temet judicem poſtulem. Ingens morum ſodalium, quos inter princeps haberis, erga S. Auguſtinum cultus, atque in ejuſdem Patris voluminibus emendatiſſimis typis recudendis labor ac diligentia jure ſuo poſcunt, ut racèns editi Hodœporici Auguſtiniani fabulam tibi exponam. Franciſcus Macedo fœcundiſſimus librorum Auctor, de myſterio Incarnationis *Tomum ſingularem* (non ob doctrinam prorsùs non vulgarem, ſed quòd unicus eo de argumento eſt) in lucem nuper emiſit; adjectâ ad calcem prolixiori diſputatione contrà monachatum S. Auguſtini, cum appendice neſcio cujus ſomniati Itinerarii Auguſtiniani. Porrò oppidò factum eſt, ut unà ſimul Hodœporicon Ambroſii Camaldulenſis ab eruditiſſimo tuìque nominis ſtudioſiſſimo Antonio Magliabeco ad amicum in Galliam tranſmiſſum, ac Hodœporicon Auguſtinianum à Macedo deſcriptum apud Lugdunenſem Bibliopolam repererim. Illud autem ab eodem doctiſſimi Magliabeci amico, mutuò acceptum, hoc verò alterum parvi emptum ſedulò evolvi. Equidem in Itinerario Ambroſii tantus ubique verborum nitor, tam exacta locorum deſcriptio, tantus ſententiarum ſplendor elucet, ut Auctoris ſui nomen ac famam impleat, & augeat. At in Itinerario à Macedo concinnato paſſim & ubique fictas fabulas, ſplendida mendacia, ac penè immenſam ſomniorum ſecum invicem concurſantium catervam offendi, ita ut in eo monſtroſo Itinerario deſcribendo non modò extra orbitas vagetur, verùm etiam totâ planè viâ præceps aberret. Hic homo, quo neminem glorioſiorem videas, in poſtremis ejus voluminis verſibus ait: *Quòd autem de Auguſtino tam ſubtiliter & accuratè tractaverim, is meus mos eſt & vetus & ſanctus, quem delectat de Auguſtino & meminiſſe, & loqui imò & pro conſuetudine ſomniare, quæ mea ſumma & ſingularis voluptas eſt, nec me pudet fateri.* Itaque quo eidem ſomniatam de Auguſtino voluptatem etiam atque etiam intandam, ejuſdem Itinerarii veſtigia relegens, ſingula in eodem de Auguſtino ſomnia ſomniata recitabo, ac novum faciam, ut in veteri comœdia eſt, homini volupe. Tantus eſt meus ergà Auguſtinum amor, ut ægrè feram quidpiam, quod Auguſtinum attinet, vel minimâ etiam ſomniorum labe obſcurari. Interim, Vir doctiſſime, oculos manumque à magnis Annalibus, quibus præclara tuæ gentis facinora ad ſeros poſteros immortalibus ſcriptis tranſmittis, parumper abſtineas precor, nec mihi illa Martialis carmina reponas:

Lib. 9. xxi. *Nobis non licet eſſe tam curioſos,*
Qui Muſas colimus ſeveriores.

Fateor me audaciæ ac temeritati proximum fieri, qui ſcriptori vigilantiſſimo ſomniorum examen imponam. At ſcito me in hac ſomniorum confutatione pro Auguſtinianâ hiſtoriâ vigilaſſe, ut annum præſertim baptiſmi S. Auguſtini clavo trabali figerem, quem nemo poſſit refigere. Papæ, inquis, quàm grandia ac cothurnata verba loqueris! Ut aliquam tibi legendi curioſitatem injiciam, ampullor. Auguſtiniani ad te commendandum, inter ſe, ut Terentii verbis utar in Phormione, *omnes congruunt. Unum cognoris, omnes noris.*

FRANCISCUS MACEDO.

In Collatione IX. de Incarnatione, differentia II. in fine cap. 7. pag. 724. col. 2. huncce titulum ponit.

ITINERARIUM

Auguſtini poſt Baptiſmum Mediolano Romam.

QUanti, inquit, *ſit hoc momenti ad inſtitutum noſtrum confirmandum, facilè quivis diligens Lector agnoverit. Nam ſi Auguſtinus ſtatim poſt baptiſmum profectus eſt Mediolano Romam, & rectà eo, ac eodem anno, imò & menſe quàm diſceſſit, pervenit: ruent omnes illæ machinæ Piſanarum digreſſionum, & Centumcellis commorationum, &c. Itaque danda eſt opera & quidem magna, ut conſtet quanam* ratione *illud iter ſuſceperit, inierit, confecerit.*

SOMNIUM I.

INitio quidem arbitrabar *operâ & quidem magnâ* abs te Auguſtini iter deſcribi, ut Antonini, & Rutilii Numatiani Itinerariis non parva fieri poſſet acceſſio. Cùm Cicero legatus ad Antonium Mutinam obſidentem à Senatu deſtinatus fuiſſet, nullas ſibi eò vias tutas teſtabatur: *Tres*, inquiens, *ut dixi, à ſupremo mari Flaminia; ab infero Aurelia; media Caſſia.* Agedum tam *magnâ operâ* indicabis, quâ viâ Auguſtinus Romam redierit. Num Aureliâ, vel potiùs Flaminiâ iter illud habuerit. An quòd ille ac ſocii Afri erant, formidata olim Italiæ Annibalis veſtigia ſecuti, Apennini juga ſecantes, in Etruriam deſcenderunt, ut inde viâ Caſſia Romam, aut ad Oſtia Tiberina contenderent? Numerabis ſocios itineris Monicam matrem cum puero Adeodato, Alipio & Evodio, quibus fortaſſis etiam addes Licentium, Trigetium, Laſtidianum, ac Ruſticum, quos conterraneos contubernales tum Mediolani, tum in ſeceſſu Caſſiciaco Auguſtinus nuper habuerat. Narrabis num rhedâ, vel equo, iter confecerint; ad quas manſiones diverterint; apud quos hoſpitati fuerint, ac cætera denique exequèris, quæ *operam & quidem magnam* deceant. Nihil tamen horum recitas, ſed ais Auguſtinum die octava Aprilis A. 388. Mediolani baptizatum, ac ſtatim inde profectum ad Oſtia Tiberina perveniſſe *die vigeſimâ Aprilis conſumptis in itinere diebus duodecim omnino neceſſariis ad illud iter prolixum conficiendum.* Hoc Hodœporicon Auguſtini eſt *operâ & quidem magnâ* tibi deſcriptum; cùm tamen non iter, quod magno hiatu promiſeras, ſed itineris tempus narraveris. Sed qualemlibet

libet titulum inſcripſeris, quid in Itinerario elucubrando magnam operam jactas, qui ex Gabrielis Pennoti hiſtoriâ Tripartitâ totum illud iter exſcripſeris? Is enim cum lib. 3. cap. 4. num. 6. dixiſſet Auguſtinum A. 388. die octava Aprilis Mediolani baptizatum, quæ Echo fideli pariter recantaſti, ait: *Obitum B. Monicæ in quartum diem menſis Maii rejiciunt, ex quibus ſi dies tredecim detrahas, quibus illa ante obitum ſuum ad Oſtia Tiberina venit, oportebit illam ſaltem die 20. Aprilis in Oſtiis Tiberinis fuiſſe.* Hæc ille ante ſex & quinquaginta annos ſcribebat, ut *Piſanas digreſſiones, ac Centumcellis commorationes* rejiceret. Itane *operam & quidem magnam* tuo illi Itinerario concinnando abs te poſitam jactas, qui totius itineris rationem ex Pennoti volumine in tuum tranſtuliſti, niſi tibi qui in hujuſce tomi frontiſpicio XXXXX. *Librorum auctor* inſcriberis, *magna opera* videatur, paucos è Pennoti hiſtoriâ verſus exſcribere. Hæc *magna opera*, quæ ſanè nulla eſt, primum tuum ſomnium ſit. At ſcitè Cicero lib. 2. de divinat. ait: *Nihil eſt magnum ſomnianti.* Hanc tamen tuam *magnam operam* ſomniato.

M A C E D O.

Pag. 725. col. 1. *PRimùm ſtatuendus eſt annus ætatis, quo fuit baptizatus Auguſtinus. Is planè eſt indubitatus, ſcilicet annus trigeſimus tertius inchoatus ipſis Idibus Novemb. ideſt die 13. ejus menſis, qui dies ejus Natalis anniverſarius erat, quemadmodum ipſe ſcribit libro de beata vita diſput. prima diei:* Idibus, *inquit*, Novembris mihi Natalis dies erat. *Quod autem ille annus eſſet 33. Auguſtini, teſtatur ipſemet lib. 2. contra Academicos, quos eo tempore dictabat rure Caſſiciaco:* ſed cùm trigeſimum & tertium ætatis annum agam: *iiſdem nempè Idibus, ideſt 13. Novembris.*

S O M N I U M II.

IN ipſo Itinerarii limine offendiſti. Malum omen. Annus trigeſimus tertius ætatis Auguſtini, cùm Baptiſmum ſuſcepit, eſt indubitatus. At dubium eſt, num idem annus fuerit completus, vel tantùm inchoatus. Baronius ad Ann. 388. & Rivius lib. 1. de vita Auguſtini cap. 1. §. 26. 27. & 29, aliique contendunt S. Doctorem aquis ſalutaribus ablutum anno ætatis trigeſimo tertio completo. Tu verò ſomnias eſſe indubitatum, quod apud inſignes ſcriptores falſum eſt, apud alios ad huc ſub lite. Hinc ad graviſſimam controverſiam tollendam, nec *grù*, nec *gry* reponis; cùm tamen in hac unâ totius difficultatis cardo verſetur. Nec ſatis eſt quòd tu quinquaginta tomorum Auctor ſecus opineris; *opinio enim fallax eſt inſomnium*, inquit vetus Scholiaſtes Nicera ad orat. 43. Nazianzeni. Qiid autem hac de re ſentiendum videatur, ad ſomnium proximum exponam.

M A C E D O.

Ibidem *NAm omnes tos libros contra Academicos tres, de Ordine duos, unum de Vita beata, Soliloquiorum duos, eodem loco continenter, imò & ſimul intervallis diſparibus compoſuit, quemadmodum narrat lib. 1. Retract. cap. 2. ubi rurſum affirmat diem 13. Novembris ſuum eſſe* Natalem. *Hunc autem baptiſmi in ſuum annum 33. incidiſſe, quem inchoavit, iterum ſcribit lib. 1. Soliloquiorum cap. 19.* (repone 10.) Nam cùm, *inquit*, triginta tres annos agam. *Quod opus ſimul cum aliis, & inter alia quinque proximè numerata, in eodem agro compoſuiſſe dicis lib. 1. Retract. cap. 4.*

S O M N I U M III.

QUid hìc ſomnias præter opus Soliloquiorum, *alia quinque proximè numerata* Auguſtino rure Caſſiciaco elucubrata? Laudaſti præter Soliloquia, opus contrà Academicos, opus de Ordine, opus denique de vitâ beatâ. Hæc S. Doctoris opera cùm rectè tria in digitis numeraveris, cur in iiſdem verſibus in quinque multiplicantur? Reponas ergo: *inter alia*, tria, *proximè numerata, &c.* At rurſus repetis annum 33. inchoatum, nec rem dubiam probas, qui paſſim *invicta & irrefragabilia argumenta* jactare ſoles. Ipſe tamen tuas partes implebo. Auguſtinus in procemio de vitâ beatâ ait: *Ego ab uſque undevicesſimo anno ætatis meæ, poſtquam in ſcholas Rethorum librum illum Ciceronis, qui Hortenſius vocatur accepi, tanto amore philoſophiæ ſuccenſus ſum, ut ſtatim ad eam me transferre meditarer.* Hæc ille ſcribebat Idibus Novembris die ſuo Natali. Idem poſtea ſcripſit libros duos de Ordine, in quorum altero cap. 1. ait: *Interpoſitis deinde pauculis diebus, venit Alypius, & exorto ſole clariſſimo, invitavit cæli nitor, & quantum in illis locis hyeme poterat, blanda temporis in pratum deſcendere.* Itaque ille liber ſcriptus fuit jam incumbente hyeme. Poſtremum opus Soliloquiorum ibidem compoſuit, ac in duo volumina diſtinxit, in quorum primo cap. 10. ait: *Nam cùm triginta tres annos agam, quatuordecim ferè anni ſunt, ex quo iſta cupere deſtiti, nec aliud quicquam in his, ſi quo caſu offerrentur præter neceſſarium victum, liberalemque uſum cogitavi. Prorſus mihi unus Ciceronis liber facillimè perſuaſit, nullo modo appetendas eſſe divitias, &c.* Ex utriuſque teſtimonii collatione non obſcurè colligitur Auguſtinum Idibus Novembris anni proximè elapſi, inchoaſſe annum tertium ſupra triceſimum. Nam ab anno undevicesſimo, quo primùm Ciceronis Hortenſium legit, ad annum 34. labentem, interſunt anni integri ac completi quatuordecim. Cùm verò S. Doctor annos numeret *quatuordecim ferè*, quidpiam ſanè temporis ad annos xiv. complendos defuiſſe ſignificat. Auguſtino exeunte Februario, *de agro Mediolanenſi reverſo* in urbem, Soliloquia *imperfecta remanſerant.* Lib. 1. Retract. cap. 5. Qui tempus deſignans lib. 9. Confeſſ. ca. 6. ait, *Inde ubi tempus advenit, qua me nomen dare oporteret, relicto rure, Mediolanum remeavimus.* Catechumeni baptiſmum proximè ſuſcepturi, nomen Epiſcopo, coram populo, in foribus Eccleſiæ dabant die quadrageſimo antequam baptizarentur, ex Epiſtola Siricii ad Himerium Tarraconenſem cap. 2. quæ Epiſtola data eſt A. 385. Bautone conſule, cui Auguſtinus Mediolani Kal. Januariis, quibus Conſul proceſſit, panegyrim recitavit.

M A C E D O.

Supereſt nunc oſtendere eodemmet anno 33. fuiſſe Romæ ad Oſtia Tiberina. Primò ponit lib. 1. Retract. cap. 6. ſe Ibid col. 2. *cùm jam eſſet baptizatus Romæ unum ſcripſiſſe librum de moribus Eccleſiæ, & alterum de moribus Manichæorum, lib. 8. Confeſſ.* (repone lib. 9.) *cap. 8. narrat ſe cum ſociis pariter Româ* in Africam remeare. *Eundem annum illum eſſe 33. ſuæ ætatis tradit lib. 9. Confeſſ. cap. 11. commemorans de morte Monicæ matris:* Ergo die nono ægritudinis ſuæ, quinquageſimo & ſexto ætatis ſuæ, trigeſimo & tertio ætatis meæ, anima illa religioſa & pia corpore ſoluta eſt. *Quarto Maii decurrentis anni 33. ſemeſtri nondum completo, erat Oſtiæ, & juſta ſolvit Matri. Quid evidentius?*

S O M N I U M IV.

DUm dicis Auguſtinum eodemmet anno 33. fuiſſe *Romæ ad Oſtia Tiberina*, videris ſomniare Oſtia Tiberina fuiſſe publicam aliquam ædem, vel forum in urbe. Nam paſſim legimus: *Roma ad Urſum pileatum: Romæ ad forum Trajani, &c.* At Oſtia Tiberina ex Antonini Itinerario diſtabat Româ M.P.XVI. Potes *vetus & ſeverus Poëta*, uti temet venditas pag. 718. col. 1. cum Satyrico *in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo*; at monſtroſè ſomnias Oſtia Tiberina intrà urbem locando. Duabus literulis, *e*, ac *t*, inſertis, ubi primùm vigilaveris, periodum reſtitue: *Roma & ad Oſtia Tiberina.* Eritne hæc correctio *opera & quidem magna*?

S O M N I U M V.

PRæterea ſcribis Auguſtinum jam baptizatum: *Romæ unum ſcripſiſſe librum de moribus Eccleſiæ, & alterum de moribus Manichæorum*, & eundem narrare: *Se cum ſociis pariter Româ in Africam remeare*; ac cùm Oſtiam veniſſet, matrem Monicam extinctam, quarto Maii. Hic tuum Itinerarium appello, in quo ſcribis Auguſtinum cum matre Mediolano die 9. Aprilis Ann. 388. profectum, ad Oſtia Tiberina *perveniſſe die 20. Aprilis conſumptis in itinere diebus duodecim omnino neceſſariis ad illud iter prolixum conficiendum.* Pag. 726. col. 1. Quæſo te, num putes neceſſarios etiam aliquos dies ad duos illos libros componendos, quos narras Romæ ab Auguſtino ſcriptos priuſquam *Româ in Africam remearet*? Uterque liber in editione Lugdunenſi Ann. 1586. conſtat ex paginis fermè tredecim, in quarum ſingulis leguntur verſus 284. Demus & ipſum Auguſtinum *operam & quidem magnam* utriuſque libri ſcriptioni impendiſſe, ita ut quotidie currenti càlamo, verſus octingentos ac quinquaginta duos exaraverit, vix intrà quatriduum duodecim paginas ſcripſiſſet. Rurſus altera inſuper dies impenſa eſt itineri Româ ad Oſtia Tiberina, quò cum 20. Aprilis, te deductore, pervenerit, Romam ingreſſus fuerat die xv. Aprilis, poſtquam die 9. ejudem menſis Mediolano diſceſſit. Cùm verò iter Mediolano Romam viâ Aureliâ, quæ ea ætate cæterarum erat breviſſima, fuerit M. P. 454. Auguſtinus intrà ſeptem dies illud iter emenſus, ſupra ſexaginta quinque milliaria, (iter primæ diei M. P. 64. feciſſet) ſingulis diebus confeciſſet. Tabellarii qui mutatis ſubinde equis, literas Mediolano Romam deferunt, diu noctuque curſitantes, ſexto die iter conficiunt.

S O M N I U M VI.

DEnique in pauciſſimis illis verſibus, tertiùm tibi ſomnus obrepit, dum ais Auguſtinum *narrare ſe cum ſociis pariter Româ in Africam remeare.* Hæc ille, cùm narraſſet ſe Mediolani baptizatum fuiſſe, ac Evodium in ſuum contubernium veniſſe ſcribit: *Quærebamus quiſnam locus nos haberet utiliùs, ſervientes tibi, pariter remeabamus in Africam. Et cùm apud Oſtia Tiberina eſſemus, mater defuncta eſt.* Nulla hìc, quam ſomnias, Roma nominatur. Et ſanè ſi Mediolano rectà Romam venerunt, duodecim tantùm dies itineri conficiendo neutiquam ſufficiebant, ut ad Oſtia etiam Tiberina pervenirent. Conſule Itinerarium Antonini, & intelliges Româ Derthonam uſque viâ Aureliâ iter fuiſſe M. P. 408. Derthonâ Mediolanum numerantur M. P. 46. Ita Româ Mediolanum M. P. 454. Hæc milliaria divide per 12. habebis ſingulis diebus M. P. 38. minùs duobus una die. Ita Auguſtinus, & quod te decet conſiderare, Monica mater propior ſexagenariæ, tam magnis itineribus Mediolano profecti, die duodecimâ Romam perveniſſent At remanet aliud iter Româ Oſtiam, cui ſi diem decimum tertium aſſignas, tota Itinerarii tui machina *operâ & quidem magnâ* conſtructa, labaſcit ac corruit; niſi enim die 20. Aprilis Oſtiam pervenerint, Itinerarii ab Auguſtino deſcripti, ratio, ut putas, non conſtat. Itaque Auguſtinus Mediolano diſcedens recto itinere Oſtiam viâ Aureliâ pervenit, in Africam tranſmiſſurus. Scribit lib. 9. Confeſſ. cap. 10. ſe unà cum matre in ecſtaſim raptum, *illic apud Oſtia Tiberina, ubi remoti à turbis, poſt longi itineris laborem, inſtaurabamus nos navigationi.* At ſi antea Romæ commoratus, iter poſtea Oſtiam M. P. xvi. feciſſet, minùs rectè, immò falsò *longi itineris laborem* dixiſſet. Illum verò Romæ, antequam in Africam tranſmitteret, commoratum, patet ex lib. 1. Retract. cap. 7. ubi ait: *Jam baptizatus autem cùm Romæ eſſem, nec ferre tacitus poſſem Manichæorum jactantiam, &c. ſcripſi duos libros, unum de Moribus Eccleſiæ Catholicæ: alterum de Moribus Manichæorum.* Et cap. 9. *Cùm adhuc* inquit, *Romæ demoraremur*, narrans ſe in urbe ſcripſiſſe librum primum de libero arbitrio. Ex his colligo Auguſtinum cum Monicâ matre, ac ſociis Mediolano rectà ad Oſtia Tiberina profectum; ubi matre defunctâ, mutato navigandi in Africam conſilio, Romam ſe contulit, ac ibidem aliquot menſes moratus, plures libros elucubravit.

M A C E D O.

NOn modò uno & eodem anno, ſed uno ac eodem menſe confecit iter, ideſt Aprili. Rem ad calculos exiliter revocemus. P.725. col. 2. *Gratum hoc erit Lectori. Omnia ſunt apud Auguſtinum, ipſe Itinerarium exhibebit. Relegamus veſtigia.*

S O M N I U M VII.

SOmnias, cùm dicis, omnia eſſe apud Auguſtinum, cùm verè pronuntiaſſes: *Omnia ſunt apud Pennotum ipſe Itinerarium exhibebit.* Unius Pennoti veſtigia relegiſti, qui olim hocce Itinerarium tibi præformaverat. Hæc ille ſcribit lib. 1. Hiſt. Tripart. cap. 5. num. 2. *Rursùs ſequitur quòd eodem menſe Aprilis, in quo fuit baptizatus, fuit etiam apud Oſtia Tiberina in Africam rediturus, quia B. Monica obiit die 4. Maii, ſed illa fuit in Oſtiis Tiberinis ſaltem diebus tredecim priuſquam ex hac vita migraret, ergo circa diem 21. Aprilis ejuſdem ſcilicet menſis, in quo B. Auguſtinus fuerat baptizatus, in Oſtiis Tiberinis conſtiterant.* Cur ergo hujuſce Itinerarii auctorem Auguſtinum producis, cùm unius Pennoti manu deſcriptum fuerit, ac à Petro Campenſi, Thomâ Herrerâ, & Aloyſio Torello ſolidiſſimè refutatum, ita ut vix quicpiam recens excogitari poſſit, quod à viris doctiſſimis præoccupatum non fuerit. Hæc tibi ex veteri Poeta reponantur:

Aliena quiſquis recitat, & petis famam;
Non emere librum, ſed ſilentium debet.

Scribis: *Rem ad calculos exiliter revocemus.* At ex tuis calculis Auguſtinus ac Monica duodecim dierum ſpatio, nuſquam interrupto itinere, mediâ ſaltem die alicubi ſpiritum ac vires colligendo, nimium, te deductore delaſſantur; ſiquidem reapſe illam peregrinantium turmam, ſuis etiam ſarcinis gravatam, magnis itineribus Mediolano Romam uſque, imò per Romam ad Oſtia ſtatim Tiberina traxiſti, ita ut octo diebus M. P. 40. reliquis quatuor M. P. 38. confecerint. Profectò ſi ad calculos, quos in digitis tam facilè numeraſti, pedibus, imò etiam equo illud iter tibi habendum eſſet, neſcio an exiliter laborares.

MACE-

MACEDO.

Pag. 725. col. 2. QUarto Maii mortua Mater, die ſuæ ægritudinis nono: *Sume hos novem dies, invenies eam jam 26. Aprilis Oſtiæ eſſe; nam quinque dies Aprilis neceſſarii ſunt ad complendam ſummam novem dierum ægrotationis*: Nono die, *quem numerum conficiunt quinque Aprilis, & quatuor Maii: in his quinque includitur dies 26. Aprilis, quo die jam decubuerat Monica. Redi nunc ad Auguſtinum. Puta rationes; ait eodem cap. 11. lib. 9. Confeſſ. quinque dies incolumem fuiſſe Matrem poſtquàm perventum eſt ad Oſtia Tiberina*: Tunc interea vix intra quinque dies, aut non multò amplius, febribus decubuit: *Numera hos & conjunge cum aliis quinque ægritudinis*, reddunt diem & *comprehendunt diem 21. Aprilis. Jam ergò illo die ibi erat Monica cum Auguſtino. Pervenerant igitur die 20. Aprilis, conſumptis in itinere diebus 12. omnino neceſſariis ad illud iter prolixum conficiendum, &c.*

SOMNIUM VIII.

HOc totum eſt Itinerarium *opera & quidem magnâ* deſcriptum, quod ut prolixius fieret, inaniter verboſaris; nam uno verbo poteras dicere. *Quarto Maii mortua Mater die ſuæ ægritudinis nono; quarè die 26. Aprilis febribus decubuit.* At tu rem ſanè difficilem creditu, probandam cenſuiſti ſcribens: *Invenies eam jam 26. Aprilis Oſtiæ eſſe; nam quinque dies Aprilis neceſsarii ſunt ad complendam ſummam novem dierum ægrotationis*: Nono die. Cur rem per ſe ipſam vel muliercuiis manifeſtiſſimam, viris eruditis tam pueriliter inculcas? Haud repetam mihi ſomnium videri quum ais Monicam ac cæteros ſocios intra duodecim dies ſpatium M. P. 454. imò ſi Oſtiam, uti putas, per Romam (ita Itinerarii ſcriptores loquuntur) rectà pertexit, M. P. 470. emenſam fuiſſe. Alterum inſomnium hic loqueris, ſcribens Monicam die 20. *Aprilis* ad Oſtia Tiberina perveniſſe, ac die poſtea 26. febribus decubuiſſe; teſtem citans Auguſtinum, qui ſcripſerit *quinque dies incolumen fuiſse Matrem, poſtquam perventum eſt ad Oſtia Tiberina.* Somnias; nuſquam hoc Auguſtinus adſtruit. Pennotus, cujus Itinerarium tam fideliter exſcribis, illa comminiſcitur lib. 1. cit. cap. 4. num. 6. ſcribens: *Cùm B. Monica intra quinque dies poſt adventum ſuum ad Oſtia Tiberina, febribus decubuerit.* Et ſtatim: *Nam obitum B. Monicæ omnes in quartam diem Menſis Maii rejiciunt, ex quibus ſi dies tredecim detrahas, quibus illa ante obitum ſuum ad Oſtia Tiberina venit, oportebit illam ſaltem die 20. Aprilis in Oſtiis Tiberinis conſtitiſse.* Videſne archetypum Hodœporici, quod *opere & quidem magna* iterum tam bellè delineaſti? Verùm audiamus Auguſtinum, qui lib. 9. Confeſſ. cap. 10. narrans quæ apud Oſtia Tiberina ſibi cum matre, priuſquàm poſtremo morbo decumberet, contigerunt, hæc Deum alloquens, ſcribit: *Provenerat, ut credo, procurante te occultis modis, ut ego & ipſa ſoli ſtaremus, incumbentes ad quamdam feneſtram, undè hortus intra domum, quæ nos habebat, proſpectabatur, illic apud Oſtia Tiberina ubi remoti à turbis, poſt longi itineris laborem, inſtaurabamus nos navigationi. Colloquebamur ergo ſoli valdè dulciter, &c.* Narrat cùm de cœleſti patria loquerentur, ectaſim paſſos; ac poſteà ſibi Matrem dixiſſe: *Fili quantùm ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Quid hic faciam, & cur hic ſim neſcio, &c.* Tum addit Auguſtinus: *Ad hæc quid reſponderim neſcio. Cum interea vix intra quinque dies, aut non multò amplius decubuit febribus.* Quæſo te, Rev. Pater, ubinam Auguſtinus dicit quinque tantùm dies incolumen fuiſſe Matrem apud Oſtia Tiberina, ita ut cùm illuc die 20. Aprilis pervenerit, die 26. morbo correpta, quartâ poſtea Maii è vita migraverit? Hoc unum S. Doctor teſtatur, Matrem non quinto die poſtquàm Oſtiam pervenerant, uti ſomnias, ſed quinto die poſt tranſactum illud colloquium febribus decubuiſse. At dices Auguſtinum cum Matre die 20. Aprilis Oſtiam perveniſse, ac die inſequenti 21. illud colloquium ſecum invicem habuiſse. Fateor id in tuos calculos aptè cadere, ac quadrare. Verùm hujuſce tuæ imaginationis nuſquam Auguſtinum auctorem habes. Et ſanè Auguſtinus dum ait: *Vix intra quinque dies, aut non multo amplius decubuit febribus*, dubium ſe eſse ſignificat, num fuerint tantùm quinque dies, *aut non multò amplius*, v. g. ſex, ac dimidios. At tu, quaſi certius illa explorata haberes, quæ Auguſtinus & filius & præſens, de Matre ſcripſit, poſt tredecim ſæcula contendis quinque tantùm dies, nec plures omninò fuiſse; nam Monica die 20. Aprilis Oſtiam pervenerat, 26. decubuit, ac nono ægritudinis, IV. Non. Maii è vita diſceſſit. Si hoc non eſt ſomniare, quid eſt?

MACEDO.

UNum tamen adverto *vigilantiſſimum Auctorem Pennotum videri neſcio quid minutum fugiſſe* (& Pag. 726. col. 1. correctâ mendosâ citatione libri Soliloquiorum) *Eo*, inquis, *dico ne quis laboret in inquirendo textu quemadmodum & mihi contigit. Illud item addidero ſcripſiſse ex incogitantia mendum circa diem Iduum Aprilis, quem ille ponit illo cap. 4. lib. 1. num. 6.* §. Dicendum *pro die octavo Aprilis*: Incidit, *ait*, illo anno vigilia Reſurrectionis quarto Idus Aprilis, ideſt, die octavo; *cùm reponendum ſit die 6. Idus*, non quarto. *Nam quartus eſt dies Aprilis 10. non octavus, qui fuit vigilia Paſchæ, uti vult, eo anno. De re conſtat. Fallit computatio per Idus. Tene octavum Aprilis, relinque quartum Idus, & ſumma conſtabit.*

SOMNIUM IX.

INgenuus homo es, qui tandem fateris, per quem profeceris. Hinc quòd ſperabam fore ut aliquando tui Itinerarii Architectum laudares, nunquam te plagii, aut repetundarum reum incuſavi; licèt decantatam tibi *operam & quidèm magnam* non potuerim non deridere, cùm hocce Itinerarium nullo labore ex Pennoti libris exſcripſeris. Ille tamen *Auctor vigilantiſſimus*, cùm in mentem tuam narrata hucuſque ſomnia immiſerit, nunc te, da veniam verbo, in roncos & quidem altiſſimos trahit. Itaque ſcribis eum Pennoto Auguſtinum die octavo Aprilis, Sabbato ſancto, ſeu in vigilia Paſchæ baptizatum, die inſequenti Mediolano, ubi à D. Ambroſio baptiſmum ſuſceperat, ad Oſtia Tiberina *perveniſſe die 20. Aprilis conſumptis in itinere diebus duodecim omninò neceſsariis ad illud iter prolixum conficiendum.* Dein *quinque dies incolumem fuiſse Matrem, poſtquam perventum eſt ad Oſtia Tiberina*, eandem die 26. ejuſdem menſis decubuiſse, quæ *quarto Maii mortua eſt die ſua ægritudinis nono.* Et concludis: *Tene octavum Aprilis & ſumma conſtabit.* Fateor juxta ſomniatos tibi calculos, ſummam conſtare; quæ tamen immane ac horrendum inſomnium, quo deluſerit, oſtenderit. Itane tam profundo ſomno indulſiſti, ut ſomniares Auguſtinum, Alypium, & Auguſtini filium Adeodatum die octavo Aprilis, in pervigilio Paſchatis baptizatos, inſequenti ſtatim die ſanctiſſimo Paſchatis, totaque ſolemni hebdomade iter feciſse, ut ad Oſtia Tiberina *pervenirent*

die

Digitized by Google

die 20. *Aprilis conſumptis in itinere diebus duodecim omninò neceſſari· diâ illud iter prolixum conficiendum?* Neophyti Sabbato · ſcto baptizati, veſtibus albis induabantur, quas octavo poſteà die in Eccleſia deponebant; unde *Dominica in Albis* appellata eſt, qua die Auguſtinus ſermonem 157. de tempore habens, *Paſchalis*, inquit, *ſolemnitas hodierna feſtivitate concluditur, & ideo hodie Neophytorum habitus commutantur, ita tamen ut candor, qui de habitu deponitur, ſemper in corde teneatur.* Hinc eidem Auguſtino in Epiſt. 119. laudantur *octo dies Neophytorum*, quos in prooemio lib. de octo quæſt. ad Dulcitium *dies Sanctos* appellat. Tota illa hebdomas Chriſtianis feſtiva erat, uti patet ex canone Trullano 66. Synodo Matiſconenſi II. cap. 2. Moguntinâ ſub Carolo Magno cap. 39. Meldenſi can. 77. ubi legimus: *Dies quoque octo ſacroſanctæ Paſchalis feſtivitatis omnibus Chriſtianis feriatos eſſe decernimus ab omni opere rurali, fabrili, carpentario, &c.* nempè ut *Chriſtianis omnibus Reſurrectionis laudibus, & ſacroſanctæ prædicationi jugiter inſtare liceat.* Ita inter ſermones S. Auguſtini à 140. ad 164. ii recitantur, quos per ſolemnem illam hebdomadem ad populum habuit. S. Joan. Chryſoſtomus hom. 33. in cap. 12. Geneſeos ait: *Poſteà illuceſcente Reſurrectionis die; neceſſarium erat, ut de Reſurrectione Domini charitatem veſtram doceremus & ſequentibus diebus propter miracula, quæ tunc facta ſunt, Reſurrectionis demonſtratio iterum afferenda erat. In quibus etiam in manus accepimus Apoſtolorum acta; inde nobis continua componentes convivia, & crebris quotidianiſque admonitionibus eos, qui nuper baptiſmi gratiam acceperant, exhortantes.* Paſſim apud veteres ſanctos Epiſcopos leguntur ſermones, quos per eam hebdomadem ad Neophytos habuerunt. Quo verò Chriſtiani id temporis Eccleſiam frequentiores adirent, Valentinianus junior anno 389. illam hebdomadem inter feſtos dies à jure dicundo feriatos reponit: *L. 2. de feriis* Cod. Theod. *Sanctos quoque Paſchæ dies qui ſepteno vel præcedunt numero, vel ſequuntur, in eadem obſervatione numeramus.* Theodoſius junior Ann. 425. Theatrales ac Circenſes ludos inhibuit *L. 5. de ſpectaculis*, Ibid. *Quandiu cæleſtis lumen lavacri imitantia novam ſancti baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur:* Nempè quandiu Neophyti albati ad Eccleſiam procedebant. Et hi quidem ſingulis ejus hebdomadis diebus cum cereis ſacrificio ſolemni in Eccleſia aſſiſtebant, conciones audiebant, ac uni Deo vacabant. Hinc Albinus Flaccus in Epiſt. ad Carolum Magnum ait: *Tunc maximè cum alba tolluntur veſtimenta à baptizatis, per manus impoſitionem à Pontifice accipere Spiritum ſanctum conveniens eſt, qui in baptiſmo omnium receperunt remiſſionem peccatorum, & per ſeptem dies in Angelico caſtitatis habitu, & luminibus cæleſtis charitatis, ſanctis aſſiſtere ſacrificiis ſolent.* Itaque Neophyti per integram hebdomadem veſtibus albis induti, accenſos cereos manu tenentes, quotidie ſacrificio intererant, ac octavo die alba indumenta deponentes, ab Epiſcopo per manus impoſitionem benedicebantur. Plura de his lege apud Joſephum Vicecomitem lib. 5. de antiquis Ritibus Baptiſmi. At Macedo gravi ſomno correptus, ſomniat Auguſtinum ac ſocios Neophytos totâ ſanctâ hebdomade, ne quidem ipſo ſanctiſſimo die Paſchatis excepto, magnis itineribus ad Tiberina Oſtia properaſſe. Ita recentes Neophyti huic homini ſomniantur non albati in Eccleſia, ſed pænulati in via; non ſacros cereos manu geſtantes, ſed eâdem equorum habenas tractantes; non ad altaria accedentes, ſed ad manſiones, ac meritorias tabernas in itinere divertentes; non ſacros hymnos cum Sacerdotibus, cæteriſque fidelibus in Eccleſia concinentes; ſed cum agaſonibus, rhedariis, ac mulionibus iter habentes. Nonne dicendus eſt XXXXX. LIBRORUM AUCTOR ſomniaſſe immania & horrenda inſomnia, quorum vel ipſum etiam, ubi primùm evigilaverit, pudeat, ac quàm maximè doleat talia ſomnia à Pennoto *vigilantiſſimo auctore* in ſuam ipſius mentem immiſſa fuiſſe? Hoc tamen inſomnium lymphaticum ac prorſus Chimericum totius *ITINERARII Auguſtini Mediolano Romam* unica baſis eſt & fundamentum. Nam niſi Auguſtinus cum ſociis Neophytis heſterna die baptizatis, ipſo ſolemni die Paſchatis iter ſuſceperit, id eſt, die nona Aprilis, nec 20. ejuſdem menſis ad Oſtia Tiberina pervenerint, Monica quinque dies incolumis non fuit apud Oſtiam, nec quarta die Maii, nona ægritudinis die defuncta: quæ poſtrema de Monica (?) dilertè Auguſtinus teſtatur, & in Itinerarium debent neceſſariò quadrare.

MACEDO.

IDem menſis jam bonâ parte decerptâ, initium itineris & finis fuit. An hoc inficiari, qui rectè calculos apud Auguſtinum ponat, quiſquam poſſit? Tam ſunt comperta, tam explorata omnia, ut vel in tenebris micanti credi debeat. *Ibidem*

SOMNIUM X.

NEmo non intelligit quæ monſtra adversùs Eccleſiaſticas leges, ritus, ac ceremonias Neophytis ſervandas ſomniaveris. Quàm verò depravatè ac falsò apud Auguſtinum calculos ſomniando poſueris, ipſemet maximus Doctor, cùm primùm longiorem ſomnum excuſſeris, demonſtrabit. Nam hæc ſcribit lib. 9. Confeſſ. cap. 6. *Baptizati ſumus, & fugit à nobis ſolicitudo vitæ præteritæ. Nec ſatiabar illis diebus dulcedine mirabili conſiderare altitudinem conſilii divini ſuper ſalutem generis humani. Quantum flevi in hymnis & canticis tuis, ſuave ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, &c.* Auguſtinus ſua tibi voce ſomnum excutiat. Teſtatur in eo capite, in quo ſuum baptiſmum deſcribit, ſe *baptizatum*, dum in Eccleſia Mediolanenſi hymni ſacri canerentur *illis diebus*, quibus Neophytus Eccleſiam quotidie de more frequentabat, in lacrymas erupiſſe. Deinde capite inſequenti ſcribit hymnorum cantum ante annum ibidem fuiſſe inſtitutum. Synodus Matiſconenſis II. cap. 2. ait: *Paſcha noſtrum debemus omnes feſtiſſimè colere, & ſedulæ obſervationis ſinceritate in omnibus venerari, ut illis ſex ſanctiſſimis diebus nullus ſervile opus audeat facere, ſed omnes ſimul coadunati hymnis Paſchalibus indulgentes perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes Creatorem, & Regeneratorem noſtrum veſpere, manè, & meridie.* Eoſdem quoque hymnos in Græca etiam Eccleſia per octo Neophytorum dies cantari ſolitos patet ex canone 66. Trullano: *A ſancta Chriſti Dei noſtri Reſurrectionis die uſque ad novam diem Dominicam totâ ſeptimanâ vacare fideles jugiter oportet pſalmis, & hymnis, & ſpiritualibus canticis in Chriſto gaudentes, feſtùmque celebrantes.* Hos hymnos, hæc ſacra cantica Auguſtinus jam *baptizatus*, *illis diebus*, hoc eſt, per totam Paſchalem hebdomadem, in Mediolanenſi Eccleſia inaudivit. At tu fictos ac depravatos apud Auguſtinum

Digitized by Google

calculos ſomniando ponens, procul ab Eccleſia ipſo Paſchali die, totaque inſequenti hebdomadâ eundem abſtrahens, ad ineundum iter impellis; à ſacro fonte amotum ſtatim ad rhedam trahis, ſive in equum ſuſtollis, ut in via avicularum cantus inaudiat. Præterea idem S. Doctor poſt narratum ſuum baptiſmum, cap. 7. ait: *Qui habitare facis unanimes in domo, conſociaſti nobis & Evodium juvenem ex noſtro municipio.* Et ſtatim: *Simul eramus, ſimul habitabamus placito ſancto. Quærebamus quiſnam locus nos utiliùs haberet, ſervientes tibi, pariter remeabamus in Africam. Et cùm apud Oſtia Tiberina eſſemus mater defuncta eſt.* Itaque teſtatur Auguſtinus poſt baptiſmum, in contubernium ſecum veniſſe civem Evodium, cùm quo ſimul habitavit placito ſancto, ac cum eodem aliiſque conſilium iniviſſe de eligendo loco, in quo procul à turbis, uni Deo vacarent, ac decreviſſe in Africam pariter remeare. Itaque Auguſtinus aliquantiſper poſt baptiſmum Mediolani ſubſtitit, antequam ad Africam iter ſuſciperet. Equidem in libris quos proximè ante baptiſmum ſcripſit, nunquam Evodius in illis Dialogis interloquitur. At cùm Romæ poſteà Auguſtinus librum de libero arbitrio compoſuit, Evodium diſputantem inducit, quippè qui poſt baptiſmum ſibi apud Mediolanum adhæſerat. Hæc cùm certiſſima ſint, Macedo ſomniando clamat: *Omnia ſunt apud Auguſtinum: Ipſe Itinerarium exhibebit.* Expergiſcere jam tandem, expergiſcere, ac cùm oculos perfricueris, videbis Auguſtinum poſt baptiſmum in Eccleſia Mediolanenſi *illis diebus* Paſchalis hebdomadæ ſacris hymnorum concentibus intereſſe; videbis eundem domi cum novo contubernali eodèmque concive Evodio apud Mediolanum habitantem; videbis te *operam & quidem magnam* Itinerario ex puris putis ſomniatis fabulis contexendo dediſſe, ac non modò, quod fateris, de Auguſtino, verùm etiam in Auguſtino cogitatione ſomniare. Hæc tamen ſomnia à Pennoto *vigilantiſſimo Auctore* gratis accepiſti, qui ſuorum ſcriptorum papavere tam bellè te ſoporavit.

M A C E D O.

INvento die, & menſe, & anno baptiſmi Auguſtini, certum & exploratum habemus, de quo maxima concertatio eſt, annum mortis, & nativitatis Auguſtini. Nihil ego vidi in re Chronologica turbatius, contentioſum de eo funem ducentibus domeſticis, ac externis ſcriptoribus: quorum opiniones quære apud alios. Nam mihi non vacat Theologum agenti. Pag. 726. fol. 2.

S O M N I U M XI.

CRedo equidem, quòd Theologum agis, nihil in re Chronologica turbatius legiſſe, cùm Chronologiæ adyta nec à limine ſalutaveris. Nam ſi Scaligeri, ejuſque antagoniſtæ Petavii, Langii, Petiti, Khriſtmanni, Riccioli, aliorùmque Chronologorum volumina evolviſſes, longè turbatiora obſervaſſes; cùm tamen annus nativitatis, itemque annus obitûs Auguſtini ab eruditis ſcriptoribus Auguſtinianis Campenſi, Herrerâ, Torello, Sabbatino, juxtà vulgarem epocham Chriſtianorum optimè digeſtus ſit. Ricciolius inſignis è Societate Jeſu Chronologus tabulam vitæ S. Auguſtini per annos expanſam exhibet lib. 9. Chronol. cap. 10. art. 1. pag. 402. ſub titulo; *Synopſis annorum præcipuorum S. Auguſtini.* Utinam hanc, non verò Pennoti dicta elegiſſes! Cæterùm quid ſomnias dicendo: *Invento die, & menſe, & anno baptiſmi Auguſtini certum & exploratum habemus annum mortis & nativitatis Auguſtini?* Tune invenisti, an à Pennoto antè annos ſex & quinquaginta inventum uſurpaſti? At quid tandem inveniſti? Auguſtinum in pervigilio Paſchatis die 8. Aprilis baptizatum. Verùm Chronologi reponent pervigilium Paſchatis incidiſſe in diem 8. Aprilis anno Chriſtiano 383. Cyclo Solis 28. Lunæ 4. litt. A. & iterum poſt quinquennium anno 388. Biſſextili, Cyclo Solis 5. Lunæ 9. litt. B. A. Nec ſemel annum Chriſti appellaſti, quo Auguſtini baptiſmus contigerit. Paſchalis character Sabbati ſancti die 8. Aprilis, bis intra quinquennium occurrit, ac proindè Chronologia annorum vitæ Auguſtini deducenda eſt ex certo ac fixo fundamento, quod gnomon ſit, ex quo cæteri anni manifeſtè indicentur. At undè habes Auguſtinum baptizatum fuiſſe in pervigilio Paſchatis, quod contigit die 8. Aprilis? Nempè quia ea ratione rectè ſupputas dies 12. itineris ad Oſtia Tiberina, quinque dies incolumitatis Monicæ priùs quàm febribus decumbens, nono ægritudinis die, quarto Maii mortua dicatur. Omnia hæc, ut notavi, inania ſomnia ſunt, ac ſcriptore quinquaginta tomorum prorsùs indigna. Attamen ex iſtis inſomniis jactas te *certum & exploratum habere annum mortis & nativitatis Auguſtini.* Etiamnum dormis, ac ſomnias?

M A C E D O.

N*Am mihi non vacat Theologum agenti: Uti eo dignum eſt, ego in ſchola uno ictu omnes controverſias amputabo. Fixo non clavo pro anno, quod ajunt, pro anno* (jam dixiſti *pro anno*, cur repetis? Somnias) *more Romano, ſed anno certo, & comperto fixo clavo trabali, more Scholaſtico eadem ratione, qua annum 33. baptiſmi demonſtravi.* Illa repetitio *pro anno*, vitium eſt tautologiæ, ut docent Grammatici. Ibidem

S O M N I U M XII.

SI *contentioſum funem* controverſiarum, ac Gordianum hunc nodum uno ictu amputabis, cùm jam Macedo ſis, alter etiam eris Alexander. Sed eo fune tu ſuprà cæteros arctiſſimè implicaris; dum Auguſtinum heſternâ die Neophytum per Italiæ manſiones per totam Paſchalem hebdomadem trahis. Annum quem inter ſomnium, fixum clavo trabali jactas, ubi tibi ſomnum excuſſero, intelliges te illum annum Pytiſmate, imò ne tenui quidem ſputo fixiſſe. Voces iſtæ *uno ictu amputare: fixo clavo trabali: more Romano*, magni hiatus ſunt hominis jam jam dormituri, qualis tamen vix dici poſſis, cùm magnam hucuſque Itinerarii tui partem ſemper ſomniando tranſegeris.

M A C E D O.

A*C primum; Leonardum Coquæum, Gabrielem Pennotum, Petrum Ribadeneyram ad ſcopum collimaſſe, dum annum Chriſti 431. Auguſtini morte* (repone morti) *aſſignarunt.* Ibidem

S O M N I U M XIII.

AUguſtini verba ſunt in Pſal. 63. *Dormientes teſtes adhibes: verè tu ipſe obdormiſti.* Tres illi alias eruditi ſcriptores in deſignando anno obitus Auguſtini aberrarunt. Nec exprobro, nec inſulto, qui norim bonum etiam Homerum quandoque dormitare. Hoc miror te Endymionis ſomnum dormire. Capreolus Carthaginenſis Epiſcopus, ac Proſper Aquitanus, Auguſtino æquales ac ſynchroni, imò & ejuſdem viventis amici teſtantur ante A. 431. Auguſtinum è vitâ migraſſe. Hoc ipſum eidem ſæculo proximus ſcribit Liberatus Diaconus Carthaginenſis, quorum ad Som. 39. & 41. verba recitabo, Itaque ſomnias tres

illos

Digitized by Google

illos ſcriptores, qui hoc ſæculo inter homines ambulabant, ad ſeon m coll imaſſe, aberraſſe verò Capreolum ac Proſperu perperam aſſignando annum quo Auguſtinus ipſorum an cus è vivis exceſſit. Teſtes, qui morienta Auguſtino vivebant, uti mendaces repudias; teſtes qui poſt mille, ac dueentos annos ab Auguſtini obitu vixerunt, appellas & laudas, ineo ſomnias?

MACEDO.

Ibidem *HUnc tu deinceps, Lector, certum habeto, & indubitatum, idque meis calculis ſubductis efficiam.*

SOMNIUM XIV.

DUm criſpatâ fronte, ac magiſtrali ſupercilio de anno obitûs Auguſtini 431. legem promulgas: *Hunc tu deinceps certum habeto & indubitatum*, ſomoias te io Chronologorum Republicâ Dictatorem, à cujus ſententiâ nemini liceat appellare. *Imperioſus homo es:* Eſt vetuſti poëtæ hemiſtichium. Depones faſces dictatorios, cùm primùm calculos ſubducere incipies; nam Chronologi, quod tantùm ſomniando uſurpas, imperio tibi abrogato, ad pueros Arithmeticæ primam operam ponentes, amandabunt.

Pag. 440. MACEDO.

VOlo ut hoc mihi debeat Auguſtiniana gens, cui ſum deditus. Hæc ego nomine eos mihi nomina faciam.

SOMNIUM XV.

AUguſtiniani, quos ſinè auctore Aborigines, aut ſinè parente Myrmidones ſomniaſti, hoc te nomine ſalutabunt: *Ecce ſomniator venit.* Auguſtinus Pater eſt multarum gentium. Si Canonicos regulares appellas, ipſi viderint, quo te nomine per antonomaſiam nuncupabunt. Sin Eremitarum ſodalitium intelligis, cùm te tot inſomniorum portenta narrantem inaudiunt, quid niſi riſum ac cachinnos debent? Ludovicus ab Angelis Luſitanus, Thomas Herrera, Petrus Campenſis, Joannes Marquezins Hiſpaoi; Nicolaus Cruſenius, Joannes Rivius, Chriſtiaous Lupus Belgæ, Aloyſius Torellus, Joſeph Sabbatinus, Henricus Noris, qui tres adhuc in Italiâ ſuperſtites ſunt, Simplicianus à S. Martino, ac Carolus Moreavius noſtri Galli, qui de Auguſtini vitâ, geſtis, ſcriptis, deque Auguſtinenſium inſtituto, ac rebus geſtis juſta volumina condidere, obitum Magni Patris affixerunt anno æræ Chriſtianæ 430. Tu verò tua ſomnia tanti facis, ut ſperes fore, ut pro eiſdem Auguſtiniani grates perſolvant, vel ſaltem debeant, ac relictâ ſententiâ certâ ac indubitatâ de anoo mortis Auguſtioi 430. quam tot inſignes Auguſtiniani ſcriptores in bono lumine collocarunt, tuum de anno obitûs ejuſdem Doctoris inſomniom & ſequantur, ac tibi etiam plaodant, cui

——— velut ægri ſomnia, vanæ
Finguntur ſpecies, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ.

MACEDO.

Ibidem *SUmptâ veritate proximè adductâ & confirmatâ, nullus alius obitûs Auguſtini A. eſſe poteſt, nec ante, nec poſt. Excludo quod eſt facilius annum poſt 431. qui ſit 432. quia eo anno ineunte Cœleſtinus Papa decretalem Epiſtolam edidit pro Auguſtini doctrinâ, quâ eam confirmavit & conſecravit, repreſſis illius adverſariis Pelagii reliquiis, ſive Semipelagianis, mortuo jam Auguſtino; quem ipſe paucos poſt menſes ſecutus fuit; ſcilicet V. Idus Apr. ejus anni 432. cùm Auguſtinus menſe Aug. ſuperioris anni 431. obiiſſet.*

SOMNIUM XVI.

IN Romano Martyrologio die 6. Aprilis leguntur: *Romæ S. Cœleſtini Papæ, &c.* & in vitâ ejuſdem: *Sepultus eſt in cæmeteria Priſcillæ viâ Salariâ VIII. Idus Aprilis.* At tu ſomnias Cœleſtinum è vitâ migraſſe V. Idus, hoc eſt, die nonâ Aprilis, qui VIII. Idus, ideſt, die ſexta ejus menſis damortuus, ac ſepulturæ traditus fuerat. Liceat tameo ſomnianti fingere homines in lecto febribus extingui, poſtquam ante triduum ſepulchro conditi fuerant.

MACEDO.

NUnc excludo antecedentem, ideſt 430. irrefragabili argumento, mixa proximâ ſupputatione; Auguſtinus baptizatus fuit Anno illo 388. quod liquet: nec alio baptizari potuit: ab eo ad annum 431. decurrit juſtum ſpatium temporis reliquæ vitę uſque ad obitum Auguſtini, quod continet quadraginta ſex annos; igitur eo anno mortuus eſt. Subduco calculos. Ibidem

SOMNIUM XVII.

SIſte parumper, antequam calculos ſubducat; nam quam proximè ſubduxiſti, ſupputatio eſt tibi iterum repetenda. Ponis annum baptiſmi 388. addis ſupervixiſſe poſteà Auguſtinum uſque ad aonum 431. quod medium vitæ ſpatium, inquis; *continet annos quadraginta ſex.* Jam prædixeram te à Chronologis, quibus pro imperio leges imponis, ad prima Arithmeticæ elementa diſcenda amandandum. Da numerum 388. adde 46. habetur ſupputando numerus 434. Tu verò per ſomoium ſubducis 431. Peream, ſi evigilans tam depravatè calculos ſubduxiſti.

SOMNIUM XVIII.

DIcis: *Auguſtinus baptizatus fuit Anno illo 388. quod liquet, nec alio baptizari potuit.* Nunquam in tuo Itinerario annum 388. nominaſti, & modò dicis *anno illo* 388. Illum quidèm Paſchali charactere indicaveras, nempè cùm Sabbatum ſanctum incidit io diem octavum Aprilis, qui tamen character congruit, ut dixi, anno etiam 383. Quæſo te, cur illo anno 388. Auguſtioi baptiſmus contigit. Reſpondes quia poſt diem 8. Aprilis, aptè ſuperſunt dies duodecim itineri Mediolano Romam conficiendo, item quinque incolumis Monicæ apud Oſtiam, & oovem inſuper ægritudinis ejuſdem antè mortem; quam obiit quarto die Maii. Verùm hoc horrendum ſomnium contrà Eccleſiaſticas leges Neophytis impoſitas, tu quoque, cùm evigilaveris, non quidèm deridebis, ſed planè execraberis. Hoc ſomnio nititur quod jactas, *irrefragabile argumentum.* Præthereà ais: *Auguſtinus baptizatus fuit illa anno 388. quod liquet.* At non liquet num eo anno Auguſtinus ageret annum ætatis 33. inchoatum, an verò completum; qua de re dixi ad Somnium II. Ludovicus ab Angelis Auguſtinianus ac Doctor Conimbricenſis lib. 1. de Vitâ Sancti Auguſtini cap. 4. ſcribit Auguſtinum baptizatum fuiſſe die 24. Aprilis, Sabbato ſancto, Aon. 387. quam ſententiam pluribus poſteà firmarunt Herrera in Alphabeto Auguſtiniano, Torellus tom. 1. ſæcul. Auguſtin. ad Ann. 387. aliique. Hunc ſoi baptiſmi annum apertè inſinuat Auguſtinus lib. 9. Conf. ubi cùm cap. 6. narraſſet ſe poſt baptiſmum inter ſacros hymnorum cantus in Mediolanenſi Eccleſiâ fleviſſe, cap. 7. initio hæc ſcribit: *Non longè cæperat Mediolanenſis Eccleſia genus hoc conſolationis et exhortationis celebrare, magno ſtudio fratrum conci-*

nentium vocibus & cordibus. Nimirum annus erat, aut non multò amplius, cùm Juſtina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambroſium perſequeretur hæreſis ſuæ cauſâ, quâ fuerat ſeducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Eccleſiâ, mori parata cum Epiſcopo ſuo, ſervo tuo, &c. Tunc hymni & pſalmi ut canerentur ſecundùm morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt. Et ſtatim: *Tunc memorato Antiſtiti tuo per viſum aperuiſti, quo loco laterent martyrum corpora Protaſii & Gervaſii.* Et narratis miraculis in ſacrarum reliquiarum translatione patratis, ait: *Inde illius inimica animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.* Hæc anno antè ſuum baptiſmum contigiſſe Auguſtinus teſtatur. Valentinianus junior, occiſo Gratiano fratre à Maximo in Galliis Ann. 383. à Juſtinâ matre ſeductus Arrianæ ſectæ adhæſerat. Id contigit anno 385. Nam D. Ambroſius ſcribens ad eundem Principem Epiſtolam XI. lib. 2. pro non reſtituendâ Arâ Victoriæ in Curiâ contra Symmachum Præfectum Urbis anno 384. ait: *Certè ſi aliud ſtatuitur, Epiſcopi hoc æquo animo pati & diſſimulare non poſſumus. Licebit tibi ad Eccleſiam convenire, ſed illic non invenies Sacerdotem, aut invenies reſiſtentem.* Itaque eo anno 384. Valentinianus in Eccleſiam conveniebat, ac proinde nondum palam Arrianum dogma profitebatur, uti anno inſequenti fecit. Nam Valentinianus anno 385. Juſtinâ Auguſtâ Arrianis impenſiùs favente, à qua etiam ſeductus ad illorum ſectam tranſierat, egit cum Ambroſio, ut Baſilicam Arrianis concederet, ubi ſuos & ipſi conventus celebrarent. Ambroſius nullis Imperatoris promiſſis aut minis ad tradendam Baſilicam inflecti potuit. Hinc in oratione de non tradendis Baſilicis, quam anno 386. uti oſtendam, recitavit: *Quaſi verò*, inquit, *ſuperiori anno, quando ad palatium ſum petitus, cum præſentibus primatibus ante conſiſtorium tractaretur, cùm Imperator Baſilicam vellet eripere, ego tunc aulæ contemplatione regalis infractus ſim, conſtantiam non tenuerim Sacerdotis, aut imminuto jure diſceſſerim.* Hinc Juſtinâ impotens iræ, auctrix fuit Valentiniano, ut legem publicaret, quâ Arrianis publicè in Eccleſiam conveniendi facultas permitteretur, quæ initio anni 386. in hæc verba concepta eſt: *Damus copiam colligendi his, qui ſecundùm ea ſentiunt, quæ temporibus Divæ mem. Conſtantii, Sacerdotibus convocatis ex omni Orbe Romano, expoſitâque fide ab his ipſis, qui diſſentire noſcuntur, Ariminenſi Concilio, Conſtantinop. etiam confirmata in æternum manſura ſunt. Conveniendi etiam quibus juſſimus pateſcat arbitrium, &c. Dat. X. Kalend. Febr. Mediolani Honorio N. B. P. & Evodio Coſſ.* Extat lib. 16. Cod. T. L. 4. *de fide Catholica.* Ambroſius nullam, ſe vivo, Arrianos baſilicam Catholicis erepturos proteſtatus, Principum ſibi odia contraxit, ac inſignem orationem *de non tradendis baſilicis hæreticis*, recitavit. Baronius in vita S. Ambroſii ſcribit eam orationem habitam A. 385. in Annalibus verò eandem refert A. 387. Verùm nullus dubito, quin recitata ſit anno 386. Nam cùm feſta Paſchalia inſtarent, Imperator juſſit ſibi concedi baſilicam Portianam, in qua cum matre ac cæteris Arrianis ſacros dies celebrarent. Ambroſius in laudata oratione conqueritur *inclinatum JAM vel Imperatoris judicium quod lata lege pateſecit*; & paulò inferiùs; *Hanc ergo legem quiſquam ſequatur, qua firmatur Ariminenſe Concilium, in quo creatura dictus eſt Chriſtus.* Ex his patet eam orationem habitam fuiſſe paulò poſt eam pro Arrianis legem à Valentiniano latam; ſiquidem ſi eam recitaſſet decimo quinto menſe poſtquam emiſſa fuerat, nempè die 18. Aprilis Dominicâ Palmarum A. 387. quæ poſterior Baronii opinio fuit, non dixiſſet; *JAM inclinatum Imperatoris judicium*, cùm ante annum ac menſem tertium id contigiſſet. Ex iiſdem etiam verbis conſtat eam orationem non fuiſſe recitatam A. 385. cùm disertè ibidem exeeretur legem pro Ariminenſi Concilio, quæ anno 386. emiſſa fuit. Et ſanè cur Juſtina irarum ac minarum plena, ac ſuis Arrianis impotenter favens, ejus legis exequutionem in alterum annum, & quidem Mediolani præſens, diſtuliſſet? Etenim id temporis, cùm lex emiſſa fuit, Valentinianus annum ætatis agebat decimum quintum, cùm ex Ammiano Marcellino in fine libri 30. die 17. Novembris anno 375. *tum quadrimus* ad imperium evectus fuerit, quamvis in faſtis Idacianis dicatur natus die 18. Januarii A. 366. Itaque cùm A. 386. feſta Paſchalia inſtarent, Comites è conſiſtorio Principis Ambroſium convenere, ut eundem ad baſilicam tradendam inclinarent. Rem fuſiùs idem Ambroſius narrat in Epiſtol. 14. ad Macellinam ſororem, ſcribens: *Sequenti die (erat enim Dominica) poſt lectiones atque tractatum, dimiſſis Catechumenis, ſymbolum aliquibus Competentibus in baptiſterii tradebam Baſilicâ.* Erat ea Dominica Palmarum, qua die ſymbolum ab Epiſcopis competentibus tradebatur, qui poſteà in pervigilio Paſchatis baptizabantur. Addit in eâdem Epiſtolâ Ambroſius: *Ego in Baſilica veteri totum exegi diem, inde domum cubitum me recepi, ut ſi quis abducere vellet, inveniret paratum.* Nam fama erat Ambroſium juſſu Imperatoris in exilium deportandum. Quod veritus populus eidem excubias faciebat. Id teſtatur Ambroſius initio ſtatim Orationis laudatæ: *Video vos præter ſolitum eſſe turbatos, atque aſſervantes mei. Miror quid hoc ſit, niſi fortè quia per Tribunos me vidiſtis, aut audiſtis imperiali mandato eſſe conventum, ut quo vellem abirem hinc, &c.* Et inferiùs: *Certè ſi Dominus huic nos certamini deputavit, fruſtrà pervigiles tot noctibus & diebus cuſtodias exhibetis. Implebitur Chriſti voluntas.* Dominica Palmarum eo anno 386. contigit die 29. Martii, Cyclo Solis III. lit. D. In eadem Epiſtola 14. narrationem proſequens ait: *Ante lucem ubi pedem limine extuli, circumfuſo milite occupatur Eccleſia.* Erat Feria II. majoris hebdomadæ, 30. dies Martii. Et ſtatim addit: *Exactus eſt totus ille dies in mœrore noſtro; ſciſſa tamen ab illudentibus pueris cortina regia. Ego domum redire non potui, quia circumfuſi erant milites, qui Baſilicam cuſtodiebant.* Itaque coactus eſt in Baſilica pernoctare. Poſteà verò ait: *Sequenti die* (nempè feriâ 3. die 31. Martii, non autem feriâ ſecunda, ut putavit Baronius) *lectus eſt de more liber Jonæ, &c.* Tunc verò populum hymnos ab Ambroſio compoſitos in Eccleſia cecinisse, idem in citata Orat. teſtatur: *Hymnorum quoque meorum carminibus deceptum populum ferunt.* Intereà milites palam Imperatori denuntiarunt ituros ſe orandi gratiâ ad illam Baſilicam, in qua foret Ambroſius, nec ullâ ratione ſe pati poſſe ab ejuſdem communione ſeparari. Tum Imperator militarem tumultum, ac iratæ plebis furorem veritus, conſilium extorquendæ Baſilicæ depoſuit. Sub id ferè temporis inventa ſunt ab Ambroſio corpora Sanctorum Martyrum Protaſii & Gervaſii, quæ inſigni pompâ Sanctus Doctor in Ambroſianam baſilicam tranſtulit. Id contigiſſe die 19. Junii, qua eorundem memoria in faſtis Eccleſiæ colitur, pluribus oſtendit Petrus

Puricel-

Digitized by Google

Puricellus in diſſert. Nazaciana cap. 73. & in lib. de monumentis Ec'cſiæ Ambroſianæ. Hoc ipſum colligitue ex Auguſti ſerm. 39. de diver. ubi ait: *Celebramus ergo hodierno die, fratres, memoriam in hoc loco poſitam SS. Protaſii & Gervaſii Mediolanenſium Martyrum. Non eum diem, quo hic poſita eſt, ſed eum diem hodie celebramus, quando inventa eſt pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus per Ambroſium Epiſcopum hominem Dei, cujus tunc tantæ gloria Martyrum etiam ego teſtis fui. Ibi eram, Mediolani eram, facta miracula novi.* Idem verò Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 7. ait opportunè detectas eas Sanctorum reliquias: *ad coercendam rabiem fœmineam, ſed regiam;* nam ob patrata miracula *illius inimica animus, etſi ad credendi ſanitatem non applicitus, à perſequendi tamen furore compreſſus eſt.* Hoc ipſum teſtatur Paulinus in libro de vita S. Ambroſii, quem Auguſtino nuncupavit, ubi narratis miraculis in depoſitione corporum SS. Martyrum factis, ait: *Denique ex hoc tempore ſedari cœpit perſecutio, qua Juſtinæ furore accendebatur, ut Sacerdos de Eccleſia pelleretur.* Extat inter literas Ambroſii Epiſt. 53. ad Epiſcopos Italiæ de inventione corporum laudatorum Martyrum, quam etiam producit Damaſcenus orat. 2. de Imaginibus, in qua dicuntur illæ reliquiæ *in diebus tranſactæ nuper Quadrageſimæ* repertæ; ea tamen ſuſpectæ ſidei Baronio viſa eſt, & certè repugnare videtur Epiſtolæ 54. quam Ambroſius ea de re ad ſororem perſcripſit. Conferat utramque Lector, & judicet. Hinc etiam rurſus probatur Juſtinæ perſecutionem, ac Martyrum inventionem non contigiſſe A. 387. Nam hoc anno Valentinianus, ac Juſtina Ambroſium legatum ad Maximum Treviros miſerunt, qui re infectâ dimiſſus ad Valentinianum ſcripſit: *Eſto tutior adverſùs hominem pacis involucro bellum tegentem.* Epiſt. 56. Quarè Imperator Domninum alterum pro confirmandâ pace legatum ad Maximum deſtinavit, quem Maximus ingenti honore exceptum, ac regiis muneribus decoratum dimittens, illum cum exercitu ſubſecutus, Cottiis ac Juliis Alpibus occupatis, ex Pacato in panegyrico ad Theodoſium, in Italiam deſcendens, Aquilejam contendit. Valentinianus verò improviſo Tyranni adventu territus, conſcensâ nave, cum Juſtina matre Theſſalonicam fugit, Theodoſii qui in Oriente imperabat, opem imploraturus. Paulinus laudatus poſt narrata miracula, ac remiſſum Juſtinæ furorem, ait: *Sanctus verò Ambroſius Epiſcopus majoris humilitatis vir factus donatam ſibi à Domino gratiam reſervabat, creſcebatque quotidie fide & amore coram Deo, & hominibus.* Ibi verò paulò poſt ſcribit Ambroſium alteram ad Maximum legationem ſuſcepiſſe. Igitur cùm die 19. Junii ſacræ reliquiæ inventæ fuerint, ac poſteà ob miraculorum famam totius populi ore celebratam, Juſtina iram remiſerit, id circà exitum Junii dicatur contigiſſe. Cùm verò Paulinus, antequam narret delatam Ambroſio legationem, dicat illum *creviſſe quotidie fide & amore coram Deo & hominibus*, vix ante initum Auguſtum legatione functus videtur; neque enim Juſtina hominem heſternâ die, ut ita dicam, ſibi inſenſiſſimum, tam citò eo honore exornaſſet, præſertim cùm Maximus Arrianos perſequeretur. Hinc patet memoratam perſecutionem contigiſſe A. 386. neque enim intrà trimeſtre ſpatium Ambroſiii, & iterum Domnini legationes, ac Maximi in Italiam irruptionem contingere potuiſſe affirmabit, qui locorum diſtantiam conſideraverit; cùm Maximus Treveris, Valentinianus verò Mediolani, vel Aquilejæ ſubſiſteret. Zoſimus ſcribit Domninum Aquilejâ legatum deſtinatum. Maximus certè labente Autumno Alpes ſuperavit, cùm circà hiemem gelu rigeant, exercitibus planè imperviæ. Hinc anno 386. Juſtinæ contrà Ambroſium perſecutione, hymnorum apud Mediolanenſem Eccleſiam inſtitutione, ac denique inventione reliquiarum Martyrum Protaſii & Gervaſii alligatis, annus baptiſmi S. Auguſtini apparet, nempè 387. quando, ut ipſe ait: *Annus erat aut non multò ampliùs cùm Juſtina Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambroſium perſequeretur*, &c. quando *Excubabat pia plebs in Eccleſia, mori parata cum Epiſcopo ſuo &c.* Porrò gravior perſecutionis fragor contrà Ambroſium detonuit ex ſuperiùs demonſtratis die 29. ac 30. Martii A. 386. Nocte verò poſtremam ejus menſis diem præcedente, plebs cum Epiſcopo Ambroſio in Eccleſia excubuit. Cùm verò Auguſtinus baptizatus fuerit die 24. Aprilis Sabbato ſancto A. 387. Cyclo ſolis IV. Lunæ VIII. lit. C. rectè ſcripſit Auguſtinus nuper baptizatus: *Annus erat, aut non multò ampliùs*, nam à Dominicâ Palmarum A. 386. ad diem abs ſe ſuſcepti baptiſmi, numeratur annus, ac dies inſuper viginti ſeptem, quos illis vocibus *aut non multò amplius* apertiſſimè expreſſit. Cæterùm quamvis hucùſque Ambroſii, Auguſtini, ac Paulini deducta, ac ſecum invicem collata teſtimonia A. 387. Auguſtini baptiſmum deputandum demonſtrent, hoc ipſum antiquiſſimi Chronologi, ac ipſius Auguſtini poſtremâ ætate viventis, auctoritate confirmatur. Is eſt Proſper Tyro, cujus Chronic[o]n per annos imperii Romanorum Principum ab obitu Valentis, uſque ad Valentiniani III. necem digeſtum, eruditiſſimus Pithœus publicavit, ac poſteà Caniſius tomo I. Antiq. pag. 164. inſeruit, ac emendatius poſtremò edidit Labbeus T. 1. Bibl. MSS. pag. 56. Integrum fragmentũ recitabo. Igitur ſub diſtinctis annorum notis hæc ibi leguntur.

II. *Juſtina mater Valentiniani Arrianis favens in Ambroſium, & omnem Mediolanenſem Eccleſiam diverſa injuriarum genera congerit.*

Reliquiæ Gervaſii & Protaſii Martyrum ab Ambroſio primùm Mediolani repertæ.

Hymni Ambroſii compoſiti, qui nunquam ante in Eccleſiis Latinis modulis canebantur.

III. *Maximus indignum ducens contrà Eccleſiæ ſtatum agi, locum irrumpendi quod cum Valentiniano junxerat fœdus, invenit. Valentinianus veritus imminentem jam cervicibus ſuis Tyrannum, ad Theodoſium confugit.*

Auguſtinus Mediolani Rhetoricam adprimè docens, omiſſis ſcholis ad fidem rectam convertitur, cum ante Manichæus fuiſſet.

IV. *Theodoſius cum exercitu ad Italiam tranſgrediens, Maximum interfecit, & Valentinianum proprio regno reddidit.*

Juſtina, quæ Eccleſias vexaverat, ne regnum cum filio reciperet, morte præventa eſt.

Ita Chronologus Auguſtino Synchronus A. 386. tria illa refert, quæ Auguſtinus ante annum ſui baptiſmi contigiſſe narrat. Idem etiam A. 387. recitat Valentiniani fugam ac baptiſmum S. Auguſtini; & quamvis *converſionem ad fidem* nominet, quæ ineunte æſtate A. 386. acciderat, nomine *converſionis* publicam fidei profeſſionem in baptiſmo factam intelligit; neque enim notum illi erat, quid privatim antea Auguſtinus ſecum deliberaverat. Denique Maximi necem refert, quæ contigit A. 388. die 28. Auguſti, uti ſcribit Socrates lib. 5. cap. 24. & patet ex *L. 6 & 7. de infirm. his quæ ſub Tyran.* Cod. T. In eodem etiam Chronico mors Valentiniani ſub num. IX. ponitur, qui cùm

Digitized by Google

extinctus fuerit ex S. Epiphanio *Idibus Maii, pridie Pentecoſtes, die Sabbati* cap. 20. de menſ. & pond. nempè die 15. Maij A. 390. Biſſextili, Cyclo ſolis IX. lit. D C. Juſtinæ perſecutio juxtà laudatum Chronologum cadit in A. 386. & in ſequentem baptiſmus, ſeu publica converſio Auguſtini. Ex his ad ſomnium Macedi redeundum eſt, qui ait: *Auguſtinus baptizatus fuit anno illo 388. quod liquet*; cùm planè liqueat ex teſtimonio Chronologi Auguſtino coævi, imò ipſius etiam Auguſtini, baptizatum fuiſſe A. 387. die 24. Aprilis, Sabbato ſancto. Hoc idem iterum demonſtrabitur ad Somnium XXXI. ubi Auguſtinianæ vitæ Chonologia ex S. Doctoris libris exponetur.

Ibidem

MACEDO.

A*Uguſtinus ſecundùm Poſſidonium in ejus vita*, vixit annos ſeptnaginta ſex. In Clericatu autem vel Epiſcopatu annos fermè quadraginta, *quod tempus Romanum Breviarium ita expoſuit in tertia ſecundi Nocturni lectione*: Vixit annos ſeptuaginta ſex, in Epiſcopatu ad triginta ſex: *non meminit Clericatus, uti Poſſidonius. Teneamus Epiſcopatum. Addamus aliquos ſimplicis Clericatus, puta quatuor, fiunt quadraginta Poſſidonii, ſuperſunt ſex ſecundùm ſupputationem Romanam, quos ſic colligo.*

SOMNIUM XVIII.

POnis annos 36. Epiſcopatus, addis quatuor, & ais: *Fiunt quadraginta Poſſidonii.* Rectè in digitis numeraſti, quod cum ante duodecim verſus facere non poſſes, datis annis 388. & additis 46. collegiſti ſummam annorum 431. Hìc verò etiam ſomnias, cùm ais; *ſuperſunt ſex ſecundùm ſupputationem Romanam.* Ex hoc verò ſomnio longam ſanè ſomniorum catenam cudis, ac extendis, quod proximè apparebit, cùm annorum annulos colliges, ac connectes.

Ibidem

MACEDO.

T*Rigeſimum tertium annum fermè Romæ, quò rediit poſt mortem Matris, Auguſtinus conſumpſit, quemadmodum diximus ſuperiùs cap. 1. Collat.* 2. (repone *Collat. IX.* nec tuos libros niſi ſomniando citas) *diximus. Saltem annus ille exiit, dum tranſmiſit in Africam. Venit ergo in Africam ineunte anno ſuo 34. Auguſtinus. Seceſſit poſteà in agros paternos, ubi fuit commoratus triennium expreſſum à Poſſidonio cap. 3, quemadmodum ſuprà non ſemel ſtatuimus. Erat hic annus 37. Auguſtini. Superſunt ad 46. anni novem, quos Breviarium aſſignat Clericatui S. Auguſtini ante Epiſcopatum, quem eo anno obtinuit, ideſt quadrageſimo ſexto.*

SOMNIUM. XIX.

QUòd cùm velis, & quantùm velis, dormites, dormias, ſomnies, haud magno tibi vitio vertam; ſed quòd tua ridicula ſomnia Breviario Romano, hoc eſt, Romanæ Eccleſiæ affriges, hoc gravius peccatum eſt, quàm ut à me tantummodo caſtigeris. Ubi, ubi, quæſo te, memorantur anni novem, quos Breviarium aſſignat Clericatui S. Auguſtini antè Epiſcopatum? Auguſtinus obiit, utì ſomnias, A. 431. *Epiſcopatus*, inquit Breviarium, A. 36. Jam ab A. 431. retrocede per annos 36. initium Epiſcopatus Auguſtini juxtà Breviarium, cadit in A. 395. Quòd ſi Breviarium aſſignat annos novem Clericatui S. Auguſtini ante Epiſcopatum, initiatus eſt Clericus juxtà Breviarium, te tamen Auctore, anno 386. nempè biennio ante baptiſmum. Nonne horrenda ſomnias?

SOMNIUM XX.

SOmnio ſomnia annectis; poſtquam enim dixiſti Breviarium novem annos aſſignare Clericatui *ante Epiſcopatum, quem*, addis: *eo anno obtinuit, ideſt quadrageſimo ſexto.* Auguſtinus, ut tu putas, natus eſt A. 355. adde huic numero annos quadraginta ſex, habetur annus Epochæ Chriſtianæ 401. Videſne quæ commenta ſomnies? Etenim ſi Auguſtinus obtinuit Epiſcopatum anno ætatis quadrageſimo ſexto, Chriſti 401. annos tantùm triginta Epiſcopus ſediſſet, cùm tamen Breviarium annos 36. Epiſcopatûs affirmet. Hæc ſomnia tam immania Typographo vellem adſcribere. Verùm tu disertè ſcribis; *Superſunt ad 46. anni novem*; & poſteà ais obtinuiſſe Epiſcopatum *anno quadrageſimo ſexto*; Romanis literis, non Arabicis notis, numeros annorum ſcribis. Igitur unus tu ſomniaſti. Somnium totum tuum eſt, in cujus partem non Amanuenſis, non Typographus, nullus hominum veniat. Potes etiam aliâ ratione calculos ſubducere. Auguſtinus obtinuit Epiſcopatum anno ætatis quagrageſimo ſexto, juxtà Breviarium, adde annos Epiſcopatus 36. fiunt anni vitæ Auguſtini octoginta duo. Verba Breviarii hiſtoricè optimè recitaſti; Arithmeticè eadem retractando corrupiſti. Hæc ibi leguntur: *Vixit annos ſeptuaginta ſex, in Epiſcopatu ad triginta ſex.* Deme de annis 76. annos 36. remanet annus vitæ Auguſtini quadrageſimus, non uti ſomnias, *quadrageſimus ſextus.* Legimus in altera Lectione Breviarii; *A Valerio nota ſanctitatis Epiſcopo Hipponenſi presbyter factus eſt.* Nulli anni presbyteratui aſſignantur. At tu novem numerari ſomnias. Cùm dormiendi finem facies, ac Breviarium relegeris, tam ridiculâ inſomnia ridebis.

MACEDO. Ibidem

C*Onſtat ſumma annorum Epiſcopatus 36. ſecundùm calculos Breviarii Romani, quod quidèm longiorem ei tribuit Clericatum. Quare videtur Poſſidonius exactiùs, & accuratiùs illud tempus diſtribuiſſe.*

SOMNIUM XXI.

IDem ſomnium continuas. Ex Breviario habemus annos vitæ Auguſtini ſeptuaginta ſex, quorum 36. Epiſcopus vixit. Nec vola, nec veſtigium annorum Clericatûs apparet. Neque novem annos aſſignat Clericatui, ut immaniter comminiſceris: neque ſex: neque quatuor; neque duos, imò neque etiam unum. Nam ibidem presbyter tantùm dicitur factus, nullo geſti presbyteratûs tempore deſignato.

SOMNIUM XXII.

UT videatur Poſſidius *exactiùs & accuratiùs illud tempus diſtribuiſſe* ſomnium tuum facit, qui annos ætatis Auguſtini ante Epiſcopatum quadraginta ſex juxtà Breviarium numeraſti, cùm palam ex Breviario quadraginta ſolummodò colligantur.

MACEDO. Ib. ſel. 1

V*Erùm ut utrumque concordet; animadverto Breviarium Romanum concluſiſſe in Clericatu illos annos Epiſcopatûs, quibus Auguſtinus ſimul cum Valerio geſſit Epiſcopatum, quos ſaltem tres eſſe oportuit; ita poſt triennium decurſum presbyteris Epiſcopus fuerit conſecratus, & coadjutor Aurelio datus. Quorum tamen diſtinctam Poſſidonius rationem habere noluit, numerans tantummodò eos, in quibus ſolus, mortuo jam Valerio, Auguſtinus ſolitarius Epiſcopatum adminiſtravit.*

SOM-

Digitized by Google

S O M N I U M XXIII.

HÆres etiam ·um in eodem luto ſomniando. Breviarium Roman ·m ait Auguſtinum vixiſſe annos *in Epiſcopatu ad triginta ſex.* Nihil hic de Clericatu, ſeu de annis Clericatûs. Et ſanè ſomnias Romanam Eccleſiam Auguſtinum Epiſcopum ordinatum coadjutorem Valerii, inter Clericos numerare. Uterque enim erat & ceoſebatur Epiſcopus. Qua ergo ratione annos, quibus ſedit Coepiſcopus, in Clericatu concluſit? Breviarium ait ſediſſe Epiſcopum annos triginta ſex. In iſtis annis 36. vel numerantur anni, quibus etiam ſedit ſimul ſium Valerio; vel quibus, Valerio mortuo, ſolus Hipponenſem Eccleſiam adminiſtravit. Quod mavis, eligito. Si primum affirmes; vides te ſomniaſſe dicendo Breviarium *concluſiſſe in Clericatu illos annos, quibus Auguſtinus ſimul cum Valerio geſſit Epiſcopatum*; nam illos annos numerat in annis Epiſcopatûs. Sin alterum adſtruas; jam ſomniabis Auguſtinum Epiſcopum cum Valerio, triennio ante A. 395. Equidem nondum altus te ſomnus ceperat, cùm pag. 720. col. 1. dicitur abs te *Auguſtinus Epiſcopus creatus à Megalio Primate Numidiæ annum agens quadrageſimum; incidit autem is in annum Chriſti 394. ſexto poſt baptiſmum. Ex quo ad obitum uſque Auguſtini num·rantur anni triginta ſex, quos vixit in Epiſcopatu ſecun· computationem Breviarii Romani, & Poſſidonii.* At Megalius conſecravit Auguſtinum Epiſcopum Coadjutorem Valerio datum ex Poſſidio cap. 8. Hinc illâ pag. 720. rectè numeras annos, quibus ſedit cum collega Valerio, inter illos 36. quos Breviarium tribuit Epiſcopatui Auguſtini. Denique Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 17. ſcribit *ſe presbyterum* de ſymbolo diſputaſſe *coràm Epiſcopis hoc jubentibus, qui plenarium totius Africæ Concilium Hippone regio habebant.* At hæc Synodus in Codice Africano dicitur celebrata *Imp. Theodoſio III. & Abundantio V. C. Coſſ. VIII. Idus Octobris.* Igitur die 8. Octobris A. 393. Auguſtinus adhuc erat presbyter, ut planè ſomnium ſit Breviarium Romanum in annis 36. Epiſcopatus Auguſtini non numeraſſe eos, quibus unà cum Valerio ſedit.

S O M N I U M XXIV.

QUòd verò pag. 720. citatâ recitas Epiſcopatum Auguſtini anno Chriſti 394. aliud ſomnium eſt. Nam S. Proſper Auguſtini & viventis & demortui defenſor acerrimus, cui S. Doctor libros duos honoris gratiâ, nuncupavit, in Chronico ſcribit: *Olybrio & Probino Coſſ. Auguſtinus B. Ambroſii diſcipulus, multâ facundiâ doctrinâque excellens, Hippone regio in Africa ordinatur Epiſcopus.* Illud collegium Conſulum ſignat Annum Chriſti 395. Longior ſomnus, quo tandiu ſtertis, fecit ne in illud aureum Chronicon ab amico Auguſtini compoſitum, oculos aperires. Alium errorem arraſti, cùm dixiſti pag. 727. *& coadjutor Aurelio datus.* Repone: *Valerio*, ut antea ac ſtatim collegam Auguſtini rectè nominaſti. Eſt levius erratum, quod nolo ſomniorum oumerum augeat.

S O M N I U M XXV.

IMportunus fortè videar, qui à ſomniante conſtantiam in loquendo deſiderem, ita ut ſibi invicem repugnantia loqui non poſſit, cùm quilibet Chimæras ac Hircocervos ſomniando concipiat. Imò hinc vel maximè tua ſomnia comprobentur. Hic dicis *Breviarium Romanum concluſiſſe in Clericatu illos annos Epiſcopatus, quibus Auguſtinus ſimul cum Valerio geſſit Epiſcopatum, quos ſaltem tres eſſe oportuit: ita poſt triennium decurſum presbyterii Epiſcopus fuerit conſecratus, & coadjutor Aurelio* (ſcribas Valerio) *datus.* Igitur ex Breviario habentur tres anni presbyterii, & itidem tres Epiſcopatûs Auguſtini cum Valerio, qui ſimul ſumpti annos ſex conſtituunt. At paucos ante verſus, nempè 12. dixiſti: *Superſunt ad 46. anni novem quos Breviarium aſſignat Clericatui S. Auguſtini ante Epiſcopatum.* Hic annos novem commentaris. Si novem anni ſunt, non ſunt tantummodò ſex; ſi ſex, quomodò novem? Pugnantia loqueris, contraria loqueris, Chimæras ſomniando loqueris.

S O M N I U M XXVI.

MAgnus planè ſomniator es, qui in quatuor verſibus tam multa ſomnias. Nam dicis Poſſidium eos ſolummodò annos numeraſſe, *in quibus ſolus, mortuo jam Valerio, Auguſtinus ſolitarius Epiſcopatum adminiſtravit.* Somnias. Hæc Poſſidius ſcribit cap. 30. de Vita Auguſtini: *Vixit annos ſeptuaginta ſex; In Clericatu autem vel Epiſcopatu annos fermè quadraginta*: quæ verba in hac ipſa pag. 727. adduxiſti in priori columna; & quidèm ab hoc ſomnio minimo ſpatio disjuncta. Porrò ſi vigilaſſes, manifeſtè vidiſſes Poſſidium annos tum Clericatûs tum Epiſcopatûs ſive cum collega, ſive hoc ipſo demortuo, unâ numerali notâ ſcilicet *fermè quadraginta*, deſignaſſe. Ubi, quæſo te, Poſſidius numerat annos ſolitarii Epiſcopatûs Auguſtini? Doce nos, ſi potis es, ex Poſſidio hunc diſtinctum annorum numerum. Vah quàm longa te inſomnia fallunt!

M A C E D O.

QUòd ſi unus adhuc ſupererat, ſatis etiam videntur eſſe tres presbyterii, & Epiſcopatûs quinque; nam ille extritus fuit itineribus, præparationibus, occupationibus, quæ multa ſolent intervenire in ſtatuum vitæ mutatione, qualis erat ille Auguſtini, cui relinquenda erat patria, & agri vendendi & ex eis pecunia ad publicum redigenda, ac Monaſterium ædificandum.

S O M N I U M XXVII.

AUguſtinus amicum ad Monaſticam vitam traducturus, Hipponem veniens, à populo apprehenſus, ordinatus fuit Presbyter. Rem narrat Poſſidius cap. 4. *Eum tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt.* Et ſtatim: *Et eorum TUNC, ut voluerunt, completum eſt deſiderium.* Itaque Auguſtinus factus eſt repentè Presbyter, cùm de eâ dignitate obtinendâ ne quidèm cogitaret. Jam tandem evigila, ac dicito, num ille annus, qui tibi fingitur *extritus itineribus, præparationibus, &c.* computetur inter illos tres presbyterii, vel eoſdem præcedat. Si primum eligas; deficit annus ad novennium quod ſomniando expiſcaris; etenim remanent tantùm *tres presbyterii, ac quinque Epiſcopatus.* At verò clamas: *Superſunt ad 46. anni novem* pag. ead. col. 1. Sin dicas non includi annum illum negotioſum intrà tres annos presbyterii, certè ſomnias. Nam ſi Auguſtinus à Valerio presbyter ordinatus, iter habuit, ſe ſacrorum voluminum lectione, ac ſanctioribus meditationibus ad delatum ſibi munus graviter exercendum præparavit, &c. erat verè Presbyter, nullaque niſi ficta tibi, ratio ſuppetit ad annum illum ab annis presbyterii Auguſtini excludendum. Viſne ſcire quantùm temporis Auguſtinus recèns presbyter factus, *ad præparationem* ſibi à Valerio concedi petierit? Ejuſdem verba vel dormienti tibi in aures inſuſurro, quibus fortaſſe exciteris: *Ad quod negotium*, inquit Epiſt. 148.

148. ad Valerium, *parvum tempus vel uſque ad Paſcha impetrari volui per fratres à tuâ ſynceriſſimâ, & venerabili charitate, & nunc per has preces volo.* Valerius Epiſcopus ubi primùm presbyterium Auguſtino detulit, eundem impoſito ſtatim munere fungi volebat. At ille ad ſe præparandum *parvum tempus vel uſque ad Paſcha* ſibi concedi rogabat. Tu pro tua liberalitate annum integrum donas terendum *itineribus, præparationibus occupati onibus, agris vendundis, &c.* Videſne quàm liberaliter ſomnies?

S O M N I U M XXVIII.

LEpida quædam interpretatio, ac jucundum gloſſema, quo laudata à me Poſſidii verba circumſcribis pag. 672. col. 1. cogit me extrà tuum Itinerarium unico tantùm paſſu deflectere; cur enim de proximo præclarum ſomnium non accerſam? Verba Poſſidii ſunt cap. 4. *Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt.* Hæc ita interpretaris: *Deinde obſerva:* Ut in talibus conſuetum eſt, *quæ verba non quadrant niſi in Clericos, quos mos eſt eligere, & conſecrare;* Et ſtatim: *E talibus erat Auguſtinus.* Idem gloſſema repetis pag. 698. col. 2. ubi in fine alterius pag. 699. ais: *Judico Auguſtinum cùm ad Eccleſiam Hipponenſem pervenit veniſſe jam initiatum minoribus ordinibus: non verò Laicum purum & ſæcularem.* O ſenex ſomniculoſe! In quibuſdam provinciis antiquitùs in uſu erat, inſtante neceſſitate novi presbyteri eligendi, populum, coitione factâ, quempiam virtutum famâ probatum, per vim corripere, & ſtatim Epiſcopo ordinandum offerre. S. Paulinus Epiſt. 35. inter Auguſtinianas ait: *Nam ego etſi à Delphino Burdigaliæ baptizatus, à Lampio apud Barcinonam in Hiſpania per vim inflammatæ ſubitò plebis ordinatus ſim, &c.* Auguſtinus Epiſt. 225. ad Albinam ſcribit plebem Hipponenſem vim Piniano intuliſſe, hoſpiti licèt ac peregrino, ut illum ſibi ordinandum offerret, ac Pinianum per quempiam ſibi ſignificaſſe: *Se velle populo jurare, quòd ſi eſſet ordinatus invitus, ex Africa diſcederet.* Paulinianus S. Hieronymi frater à S. Epiphanio vi apprehenſus, ac *ore obturato*, ne reclamaret, ordinatus fuit ex Epiſt. 60. apud Hieronymum. Hinc patet ſenſus verborum Poſſidii, cùm ait *Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus*, hoc eſt, his qui inviti per vim, ac populi tumultum ad clericatum deſtinabantur, *Epiſcopo ordinandum intulerunt.* Has verò ordinationes per vim non modò Romana Eccleſia, verùm etiam Majorianus Imperator in Novellâ ſecundâ prohibuerunt. Itaque ſomnias, cùm dicis *in talibus*, id eſt, *Clericis*, addens aliud ſtatim ſomnium, nempè Auguſtinum, cùm Hipponem venit, fuiſse *è talibus*, id eſt, Clericum *initiatum minoribus ordinibus.* Poſſidius Epiſcopus eo ipſo laudato capite ait plebem per vim apprehendiſse Auguſtinum: *quoniam & idem in populo ſecurus & ignarus quid futurum eſset, aſtabat. Solebat autem Laicus, ut nobis dicebat, ab eis tantùm Eccleſiis, quæ non haberent Epiſcopos, ſuam abſtinere præſentiam. Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus conſuetum eſt, Epiſcopo ordinandum intulerunt.* Igitur ſomnias Auguſtinum ante presbyteratum unum è Clericis, ac jam initiatum minoribus ordinibus. Reponis nomen Laici poſſe convenire Clericis ante ſuſceptos Ordines ſacros, id eſt poteſtate, quia poſſunt tranſire ad Laicos, qui tales ſimpliciter ſint, nempè ſæculares. Somnias. Nuſquam in vetuſtis Scriptoribus invenies minores Clericos Laici nomine nuncupatos. Imò Monachos, quamvis ſæculo renuntiaſsent, ſi non eſſent ullo Ordine initiati, Laicos tum Synodi, tum Patres appellabant. Unus te alloquatur, de quo ſoles *cogitatione ſomniare*, Auguſtinus, qui ſcribit lib. 2. de orig. animæ cap. 1. ſe duos libros accepiſſe: *Mittente*, inquit, *mihi eos fratre noſtro Renato, homine quidem Laico, &c.* Idem verò lib. 2. Retract. cap. 56. nominat eoſdem *duos libros, quos*, ait, *mihi de Cæſarea Renatus Monachus miſit.* Præterea, cùm dormiendi finem feceris, petam abs te, à quonam Epiſcopo Auguſtinus ordinatus fuerit Clericus; Num à Valerio Epiſcopo Hipponenſi, vel ab Antiſtite Tagaſtenſi, in cujus diœceſi triennium vixerat, antequam Hipponem veniret? Utrum eligas, ſomniabis in hiſtoria Eccleſiæ Africanæ. Nam ſi à Valerio fuerat apud Hipponem Clericus ordinatus; non potuiſſet ad triennium ferè in agro Tagaſtenſi vitam agere; ſiquidem fuiſſet Hipponenſi Eccleſiæ incardinatus. Extat verò canon 37. Concilii III. Carthaginenſis: *Ut Clerici in aliena civitate non immorentur.* At ſi ab Epiſcopo Tagaſtenſi ordinatus fuiſſet, haud fas erat Valerio eundem ſuæ Eccleſiæ Hipponenſi presbyterum aggregare ex canone 21. Ibid. *Ut Clericum alienum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audeat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita.* Dices hoc Concilium celebratum A. 397. Auguſtinum verò ante ſexennium presbyterum ordinatum. Etiam ſomniabis. Nam Epigonius Epiſcopus cap. 54. in eodem Concilio ait: *In multis Conciliis hoc ſtatutum eſt;* nempè: *ut Clericum alienum nullus ſibi præripiat Epiſcopus præter eius arbitrium, cujus fuerit Clericus.* Si ſomnies Valerium ſcripſiſſe ad Epiſcopum Tagaſtenſem, ut Auguſtinum ſuum licèt Clericum, permitteret; res tibi ſomniando peracta eſt. Ipſe tamen Auguſtinus nullum dubitandi locum relinquit in Epiſt. 225. ad Albinam, cui hæc de ſuis Hipponenſibus ſcribit: *Neque in hoc inviderunt Eccleſiæ Tagaſtenſi, quæ carnalis patria mea eſt, ſed cùm illa Clericatum mihi non impoſuiſset, quando potuerunt, habendum invaſerunt.* Igitur Auguſtinus non fuit Clericus Tagaſte. Hac de re ſomnias hircocervos. Scribis pag. 689. col. 1. Verſu II. *Jam ergo venerat Hipponem initiatus, & in ordine Clericali, inferiori tamen, conſtitutus.* Et col. 2. verſ. 39. *Venit itaque Hipponem Laicus Auguſtinus.* Dum ſomnias hominem, qui unà ſimul fuerit Laicus & Clericus, ſomnias in Eccleſia hircocervum, cùm quilibet minores ordines ſuſcipiens, ipſo facto deſineret & eſſe & dici Laicus. Denique pag. 671. col. 2. verſ. 24. *Venit*, inquit, *Hipponem regium; venit ergo Laicus non Cænobita.* Somnias. Auguſtinus ſerm. 49. de diver. exponens cauſam, cur Tagaſte Hipponem veniſſet, ait *Veni ad iſtam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me lucrari poſſe Deo, ut nobiſcum eſset in Monaſterio.* Erat igitur Auguſtinus Monachus in Monaſterio Tagaſtenſi, cùm Hipponem venit. Erat tamen Laicus, quo nomine nuncupabantur Monachi Ordinibus Eccleſiaſticis non initiati, uti S. Doctor Renatum vocavit. Hæc dudum noſtri ſcriptores prænotarunt, quorum libros ſi vigilans evolviſſes, non ea de Auguſtino paradoxa ſomniaſſes.

S O M N I U M XXIX.

IN eiſdem verbis aliud neſcio quid ſomnias, cujus ne tu quidem idoneus interpres eſſe poſſis, *Quòd ſi unus*, inquis, *adhuc annus ſuperat, ſatis etiam videntur eſse tres presbyterii, & Epiſcopatus quinque.* Cui bono anni iſti quinque Epiſcopatûs? Appellaſne quinque annos, quibus velis Auguſtinum cum Valerio Coepiſcopo ſediſse? At ante duodecim verſus dixeras *ſaltem eſse tres;* cur tam citò in quinque mutantur?

Num

Digitized by Google

Num intelligis tres cum Valerio, ac binos, quibus ſolus Eccleſiam adminiſtravit? Nec Pythius Apollo, nec Sybillæ adeò obſcurè, ut ſomniando facis, oracula emiſerunt. Illud ſomniatum in Breviario Romano novennium in nova te iterum ſomnia impellit. Nam ponis *quinque* Epiſcopatus, *tres* antea annos preſbyterii, *ac unum, extritum itineribus, præparationibus*, &c. Ex quibus novem anni conflantur, *quos Breviarium aſſignat Clericatui S. Auguſtini ante Epiſcopatum, quem eo anno obtinuit, id eſt, quadrageſimo ſexto.* Laboras ergo in novennio expiſcando, quod ex anno extrito, tribus Presbyterii, ac quinque cum collega Valerio compingis, ubique tamen, ut jam oſtendi, ſomniando.

M A C E D O.

Ibidem *UT ut ſit hæc diſſimilitudo ſupputandi Breviarii Romani & Poſſidonii, narrando annos, nihil turbat numerum annorum vitæ Auguſtini ſcil. 76. penè confectos, ideſt, ante quadrimeſtre inchoatum Novembris.*

S O M N I U M XXX.

HÆc Breviarii Romani, ac Poſſidii diſſimilitudo uni tibi fingitur, quæ tamen tanta tibi ſomnia immiſit, quæ modò, velis, nolis, excutiam. Auguſtinus A. 388. Tagaſtem reverſus eſt, ac in paternis agris *fermè triennio* vixit ex Poſſidio ejus diſcipulo cap. 3. Ineunte anno 391. ordinatur presbyter à Valerio Epiſcopo, *à* quo *parvum tempus vel uſque ad Paſcha* petiit, ut ad delatum munus laudabiliùs exercendum ſeſe præpararet, ex Epiſt. 148. Fit Epiſcopus A. 395. teſte S. Proſpero Auguſtini ſynchrono & amico, cujus verba ab Somnium 24. recitavi; & quidèm menſe Decembri, quod colligitur ex hom. 25. inter L. quam anniverſariâ die ſuæ ordinationis, utì & ſuperiorem ad populum habuit; ibi enim ait: *Natalis Domini imminet.* Illum A. 392. fuiſſe presbyterum patet ex actis publicè cum Fortunato Manichæo, quæ tomo 6. inchoantur: *Quinto Kal. Septemb. Arcadio II. & Rufino V. C. Conſſ. habita diſputatio adverſùs Fortunatum Manichæorum presbyterum in urbe Hipponenſium regiorum, &c.* quam diſputationem *tempore presbyterii* teſtatur ſe habuiſſe Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 16. Poſſidius cap. 30. ſcribit: *Vixit annos 76. In Clericatu autem vel Epiſcopatu annos fermè 40.* Nam cùm ordinatus fuerit Presbyter ineunte anno 391. & obierit A. 430. die 28. Auguſti, habemus annos 39. ac menſes circiter ſeptem; & rectè Poſſidius dixit *fermè quadraginta*, quòd deerant aliquot menſes ad annum quadrageſimum complendum. Breviarium verò ait: *Vixit annos ſeptuaginta ſex, in Epiſcopatu ad triginta ſex.* Auctores Lectionum Breviarii, quòd ſciebant ex Proſpero Auguſtinum creatum Epiſcopum A. 395. mortuum verò A. 430. cùm de menſe eiſdem non conſtaret, partem primi, ac partem poſtremi anni Epiſcopatûs rotundo numero deſignarunt, quod ſæpè ab hiſtoricis fit, qui menſium rationem plerumque non habent, utì Chronologi ſolent. Et tu quoque ſcribis Auguſtinum vixiſſe *annos 76. penè confectos, ideſt ante quadrimeſtre inchoatum Novembris.* Vocas *quadrimeſtre* ſpatium temporis, quod tamen à die obitûs 28. Auguſti ad diem Natalem Auguſtini decimum tertium Novembris, non eſt quadrimeſtre, ſed tantùm bimeſtre, ac dierum undeviginti. Verùm quia dies quatuor Auguſti, ac quindecim Novembris ſupra duos menſes medios in illo ſpatio includuntur, quadrimeſtre appellaſti, quamvis perperam ac barbarè id expreſſeris: *ante quadrimeſtre inchoatum Novembris*, cùm ſcribere debuiſſes: *terminandum menſe Novembri*, hoc enim menſe non inchoabatur poſtremum illud quadrimeſtre, ſed die 28. Auguſti. Sed cùm ubique ſomnies, in Grammatica quoque dormitas. Hoc tamen omiſſo, jam vides nullam diſſimilitudinem in numero annorum inter Poſſidium ac Breviarium reperiri, ſed annos Epiſcopatûs quos ille cum annis Clericatûs conjunctè ponit, iſtud ſeparatim deſignare, annis tamen Clericatûs nullo planè numero indicatis: Epiſcopatûs verò annis utroque termino incluſo numeratis, nempè ab A. 395. ad A. 430.

M A C E D O.

PUta enim rationes ab anno 388. quo anno Auguſtinus eſt baptizatus uſque ad annum 431. invenies annos quadraginta tres, quibus ſi addas tres poſt triginta, qui eſt annus baptiſmi, efficient quadraginta ſex. Sume triginta, qui ſuperſunt à nativitate, colliges ſeptuaginta ſex, quæ eſt juſta ſumma annorum vitæ Auguſtini, & demum redis ad initium natalis ipſius, qui fuit annus 355.

S O M N I U M XXXI.

GRatulor tibi de annis quadraginta tribus Auguſtini; ſiquidèm jam tandem tam benè anteà ſoporatus, incipis vigilare. Nam cùm in eadem pagina dixiſſes ab A. 388. ad 431. numerari *quadraginta ſex annos* utì notavi ad Somnium 27. & poſteà ſomniaſſes *annos novem Clericatûs Auguſtini* in Breviario Romano, ac *tres*, dein *quinque Epiſcopatûs* cum Valerio, *annum extritum itineribus, præparationibus*, ac plura alia portentoſa ſomnia; jam à neſcio quo perito artis calculatoriæ monitus, ab A. 388. ad A. 431. annos tantùm *quadraginta tres* ſupputaſti. Quòd ſi tuo Marte tam rectè calculos ſubduxiſti, etiam atque etiam rurſus gratulor, quòd in eadem prorſus pagella citò citiùs tantos in Arithmetica progreſſus feceris. Sunt tamen duo, quorum te admonitum velim. Primùm ne adeò pueriliter ac veluti in digitis numeros ſupputes. Nam cùm dicis: *Invenies annos quadraginta tres, quibus ſi addas tres poſt triginta qui eſt annus baptiſmi, efficiunt quadraginta ſex. Sume triginta qui ſuperſunt à nativitate, colliges ſeutuaginta ſex.* Vix pueri ita rationes putarent; nam ſi ponas annos 43. & *addas tres poſt triginta*, idem eſt ac dicere, *tres ſupra triginta*; qui numeri additi efficiunt ſeptuaginta ſex; non autem quadraginta ſex. Verùm ex tribus ac triginta, tu tres priùs ſumis, ut habeas numerum quadraginta ſex. Ejicito prorſus è mente huncce 46. annorum numerum, qui tibi ſanè climactericus fuit, ac periodum ita reſtituo: *Invenies annos 43. quibus ſi addas tres poſt triginta, qui eſt annus baptiſmi, efficiunt 76. quæ eſt juſta ſumma, &c.* Cætera expunge; cùm ſint pueriles tautologia. Verùm incipis iterum dormitare, cùm ex illa ſupputatione colligis annum Natalem Auguſtini 355. Nam Rivius ait Auguſtinum baptizatum anno 388. ætatis ſuæ 33. completo, undè annum Natalem ponit 354. nec tu de illo anno 33. num completo, an incompleto, ne quidèm dubitaſti, ſed pro incompleto, ſeu decurrente citrà dubium illum ſuppoſuiſti. At falſum eſt anno 388. baptiſmum Auguſtini contigiſſe, cùm anno 387. deputandus ſit ex ſuperiùs demonſtratis ad ſomnium 9. 10. & 18. & proximè rurſus oſtendam.

M A C E D O.

ITa natus eſt anno 355. baptizatus anno 388. mortuus anno 431. quòd ſi quis negare audeat oportet ut evertat totam rationem chronologicam Auguſtini, quam ipſemet Ibidem

Digitized by Google

met iniit, & teſtatam reliquit: quemadmodum hactenus demonſtravimus.

SOMNIUM XXXII.

NOn Auguſtinus, ſed Gabriel Pennotus hanc rationem Chronologicam Iniit, ſcribens lib. 1. cit. cap. 4. de Auguſtino. *Mea ſententia eſt B. Auguſtinum A. Chriſti 431. die 28. Auguſti obiiſſe, quia anno Chriſti 388. erat Romæ, illo anno baptizatus, quo anno incidit obitus Maximi Tyranni in menſe Auguſto, ut ille fatetur lib. 3. con. lit. Pet. cap. 25. & baptizatus eſt in annis triginta tribus, & vixit Ann. 76. unde oportet illius obitum in Ann. 431. non in 430. referre. Quo ſuppoſito, ſi B. Auguſtinus Anno Chriſti 431. die 28. Auguſti obiit, neceſſe erit illius diem natalem in Ann. 355. Idib. Novemb. incidiſſe, &c.* Itaque tuam illam Chronologiam non Auguſtinus, ſed Pennotus iniit, & ſomniculoſis teſtamento reliquit. Porrò quid tu hactenus demonſtraveris, nemo non intelligit, videlicet pura puta ſomnia, eaque portentoſa quæ vel tibi ſi quandoque vigiles, horrorem, vel certè ſtuporem incutiant. Auguſtini chronologia tibi prorsùs incognita, ex ejuſdem libris elicitur, eamque paucis exhibeo. Auguſtinus Tagaſte in Africa natus eſt anno 354. Idibus Novembris Conſtantio Auguſto VII. & Conſtantio Cæſare III. Coſſ. Idem verò teſtatur ſe annum undeviceſimum agentem, lecto Ciceronis Hortenſio, ſpretâ divitiarum cupiditate, ad ſolam ſapientiam magno impetu anhelaſſe. Verba adduxi ad Somnium 3. Kalendis Januariis A. 373. annum undeviceſimum agebat ante dies 49. inchoatum Lib. 4. Confeſſ. cap. 16. teſtatur ſe *annos natum fermè viginti* Categorias Ariſtotelis, ac diſciplinas Geometricas, Muſicas, Arithmeticas, proprio Marte, ſine magiſtro didiciſſe. Habes annum 374. Initio lib. 4. Confeſſ. ait: *Per idem tempus annorum novem ab undeviceſimo ætatis meæ, uſque ad duodetriceſimum, ſeducebamur, & ſeducebamus falſi, atque fallentes in variis cupiditatibus, &c.* Annus 28. labebatur Auguſtino A. Chriſti 382. Rurſus lib. 5. caput tertium ita inchoat: *Proloquar in conſpectu Dei mei annum illum undetriceſimum ætatis meæ. Jam venerat Carthaginem quidam Manichæorum Epiſcopus Fauſtus, &c.* addit ſe cum eodem ibidem poſteà collocutum de opinionibus Manichæorum, quas Fauſtus ab Auguſtini dubiis, quæ eâ in ſectâ patiebatur, expedire non potuit. Eo verò anno diutiùs ſe cum Fauſto vitam egiſſe cap. 7. teſtatur: *Cœpi*, inquiens, *cum eo pro ſtudio ejus agere vitam, quo ipſe flagrabat in eas literas, quas tunc jam Rhetor Carthaginis adoleſcentes docebam, & legere cum eo, ſi quæ ille audita deſideraret, ſive quæ ipſe tali ingenio apta exiſtimarem.* Inferiùs autem cap. 13. ait ſe delectatum, cùm poſteà Mediolani S. Ambroſii orationes audivit, *Suavitate ſermonis, quamquam eruditioris, minùs tamen hilareſcentis, atque mulcentis, quàm Fauſti.* Itaque annum ætatis 29. Carthagine egit cum Fauſto, nempè Chriſti 383. Idem lib. 6. Confeſſ. cap. 9. ſcribit: *Et ecce jam tricenariam ætatem gerebam in eodem luto hæſitans aviditate fruendi præſentibus, fugientibus, & diſſipantibus me, dum dico: Cras inveniam: ecce manifeſtum apparebit, & tenebo, & ecce Fauſtus veniet, & exponet omnia.* Vocat *jam tricenariam ætatem*, quia decurrente 29. jam jam acturus erat annum triceſimum. Idem verò lib. 5. cap. 8, ita exorditur: *Egiſti ergo mecum, ut mihi perſuaderetur Romam pergere;* quò paulò poſt etiam tranſmiſit. Num id contigerit labente Autumno A. 383. vel aperiente ſe mare, A. 384. in medio relinquo, Romæ periculoſo morbo decubuit, à quo recreatus, Manichæis quidèm ſe adhærere ſimulabat, cùm tamen mente jam ad Academicos tranſiſset, de omnibus dubitans, ac quidpiam certi aſsequi ſe poſse deſperans. Ibid. cap. 9. & 10. Scholam igitur privatam in Urbe aperuit, ubi tamen offendit diſcipulos cùm aliquamdiu ſcholam frequentaſsent, pactam mercedem fraudantes, ad alium præceptorem, facta coitione, tranſire. Intereà cùm Symmachus rogatus fuiſset Oratoriæ artis profeſsorem Mediolanum mittere, contigit, ut dictione propoſitâ, inquit cap. 13. *me probatum Præfectus tunc Symmachus mitteret.* Lib. 5. cap. 13. Symmachus urbis præfecturam adminiſtravit A. 384. ex LL. 44. *de Appellat.* & 4. *de ſent. ex periculo*, datis ad eundem Præf. Urbis *Richomere & Clearcho Coſſ.* Cod. Theod: quibus Conſulibus Auguſtinus annum 30. ætatis exegit. S. Doctor lib. 3. con. lit. Petiliani cap. 25. ait: *Cùm ego Mediolanum ante Bautonem Conſulem venerim eique Conſuli Kalendis Januariis laudem in tanto conventu conſpectùque hominum pro meâ tunc Rhetoricâ profeſſione recitaverim.* Bauto conſul collega Arcadii Auguſti, magiſtratum capeſſivit A. 385. Auguſtini triceſimo primo ante dies 49. inchoato. Ex allato Auguſtini teſtimonio patet eundem A. 384. Mediolanum veniſse, ac elapſis feriis vindemialibus, Rhetoricam cathedram inſediſse, ac de more ineunte anno, Bautoni Conſuli magiſtratum auſpicanti, panegyrim recitaſse. Hæc Chronologia eſt ex ipſius Auguſtini libris deducta, ac illius annum natalem recto filo retrahit ad Idus Novembris anno 354. Nam ſi A. 355. natus fuiſset, anno vigeſimo nono exeunte, ac jam tricenariam ætatem agens, Chriſti 384. fuiſset Rhetor Carthagine, ac Fauſto convivens, ab eo dicenda diſcens, cùm tamen A. 384. Romæ fuerit, ubi poſt ægritudinem convaluit, ſcholam aperuit, aliquandiu docuit, magnâ jam ſui nominis famâ per Urbem reſonante, ita ut & Symmacho innotuerit, ac probatus, Mediolanum miſsus fuerit; ubi incumbente Autumno, publicum Rhetorem agere cœpit. Et ſanèut poſteà Mediolani fecit, Carthagine anno 383. ætatis ſuæ undetriceſimo feriis vindemialibus docendi munus abdicavit, annuo ſtipendio expleto. Quod ſcimus Symmachum A. Chriſti 384. fuiſse Præfectum Urbis, deſcripta Auguſtino Chronologia ad hunc annum veluti ad regulam certiſſimam dirigenda eſt, quam cùm Macedus non obſervaſset, depravatam Pennoti Chronologiam ſomniando ſecutus eſt. Denique lib. 8. Confeſs. cap. 7. narrat ſe Potitiani verbis ad Chriſtianam fidem, ac Catholicum dogma converſum, & tempus deſignans, ait: *Quoniam multi mei anni mecum effluxerant, fortè duodecim anni, ex quo ab undeviceſimo anno ætatis meæ lecto Ciceronis Hortenſio excitatus eram ſtudio ſapientiæ &c.* Ab anno undeviceſimo duodecim poſtea annis effluxis, agebat Auguſtinus annum ætatis trigeſimum ſecundum, qui cùm id temporis flueret, ſeu adhuc decurreret, inter illos duodecim non numeratur, quos ab anno undeviceſimo ad eum, quem tunc agebat effluxos, ſive præteritos ex integro, conteſtatur. Ille verò A. 386. annum alterum ſuprà triceſimum agebat. Ibidem verò capite ſtatim ſequenti octavo narrat ſe eâ voce divinitùs lapsâ: *tolle, lege*, plenè converſum, ac de abdicandâ profeſſione Rhetoricâ proximis jam vindemialibus feriis cogitaſſe, quæ lib. 9. cap. 2. fuſiùs proſequitur. Tum cap. 3. ait ſe rus Caſſiciacum Mediolano digreſsum, ubi diem ſuum Natalem celebravit Idibus Novembris ejus A. 386. quum tertium ſuprà triceſimum auſpicaretur, qua de re plura prænotavi ad Somnium III. Hinc etiam annus baptiſmi S. Doctoris manifeſtè ſtatuitur

CCC

Digitized by Google

CCCLXXXV I. Et profectò nec melior, nec ſolidior Chronologi ex ejuſdem Auguſtini libris à quoquam colligi poteſt, à qua nullus niſi ſomniando deflectit.

M A C E D O.

Pag. 728. col. 1. *FAteor me priùs inclinaſſe in ſententiam eorum, qui deſignant annum mortis Auguſtini 430. propter objectionem proximè mihi proponendam. Sed maturè re conſideratâ, & teſtimoniis Auguſtini expenſis, & collatis cum narratione Poſſidonii, & ſupputatione Breviarii, deprehendi illam ſententiam, quæ placere cœperat, cum manifeſtâ Chronologiâ Auguſtini pugnare. Itaque huic adhæſi, & annum fixi, & clavum adegi, quem nemo poſſit reffigere.*

S O M N I U M XXXIII.

HInc procul me repentè proripiam; ne, dum ſomnias, huncce tuum clavum mihi in caput infigas. Sed mitto hæc tua tam grandia philacteria. Scribis te ſententiam priorem mutaſſe. Quis autem hoc miretur, cùm Auguſtini etiam veſtem mutaveris; ſiquidem in uno & altero frontiſpicio primi & ſecundi Tomi tuarum Collationum, Auguſtini effigies ære ducta viſebatur cum Auguſtinianorum Fratrum togâ, ac cucullo; at in hoc tuo tertio (non dico poſtremum, quia brevi quartum emittes, & fortè etiam quintum, ut quatuor libros Magiſtri Sententiarum tuorum Theologicorum voluminum numero ſuperes) Canonicorum Regularium veſte, & ut vulgò dicimus *roquet*, induta conſpicitur. Tu ſanè fictori pro Auguſtinianâ veſte mutandâ, aliquot obolos numeraſti, cùm ſententiam quam modò tenes priori exutâ, Pennotus gratis tibi donaverit. Illi ergo adhære plus etiam quàm ad ſcopulos conchæ adhæreſcunt. At deſine clavum, quo eandem in poſterorum mentibus figas, jactare; nam craſſiori tantùm immanium ſomniorum ſputo illam fixiſti, quam quilibet poſſit vel levi oris flatu reffigere. Scribis te id feciſſe *maturè re conſiderata*. Quis præter te maturè, hoc eſt, seriò unquam ſomniavit? Vox illa *maturè* palam indicat, te nova rurſus inſomnia maturare. Addis te à priori ſententiâ rebellaſſe *teſtimoniis Auguſtini expenſis, & collatis cum narratione Poſſidonii & ſupputatione Breviarii*, quibus iterum me in tuorum ſomniorum memoriam inducis, quorum non dicam confutatione, ſed ſolâ dudum me narratione delaſſaſti. Dum Poſſidonii ac Breviarii teſtimonia Latinè tantùm ſcientibus notiſſima, non intelligis, ad incitas licèt ſomniando redactus, paupertini ingenii homo apparuiſti. Denique ſomnias primam illam ſententiam *cum manifeſtâ Chronologiâ Auguſtini pugnare*, cùm Auguſtinianæ Chronologiæ ne minimum quidèm apicem videris, ut prodigio propiùs videatur, te ea manifeſta jactare, quorum tam profundâ ignorantiâ labores. At oleum & operam perdo, qui velim ſomniantem monere.

M A C E D O.

Ibidem *VEnio ad objectionem, quæ me deterrebat à ſententia & valida ſpecie videtur. Extant literæ Theodoſii Junioris miſſæ per Ebagnium Magiſtrianum ad Auguſtinum tractoria, eum ad Concilium Epheſum vocantis, quæ perlatæ ſunt ad Capreolum Primatem Carthaginenſem anno 431. per Paſcha ejus anni, quæ invenerunt jam mortuum Auguſtinum, & ita reſcripſit ad Imperatorem, Synodumque Capreolus; igitur anno ſuperiori deceſſerat Auguſtinus, nempè anno 430. menſe Auguſti. Quod mihi viſum erat argumentum invictum.*

S O M N I U M XXXIV.

TUnc ſanè vigilabas, cùm illud argumentum tibi invictum videbatur. At cùm literas Capreoli dubiæ fidei incuſas, indubitanter dormitas. Pennotus, à quo didiciſti obitum Auguſtini protrahere ad A. 431. Capreoli literas diſſimulavit; tu verò eaſdem non uno ſomnio eludere pertentas, ut proximè exponam. Interim quid hìc ſomnias de literis Tractoriis Theodoſii Junioris? Literæ Auguſtorum, quibus Epiſcopos ad Synodos invitabant, digniori ac proprio vocabulo, honoris gratiâ, nuncupabantur; nempè *ſacræ*, aut *divales* dicebantur. Appellabo exempla literarum ejuſdem Theodoſii. In prima parte Synodi Epheſinæ cap. 31. legitur: *Exemplum ſacræ, quam religioſiſſimus princeps Theodoſius ad Cyrillum Alexandriæ Epiſcopum miſit*, & cap. 32. dicitur: Θεῖον γράμμα: *Divales literæ*, quo modo aliæ ejuſdem literæ appellantur alibi in geſtis ejuſdem Concilii. Liberatus Diaconus Carthaginenſis in Braviario cap. 5. ait: *Scripſit Imperator ſacram & B. Auguſtino Hipponiregienſi Epiſcopo per Ebagnium Magiſtrianum, ut ipſe Concilio præſtaret ſui præſentiam.* Ita vir doctus proprio vocabulo *ſacram* Epiſtolam appellavit, quam tu alienâ voce *Tractoriam* nuncupaſti: Cæterùm literæ quibus Primates provinciales Epiſcopos ad Synodum vocabant, *Tractoriæ* vulgò dicebantur. Ita eas appellat Auguſtinus lib. 1. poſt collat. cap. 24. Epiſt. 217. In pſal. 36. & non ſemel in Codice Africano. Cùm Imperator ſacram pro habendâ Synodo mittebat, Præfecti Prætorio, cùm id in mandatis habebant, Tractorias Epiſcopis dabant, quarum beneficio publicâ evectione utebantur. Conſtantinus in literis ad Ablavium Præf. Pr. pro convocandâ Synodo Arelatenſi datis, ait: *Singulis Epiſcopis ſingulas Tractorias tribuas.* Quòd earum beneficio ſinè privato impendio, Epiſcopi terrarum tractus emetiebantur, *Tractoriæ* nuncupatæ ſunt; ac indè etiam nuncupatæ literæ Primatûm ad Synodos evocantium Epiſcopos; quamvis hi evectione publicâ non uterentur. Verùm cur non liceat tibi nomen unius Epiſtolæ commutare, qui potuiſti veſtem Auguſtino mutare, itèmque annos ejuſdem nativitatis, baptiſmi, ac mortis ſuſdeque variare, retrahere, protrahere, et clavo etiam figere, *quem nemo poſſit reffigere*?

M A C E D O.

VErùm cùm rem ſeriò examinaſſem, & vidiſſem vacillare fidem eorum qui hanc Epiſtolam producebant, & de anno, quo data eſſet, ambigere, eaque mihi ſuſpecta eſſet, quòd eſſet contraria alii Epiſtolæ ejuſdem Theodoſii inſertæ actis Concilii, cœpi dubitare de fide primæ illius Epiſtolæ. Ibidem

S O M N I U M XXXV.

NOn ſeriò, ſed ſerò, cùm jam te ſomnus invaſiſſet, rem examinaſti. Verumne, an fictum ſit exemplar Epiſtolæ Theodoſii ad Auguſtinum, quod apud quoſdam recentes Scriptores legitur, nihil tua ſomnia juvat. Vis argumenti, quod eludere conaris, ſita eſt in reſponſo Capreoli, qui circà Paſcha anni 431. reſcripſit Theodoſio Auguſtinum non ampliùs fuiſſe ſuperſtitem. Verba ejuſdem exhibebo ad Somnium 39. Idem etiam in Epiſtola ad Synodum Epheſinam ſcribit *Literas Imperatoris in diebus Paſchæ ad nos perlatas eſſe, quando jam inde uſque ad univerſalem Synodum vix duorum menſium ſpatium ſupererat.* Liberatus Diaconus cap. 5. Breviarii ex Archivis Carthaginenſis Eccleſiæ, cujus Diaconus vixit, ipſum literarum Theodoſii

doſii perlatorem nominat Ebagnium Magiſtrianum. At tu ſomniando dubitas num Theodoſius ad Auguſtinum ſcripſerit? Teſtatur Capreolus ſe aperuiſſe ac legiſſe literas Imperatoris ad Auguſtinum; Liberatus virum deſignat qui eaſdem Principis literas Carthaginem detulit, & dubitas an Theodoſius ad Auguſtinum literas miſerit; & non ſomnias?

SOMNIUM XXXVI.

ALiud inſuper ſomnias, cùm dicis priorem illam Theodoſii Epiſtolam tibi *ſuſpectam eſſe, quòd eſſet contraria alii Epiſtolæ ejuſdem Theodoſii insertæ Actis Concilii.* Erras primùm, quia in priori Epiſtola Auguſtinus ad Synodum invitatur; in alterâ verò quædam ab Imperatore ſchiſmaticorum literis decepto, adversùs S. Cyrillum decernuntur. Sunt igitur diſparatæ Epiſtolæ, non, utì ſomnias, contrariæ. Erras iterum dum dicis Epiſtolam poſteriorem eſſe inſertam Actis Concilii. Somnias: Inſerta eſt Actis Conciliabuli, quod Joannes Antiochenus cum ſuis Syriacis Epiſcopis apud Epheſum contrà S. Cyrillum conflavit. Cùm tamen Epiſtola Capreoli in qua S. Auguſtinus circà Paſcha A. 431. non fuiſſe inter vivos dicitur, inſerta ſit actioni primæ ſanctæ Synodi. Addis *vacillare fidem eorum qui hanc Epiſtolam producebant, & de anno, quo data eſſet, ambigere.* Quicquid dixeris de exemplari nuper producto ejus Epiſtolæ, nihil ad cauſam dices. Cùm certum ſit ex literis Capreoli, ac hiſtoriâ Liberati Diaconi, Theodoſium ſcripſiſſe ad Auguſtinum, eaſque literas circà Paſcha A. 431. in Africam delatas, illum iveniſſe jam demortuum. Sanctus Gregorius VII. eximiæ doctrinæ ac eruditionis Pontifex, in *decretali Epiſtolâ* ad Ottonem Conſtantienſem cap. 4. ait: *Huic etiam Auguſtino, ut liber Liberati teſtatur, Theodoſius Imperator per ſacram ſuam mandavit, ut ſe Epheſino Concilio præſentaret; ſed heu, tam egregius Doctor ante mundo ſubtractus eſt, quàm ad illum invitatoria Romani principis Epiſtola perveniſſet.* Hæc ille in Apologetico Synodi Romanæ. Itaque aut falſus fuit Capreolus, mentitus Liberatus, ac denique Gregorius Papa deceptus, dum S. Auguſtinum ante Paſcha anno 431. mortuum dixerunt; aut tu ſomniaſti putans eundem id temporis ſuperſtitem fuiſſe.

MACEDO.

Ibidem *CAuſas aperio. Prima eſt, quia illa poſterior eſſe dicitur, quàm alia data ad Cyrillum, & alios Epiſcopos Orientales XIII. Kal. Novembris, cùm dari priùs debuiſſet ad Auguſtinum, qui in alieno imperio, & quaſi alio Orbe vivebat, cujuſque major ratio habenda erat, propter doctrinam & auctoritatem, quam ſummam obtinebat.*

SOMNIUM XXXVII.

THeodoſius, ut ipſe ait cap. 32. primæ par. ejus Synodi, *ad omnes omnino Deo dilectos Epiſcopos Metropolitanos literas ſcripſit.* Cùm verò fortè à Cyrillo, accepiſſet Auguſtinum peragendæ Synodo neceſſarium eſſe, ad eundem quoquè privatum licèt Epiſcopum, ſacram deſtinavit. At tu quòd literæ ad Orientales datæ, priùs ſcriptæ videantur, ſomnias unum ante menſem eaſdem ſcriptas; narras enim illas datas *XIII. Kalend. Novembris*, cùm reapſe legantur: *Datæ Conſtantinopoli XIII. Kalen. Decembris, conſulatu DD. NN. ſemper Auguſtorum Theodoſii quidèm XIII. Valentiniani verò III.* Cùm ſomnum excuſſeris, *Novembri* expuncto, Decembrem reponas.

MACEDO.

SEcunda, quia in reſponſione Capreoli, vox eſt inepta, cùm dicat ad Synodum: Domini & Filii noſtri Imperatoris Theodoſii, *quæ conjunctio* Domini & Filii *diſſona eſt; nec appellatio* Filii *Capreolo congruebat Carthaginenſi Epiſcopo, cùm vix eo tempore Romano Pontifici conveniret. Nimium ſibi arrogaret Capreolus, ſi eo nomine Imperatorem Orientis afficeret.* Ibidem col. 2.

SOMNIUM XXXVIII.

NOn eſt inepta vox Capreoli, nec conjunctio *Domini & Filii* diſſona; ſed tu inepta ac diſſona ſomnias. Ohe: jam ſatis obdormiviſti; depelle jam ſomnum; oculos perfrica, ac lege in tomo 2. operum S. Auguſtini plures titulos, ſeu inſcriptiones Epiſtolarum ejuſdem Patris: *Domino dilectiſſimo & deſideratiſſimo filio Palatino*, Epiſt. 208. *Domino dilectiſſimo Romulo filio*, Epiſt. 211. Idem *Domino ac Filio* inſcribit Epiſtolas 70. 123. 124. 129. 158. 160. 210. 212. Imò etiam ad fœminas ſcribens, vocem utràmque jungit: *Dominæ religioſiſſimæ filiæ Ecdiciæ*: Epiſt. 109. 132. & 143. Tune ille unus homo es, *quem delectat de Auguſtino & meminiſſe, & loqui, & cogitare, imò & pro conſuetudine ſomniare?* Hac ſanè vice de Auguſtino nec meminiſti, nec cogitaſti, & non modò de eodem, ſed etiam in eodem *pro conſuetudine* ſomniaſti. In Novella ſecunda Theodoſii ad Valentinianum, quibus imperantibus Auguſtinus ac Capreolus vixerunt, legimus: *Domine ſacratiſſime Fili Auguſte.* In Epiſtola 6. Vigilii Papæ ad Auxanium: *Chriſtianiſſimi Domini Filii noſtri Imperatoris.* Et inter ejuſdem Vigilii Epiſtolas proſtant literæ Pontiani Epiſcopi privati in Africa cum inſcriptione: *Clementiſſimo, atque piiſſimo filio Juſtiniano Imperatori Pontianus Epiſcopus in Domino ſalutem.* S. Ambroſius in orat. de obitu Valentiniani: *Sed ad veſtram*, inquit, *ſanctæ Filiæ, conſolationem revertar.* Et iterum: *In vobis eſt, Filiæ, ut fratrem vobis jam nemo poſſit auferre.* Erant illæ Valentiniani ſenioris filiæ, ac junioris & Gratiani Auguſtorum ſorores.

MACEDO.

TErtia, quia hæc Epiſtola pugnat cum illa alia indubitata ejuſdem Imperatoris ad Cœleſtinum Papam, Rufum Vicarium per Illyricum, & Auguſtinum & reliquos, quæ miſſa fuit poſt inchoatum, imò & penè confectum Epheſinum Concilium, ideſt menſe Julio A. 431. uno ante obitum Auguſtini menſe, quod argumento eſt, nondum innotuiſſe Theodoſio, neque Orientalibus mortem Auguſtini. Qui ergo potuit per Paſcha ejuſdem anni, quo ſunt ei redditæ literæ Capreoli per Ebagnium miſſæ; de Auguſtini obitu, quæ vulgaris opinio eſt, ſcire? Non ergo deceſſerat Anno illo priore 430. Auguſtinus.

SOMNIUM XXXIX.

MAgnus es ſomniator. Extat in actis Conciliabuli apud Epheſum Epiſtola Theodoſii cum epigraphe: *Cœleſtino, Rufo, Auguſtino, Alexandro, &c.* data menſe Julio A. 431. Hanc vocas *indubitatam*; illam verò Capreoli, quæ inſerta eſt actioni primæ ſanctæ Synodi Epheſinæ, *mihi*, inquis, *ſuſpecta, ac cœpi de fide illius dubitare.* Imò viri docti dubitant de illo nomine *Auguſtino* quod in illo titulo legitur; nam in quibuſdam Græcis exemplaribus habetur; Αὐγουστιάνῳ *Auguſtiano*; atque ita ſcribitur in noviſſima editione Labbeana tom. 3. Concil. pag. 722. ubi non Auguſtinus, ſed *Auguſtianus* legitur. Ferrandus Diaconus Carthaginenſis S. Fulgentii amicus, idèmque ſcriptor

inſignis

inſignis in Epiſtola ad Pelagium & Anatolium laudat literas: *Beatæ memoriæ Capreoli Clementiſſimo Principi Theodoſio ſcribentis*: Et poſteà ait: *Et in alia Epiſtolâ ad Epheſinam Concilium per Baſsulam directâ Diaconum*; ubi utriùſque Capreoli Epiſtolæ fragmenta recitat. Liberatus itidem Diaconus Carthaginenſis non ſolùm earundem literarum meminit, verùm etiam hominem nominat à quo perlatæ ſunt, ſcribens cap. 5. Breviarii Cauſæ Neſtorianorum & Eutychianorum: *Qui Ebagnius veniens Carthaginem magnam, audivit à Capreolo ipſius urbis Antiſtite, beatum Auguſtinum ex hoc mundo migraſse ad Dominum, acceptiſque ab eo ad Imperatorem literis loquentibus de obitu B. Auguſtini, Conſtantinopolim, undè venerat, rediit.* Meminit ſtatim etiam Epiſtolæ ejuſdem Capreoli ad Synodum Epheſinam. Itaque Theodoſius Imperator adveniente Ebagnio, ex literis Capreoli antè Julium menſem A. 431. intellexit S. Auguſtinum obiiſse. In Epheſinâ etiam Synodo univerſi Patres ibi degentes, in primâ actione habitâ die 22. Junii, dum in literis Capreoli legeretur: *Primum enim Domini & Filii noſtri religioſiſſimi Theodoſii Imperatoris literæ ad manus noſtras pervenerunt, ejuſmodi erant, quæ beatæ memoriæ fratris & Coepiſcopi noſtri Auguſtini præſentiam peculiari ratione efflagitabant. Verùm cùm ea literæ illum jam tam è vivis exceſſiſse comperiſsent, &c.* Tu verò dicis *menſe Julio A. 431. nondum innotuiſse Theodoſio neque Orientalibus mortem Auguſtini.* Profectò ſi Orientales Epiſcopi, quemadmodùm tu oculos ſomniando claudis, aures obturaſsent, Auguſtini mortem, dum à Primicerio Notariorum legebantur literæ illæ Capreoli, non intellexiſsent. Cùm verò Ebagnius *Conſtantinopolim rediit*, nonne Theodoſius Imperator obitûs Auguſtini certior factus fuit? Equidèm quis te ſomniaſse neget, qui Epiſtolam Capreoli *ſuſpectam* dicas, quam geſtis Synodalibus Patres Epheſini inſeruerunt, quam Ferrandus ac Liberatus Carthaginenſis Eccleſiæ, quam Capreolus adminiſtraverat, Diaconi ex ejuſdem Archivis laudarunt, cùm uterque etiam proximo ab Auguſtini obitu ſæculo floruerit? Quì autem, inquis, fieri potuit, ut Auguſtinus in epigraphe Epiſtolæ à Theodoſio ſcriptæ menſe Julio A. 431. nominaretur, ſi ille ante annum è vitâ migraſset? Jam tibi reſponſum eſt, dubiam & variam eſse ejus nominis lectionem. At quòd nuſquam *Auguſtini* Epiſcopi nomen in vetuſtis ejus ſæculi monumentis apparet, dicendus eſt erraſse ſcriptor literarum Theodoſii, ſecutus formulam inſcriptionis anno ſuperiori deſignatæ, cùm nondum Auguſtini obitus Conſtantinopoli innotuiſset. Et planè ſomnias, dum ne ſcriptor illius Epiſtolæ Auguſtini obitum apud Conſtantinopolim credatur ignoraſse, fingis Capreolum Carthaginenſem Primatem falſum de Auguſtini morte nuntium ad Theodoſium remiſiſse.

M A C E D O.

QUarta, quia vix credibile eſt, tandiu latuiſse obitum illius Solis, ut intrà decurſum anni ſolaris in occulto eſset, cùm ejus lux ſole clarior foret, qui ſi deficeret, ſtatim nox in Eccleſiam incubuiſset. Sanè vivebat illo anno 430. exeunte, & ineunte, imò adulto A. 431. donec ad menſem Auguſtum pervenit.

S O M N I U M XL.

MUltùm loquentiâ vales, cùm etiam ſomniando tam belle rhetoriceris. Auguſtinus ſol erat Eccleſiæ Latinæ, Cyrillus Græcæ. Neutrius libri in alterius nationis idioma verſi erant; fama tamen in ſuo uterque Orbe ſuprà alterum ſplendebat: *Solemque ſuum ſua ſydera norunt.* Ille ergo Occidentalibus, iſte Orientalibus notior. Hinc Auguſtini, qui in Occidentali imperio vivebat obitus, non tam citò Græcis, ac Theodoſio Imperatori innotuit, cùm præſertim Primates, qui Principis aures occupabant, parùm de Auguſtino curarent, imò vix nomine tenùs notum haberent. Quoùſque tamen dices: *Sanè vivebat illo anno 430. exeunte, &c.* ſanè haud ſanâ mente ſomniabis.

M A C E D O.

UNum obſtat, quòd literæ Capreoli ſunt idoneæ, non apocryphæ, nec ſuppoſitæ; hæ autem perſpicuè tradunt deceſſum Auguſtini. Reſpondeo me nolle improbare literas Capreoli, ſed rem in eis contentam. Puto Capreolum ita exiſtimaſſe, nec temerè, quia cùm inaudiſſet irruptionem Barbarorum in eam partem Africæ, & propter arctiſſimam Hipponis Regis obſidionem incerti nuncii eſſent, & Auguſtinus incluſus teneretur, & jam fortaſſe ægrotaret, è conjecturis ſibi perſuaſiſſe mortuum eſſe, ac de eo monuiſſe Imperatorem. Non igitur de re certior factus, ſed conjecturis ductus, aut minùs veris nunciis credulus obitum Auguſtini affirmavit. Ibidem

S O M N I U M XLI.

JActo lapide, manum retrahis, & occultas. Dicis te *nolle improbare literas Capreoli.* At ſuperiùs conjunctionem diſſonam *Domini & Filii* vellicabas, ut non tantùm rem contentam, ſed ipſas planè literas ſuſpectas faceres. Dubitabas de literis Theodoſii ad Auguſtinum, quòd poſteriùs quàm ad Orientales datæ dicebantur. Jam impetum ſomniandi remittis, ac obitum tantùm Auguſtini in illâ Epiſtolâ aſſertum inficiaris. Capreolus qui id temporis vivebat, qui Carthagine urbe proximâ Numidiæ, ubi Auguſtinus erat Epiſcopus, ſedebat, falſos de Auguſtini morte nuntios accepit, qui omnium Eccleſiarum Africæ curam gerebat, ac omnium inibi Epiſcoporum ordinationes probabat, is, inquam minùs veris nuntiis credulus obitum Auguſtini affirmavit. At tu nuntianti tibi Pennoto Auguſtinum obiiſſe anno 431. cum plauſu credis, affirmas, & magnâ voce inclamas. Nonne, ô bone, dormitas, & ſomnia narras? Num vigilans oculos in Chronicon S. Proſperi quandoque conjeciſti? Scribit: *Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Auguſtinus Epiſcopus per omnia excellentiſſimus moritur V. Kal. Septembris libris Juliani inter impetum obſidentium Vandalorum in ipſo dierum ſuorum fine reſpondens, & glorioſè in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeverans.* Et ſtatim: *Baſſo & Antiocho: Congregata apud Epheſum plus CC. Synodo Sacerdotum, Neſtorius, &c. damnatur.* Conſulatus Theodoſii XIII. & Valentiniani III. eſt character infallibilis anni vulgaris Epochæ 430. inſequens conſulatus Baſſi & Antiochi ſignat in faſtis annum 431. Si tanto verborum Proſperi tonitru non excitaris, non jam ſomno, ſed mortali planè lethargo opprimeris. Is eſt Proſper Auguſtini, ejuſque doctrinæ cultor eximius, ac poſt illius obitum defenſor acerrimus, cui etiam Auguſtinus libros de prædeſtinatione Sanctorum, ac de dono perſeverantiæ nuncupavit. Ille quidem annos tantùm mortis Romanorum principum, non menſem, non diem obitûs deſignavit. A. 392. *Valentinianus laqueo apud Viennam periit*; A. 395. *Theodoſius Imp. Mediolani moritur*; A. 408. *Arcadius Imp. Conſtantinopoli moritur.* A. 423. *Honorius moritur, &c.* At Auguſtini ſui obitum

Digitized by Google

narrans, annum, menſem, ac diem denique in literas miſit. Ioiò etiam expoliuit eundem, cùm poſtremo morbo correptus fuit, apologeticos libros contrà Julianum adornaſſe. Conſulatus XIII. Theodoſii, & tertius Valentiniani Auguſtorum eſt planè clavus trabalis, quo S. Proſper obitum Auguſtini ſui fixit in Anno Chriſtiano 430. die 28. Auguſti, quem certè clavum nemo poſſit, niſi tecum ſomniando, refigere.

S O M N I U M XLII.

SCribis Capreolum falsò putaſse Auguſtinum è vitâ migraſse, cùm propter arctiſſimam Hipponis Regis obſidionem incerti nuntii eſsent, & Auguſtinus incluſus teneretur, *& jam fortaſſe ægrotaret.* Extat ſermo CXI. de Temp. quem, uti eruditè Baronius obſervavit, S. Auguſtinus ad Hipponenſes jam à Vandalis obſidione cinctos, recitavit; in quo ait: *At cum oculos noſtros dira calamitas & obſidionis perenſerit, & nunc tempore mortalitatis affligat, &c.* Hic vero ſermo inſcribitur habitus *feriâ quintâ poſt Dominicam paſſionis;* nempè die decimo ante Paſcha. At tu pro arbitrio eundem id temporis ægrotaſſe commentaris, cùm Capreolus ſcribens per feſta Paſchalia, quòd ægrotare illum intellexerat, mortuum affirmavit. Num dices è pulpiro improvisâ febre correptum, in lectum ſe recepiſſe? Auctor eſt Poſſidius, qui cum Auguſtino à Vandalis incluſos fuerat, S. Doctorem *tertio illius obſidionis menſe decubuiſſe febribus;* cap. 29. Si adulto Aprili ægrotare cæpit, obſidio inchoata fuerat menſe Januario. Næ tu artem militarem calles, qui ſæviente hyeme muniſſimam urbem, quæ nec decimo quarto obſidionis menſe expugnari potuit, teſte eodem Poſſidio, militari coronâ cingis? Bonifacius Comes vir bello ſtrenuus, urbem cum numeroſo præſidio propugnabat. Nulloſne hic nuntios furtim, præſertim quà hoſtili claſſe non adeò arctâ cuſtodiâ mare claudebatur, Carthaginem emittere poterat, ut Proconſuli Africæ obſeſſæ urbis ſtatum ſubinde ſignificaret, ac Auguſtini etiam valetudinem ſive proſperam ſive adverſam exponeret? Caveſis, ne dum menſe Aprili Auguſtinum ægrotantem, ac exeunte Auguſto A. 431. mortuum fingis, hæc tua ſomnia crudeliora cenſeantur, quippe qui diutino quinque menſium morbo ſenem ſanctiſſimum excrucias. Auguſtinus lib. 8. Confeſſ. cap. 5. rectè dicebat: *Nemo eſt, qui dormire ſemper velit.* At tu vis etiam ſemper ſomniare.

M A C E D O.

P. 729. col. 1. *QUoquomodò res ſe habeat, certè Auguſtinus ante Auguſtum Anni 431. ſuperſtes fuit, & ita ſibi perſuaſit Imperator, cùm ad Cæleſtinum, Rufum, Auguſtinum Julio menſe anni 431. literas de ſtatu Concilii dedit. Tam verò mihi perſpectum, & exploratum eſt in hunc annum ejus obitum incidiſſe, ut id & demonſtraſſe me putem & demonſtraturum credam.*

S O M N I U M XLIII.

REs eo certè modo ſe habuit, quo Patres id temporis viventes contigiſſe teſtantur. Capreolus, ac Proſper S. Auguſtini amici ac Synchroni affirmarunt eundem A. 431. ſuperſtitem non fuiſſe. Profectò aut illi mentiti ſunt, aut tu ſomniaſti, & etiamnum ſomnias. Liberatus ac Ferrandus ambo Diaconi Carthaginenſes ſcribunt Capreolum literas ad Theodoſium miſiſſe, quibus obitum Auguſtini Imperatori ſignificabat. Num hæ literæ apud Gyarum, vel Cycladas hæſere, aut earundem perlator Ebagnius naufragium paſſus eſt, ut menſe Julio Theodoſius obitum Auguſtini ignoraverit, cùm Beſſula alias Capreoli literas ante 22. Junii Epheſum feliciter detulerit? Hæc vel ſimilia tibi ſomnianda ſunt, ut Theodoſius dici poſſit Julio menſe Auguſtini mortem ignoraſſe. Errorem ſcriptoris Epiſtolæ perperam Imperatori affricas, uti dixi ad Somnium 39. Cùm verò dicis tibi *perſpectum & exploratum eſse* in A. 431. Auguſtini obitum incidiſſe, in Andabatarum turmis militas; illi enim, more tuo, oculis clauſis, depugnabant. Mirum ſanè, quòd cùm te ſopor aggreditur, *conditque natantia lumina ſomnus*, perſpectum & exploratum poſt annos mille ducentos ac quadraginta novem id habere poſſis, quod Capreolus ac Proſper eo ipſo anno, quo illud ipſum contigit, ſuperſtites ignorarunt. Jactas te *& id demonſtraſse & demonſtraturum?* Scito te & id ſomniaſſe, & iterùm ſomniaturum.

M A C E D O.

UNicâ adhuc uti volo ratione. Ita. Itinerarium Auguſtini proximè adductum eſt omninò certum & conſtans: ſed illud in alium annum niſi in hunc quadrare non poteſt, ergo huic anno obitus Auguſtini eſt aſſignandus. Ibidem

S O M N I U M XLIV.

VAh! qualem novam ſyllogizandi formulam ſomnias! Cùm puer Logicales ſummulas in ſcholia diſcerem, dicebat præceptor majus ac minus extremum propoſitionum cum medio termino jungi in præmiſſis; at medium terminum non poni in concluſione, ſed tantùm majus & minus extremum ſimul compoſita eandem concluſionem efficere. At tu ponis in concluſionem *obitum Auguſtini* tanquam alterum extremorum, cùm tamen *obitum Auguſtini* in neutrâ antea præmiſsâ nominaveris, & hunc paralogiſmum, quamvis vix hoc nomine uti auſim, *rationem demonſtrativam* appellas. Rectiùs dixiſſes: *Itinerarium Auguſtini Mediolano Romam Ann. 388. menſe Aprili, ætatis Auguſtini trigeſimo tertio decurrente, eſt omninò certum & conſtans, ſed illud Itinerarium non poteſt mittere annum obitûs Auguſtini ætatis 76. ferè completum, niſi in annum 431. ergo hic annus obitûs Auguſtini eſt certus & conſtans.* Eſt argumentum per analogiam ad tertiam figuram, cùm in tuo illo ſyllogiſmo *Itinerarium* in utrâque præmiſsâ ſit ſubjectum. Interim tuam illam majorem præmiſſam, prout à te poſitam, diſtinguo: *Itinerarium, &c.* eſt omninò certum & conſtans, prout expreſsum ab Auguſtino iter habente, concedo, prout expreſsum à te ſomniante, nego; nihil enim niſi pura ſomnia, ac aniles nugas adduxiſti, ex quarum centonibus Auguſtini Itinerarium ſomniando conſarcinares. Minor tua propoſitio erat: *Sed illud,* nempè Itinerarium, *in alium annum niſi in hunc quadrare non poteſt.* Hæc non modò falſa, verùm etiam ridicula propoſitio eſt. Nam itinerarium Auguſtini non quadrat, te auctore, niſi in annum 388. quo Mediolano Romam ſe contulit. At itinerarium quod quadrat in annum 431. eſt quod continet iter, quod Auguſtinus momento fecit ex viventibus ad mortuos. Itinerarium abs te adductum ſignat annum 388. quo etiam Monica, ac nepos Adeodatus, aliique Mediolano Romam, ſive ad Oſtia Tiberina profecti ſunt. At ex illo Itinerario non fit, ut Monica, & Adeodatus, & reliqui comites anno 431. deceſſerint. Videſis igitur quæ portenta ſomnies, & quò in hoc tuo Itinerario præceps corruas.

MA-

Digitized by Google

MACEDO.

Ibidem *Propoſitio patet, quia Paſcha hujus anni 431. in eam diem incidit, quæ totam itineris rationem recto filo ab initio ad finem evolutâ ſerie dierum in textu Auguſtini propoſitâ deducit, quemadmodùm ſuperiùs oſtendimus. Atqui ſolus hic annus hujuſmodi Paſchu habuit, igitur ſolus hic capax eſt ejus veritatis obitus Auguſtini.*

SOMNIUM XLV.

NEc ipſe Artemidorus, qui juſto volumine ſomnia interpretari conatus eſt, iſthæc quæ modò ſomnias, intelligeret. Auguſtini iter Mediolano ad Oſtia Tiberina contigit anno 388. uti ſomniaſti, quo anno Paſcha peractum eſt die 9. Aprilis. Quid hìc igitur nominas Paſcha anni 431. quod contigit die XIII. Kal. Maii? Quid Auguſtini obitus habet cum Paſchate anni quadringenteſimi trigeſimi primi? Dicis: *Quemadmodum ſuperiùs oſtendimus.* Quid de Paſchate anni 431. ſuperiùs oſtendiſti, qui ſemel tantùm pag. 728. col. 1. verſu 24. dixiſti Epiſtolam Theodoſii perlatam *ad Cupreolum Primatem Carthaginenſem anno 431, per Paſcha ejus anni*, quod tamen in dubium vocaſti? Putabam erraſſe Typographum, ac legendum; *quia Paſcha anni 388. in eam diem incidit, &c.* id enim ſuperiùs oſtenderas, aſſignando à die Paſchatis duodecim dies itineris uſque Oſtiam, quinque incolumitatis, & novem ægritudinis Monicæ. At ſomnii tui verba Typographum procul ab errore eſſe demonſtrant; nam ſtatim addis; *Atqui ſolus HIC annus hujuſmodi Paſcha habuit, igitur ſolus HIC capax eſt ejus veritatis OBITUS Auguſtini.* Sinè involucris, palam, clariſſimè loqueris de anno 431. Vide ergo quæ ſomnies. In prima propoſitione deſcribis ea, quæ oſtendiſti contigiſſe Ann. 388. In altera, quam minorem Dialectici vocant, uno ſaltu tranſis ad A. 431. ac demonſtrationis tuæ tibias ac cervicem frangis.

MACEDO.

Ibidem *Liquet ipſu meridie clariùs. Nam Paſcha anni 430. incidit in diem 25. Aprilis, quâ die Mediolani eſſe non potuit Auguſtinus, cùm eſſet ad Oſtia Tiberina cum matre ac ſociis poſt 17. dies à diſceſſu Mediolano pridie quàm Monica decubuiſſet ex febribus, uti conſtat ex proximo Itinerario. Igitur adynaton prorsùs eſt ponere EO ANNO 430. obitum Auguſtini.*

SOMNIUM XLVI.

DUm meridiem nominaſti, jam te putabam vigilare. Verùm animadverto te etiam meridiari. *Paſcha*, inquis, *anni 430. incidit in diem 25. Aprilis.* Somnias. Nam Paſcha A. 430. incidit in diem 30. Martii, Cyclo Solis XIX. Lunæ XIII. lit. E. Addis: *quâ die Mediolani eſſe non potuit Auguſtinus, cùm eſſet ad Oſtia Tiberina cum matre & ſociis, &c.* Altiùs rhonchiſſas. Anno 430. Auguſtinus erat Hippone in Africâ à Vandalis obſeſſus. Mater quidèm erat Oſtiæ, ſed in ſepulcro, ante alterum ſuprà quadrageſimum annum demortua. Equidèm & hìc volebam in Typographum culpam conferre, qui ediderit *Paſcha anni 430.* cùm tu ſcripſiſſes (quantum dormienti tribuo!) *Paſcha anni 387.* nam Paſcha hujus anni contigit die 25. Aprilis, uti dicis, qua die ſuperiùs ad Somnium 8. & 9. narraveras fuiſſe Auguſtinum cum matre apud Oſtiam. At error totus tuus eſt, in te ſolo hæret omnis, nihil illius Amanuenſis aut Typographus participant. Nam concludis. *Igitur adynaton prorsùs eſt ponere EO anno OBITUM Auguſtini.* Loqueris ergo de anno 430. quo obiit Auguſtinus; ac de eo anno loqueris, quem in antecedenti propoſitione tui enthymematis appellaveras. Dum enim dicis EO ANNO, pronomen EO eſt relativum, ac connotat annum, de quo proximè ſermonem feceras, videlicet 430. quo anno dicis Paſcha fuiſſe die 25. Aprilis, cùm tamen die 30. Martii reapſe contigerit, ut ex Cyclis oſtendi.

MACEDO.

IGitur adynaton prorsùs eſt ponere eo anno obitum Auguſtini, quem ſibi jure vendicet annus 431. cujus Paſcha fuit 9. Aprilis die accomodato ad faciendum iter, quin & ad omnem illam ſeriem dierum viæ, commorationis, incolumitatis, ægritudinis, mortis Monicæ evolvendam. Ibidem col. 2.

SOMNIUM XLVII.

HÆres in eodem luto ſomnifero ac ſoporifero. Paſcha anni 431. non fuit 9. Aprilis, ut ſomnias, ſed die 19. ejus menſis Cyclo Solis XX. Lunæ XIV. lit. D. Porrò ſi ea die ejus anni in hac ipſâ paginâ dixiſti Auguſtinum fuiſſe *fortaſſe ægrotantem*, ac Hipponi regio ab obſidentibus Vandalis caſtra circumdata; ægritudinis tempus putabis *accommodatum ad conficiendum iter*, & quidèm viis omnibus à Barbarorum copiis infeſſis? Cæterùm mirus homo es in ſomniando; ſiquidèm obſervo te aliud ſomniare, & aliud ſomniando loqui; cùm cæteri ſomniantes, quando contigit eoſdem verba emittere, ea dicunt, quorum in ſomniis phantaſmata ipſis objiciuntur. Video te ſomniare de annis baptiſmi S. Auguſtini, ac velle illum contigiſſe non anno 387. ſed 388. id exprimunt tum characteres Paſchales, quos adponis, tum hiſtoriolæ *commorationis* apud Oſtiam, *temporis accomodati ad faciendum iter, ægritudinis ac mortis Monicæ.* Hæc intùs imaginaris, quæ ſanè contigere anno 387. vel 388. At ea dicis contigiſſe non anno 430. ſed 431. & clamas: *Igitur adynaton eſt ponere eo anno 430. obitum Auguſtini*, cùm dicere debuiſſes: *Igitur adynaton eſt ponere eo anno 387. baptiſmum Auguſtini, quem ſibi jure vendicet Annus 388. cujus Paſcha fuit 9. Aprilis die accomodato, &c.* Si tibi ſomniare libeat, hoc planè modo ſomniato. Quòd verò te ſomniare tam bellè doceam, nullam mercedem abs te exigo; unam hanc gratiam repoſco, ut, cùm contrà Auguſtinianos ſcribis, more tuo dormites, & ſomnies.

MACEDO.

AC ut nemo dubitet de Paſchali tempore, ſciat Lector, cùm à me illud diligentiſſimè inquiſitum, & certiſſimè exploratum, & feliciter repertum, & evidenter demonſtratum eſſet, voluiſſe me conſulere virum totius Philoſophiæ & Matheſeos doctiſſimum, Illuſtriſſimum Equitem Rinaldinum Anconitanum, à quo oraculum (talia ſunt illius reſponſa) accepi, & luccm authoritatis luci veritatis adjunxi. Ibidem

SOMNIUM XLVIII.

TU quidèm, uti libet, uti lubet, ſomniato. At queſo à te, ne ridicula ſomnia, quibus tam frequenter, imò aſſiduè deciperis, Viro oculatiſſimo ac vigilantiſſimo aſſices, qui eadem ſuo ſuffragio firmaverit. Peream, ſi *vir totius Philoſophiæ & Matheſeos doctiſſimus* tibi unquam dixi *Paſcha anni 430. incidiſſe in diem 25. Apr & anno 431. Paſcha fuiſſe 9. Aprilis.* Rem ſcio, Eques Rinaldinus Paſchales characteres anni 387. & 388. tibi indicavit, ex quibus annum poſteà obitûs Auguſtini expiſcari cogitabas. Tu verò acceptas in

vigiliâ ſpecies, quòd novæ & inſolitæ vix memoriæ adhærebant, per ſomnium ſatis ridiculè turbaſti, ac Paſchales characteres annis controverſis de baptiſmo Auguſtini aſſignatos, annis itidem controverſis de obitu ejuſdem affixiſti. Qui error, ac palmaris hallucinatio non Typographi negligentiæ, ſed tuæ tantùm ſomnolentiæ deputanda eſt, uti proximè ex tuiſmet verbis demonſtravi. Itaque hoc ſomnium totum tuum eſt, in cujus partem nec Mathematicus Rinaldinus venire poſſit, imò nec Typographus Cadorinus velit.

M A C E D O.

Ibidem *Hoc ultimum à die Paſchatis ſumptum argumentum eſt omninò, me auctore, invictum, remq; demonſtrat.*

S O M N I U M XLIX.

Hoc argumentum à Paſchate quod ex Pennoto, ut notavi ad Somnium 7. & 8. exſcripſiſti, non modò non eſt invictum, ſed te toto campo victum, ſuſque deque jactatum oſtendit. Rem certè demonſtrat, nempe te immania monſtra ſomniaſſe. Nam quid aliud quàm ſomnia fingit, qui dicit Auguſtinum anno 388. die 8. Aprilis baptizatum, inſequenti ſtatim die ſolemni Paſchatis Neophytum albatum contrà leges ab Eccleſiâ recèns baptizatis impoſitas, Mediolano Romam profectum fuiſſe? Hoc ſæpiùs tibi in faciem illido, ut repetitis ictibus, jam tandem exciteris, ac videas, quàm non dicam plumbeum ac vitreum, ſed plane aërium, imò nullum ſit argumentum, quod *invictum* ſomniando jactaſti. Et quidèm intùs in animo ſomniabas Auguſtini baptiſmum, atque iter Mediolano Romam non potuiſſe contingere A. 387. quia eo anno Paſcha fuit die 25. Aprilis; quamvis exteriori voce eum characterem A. 430. aſſignaſti, teſtatus Paſchale tempus à te *diligentiſſimè inquiſitum*, licèt in Pennoti volumine illud inveneris, *& certiſſimè exploratum, & feliciter repetitum* (hanc tantam felicitatem eidem Pennoto acceptam referas, à quo illam ore aperto, inter ſomnum ſorbuiſti) *& evidenter demonſtratum eſſe.* Dic, quæſo, in quibus Cyclis Paſcha anni 387. die 25. Aprilis inveniſti? Quam Octaëteridem, vel Enneadecaëteridem conſuluiſti, ut Neomenias Martii ſubductis calculis explorares, ac diem Paſchatis VII. Kal. Maii anno 387. feliciter invenires? Tune putas anno 387. Paſcha in Romanâ Eccleſiâ die 25. celebratum? Ante S. Leonis Magni Pontificatum nunquam Paſcha diem 23. Aprilis exceſſit. S. Leo Magnus in Epiſt. 64. ad Marcianum Auguſtum reprehendens Theophilum Alexandrinum, qui in ſuo Cyclo, quem ab anno 380. per annos centum digeſſerat, Paſcha anni 455. fixiſſet in die 24. Aprilis, ait; *Sed in anno qui erit ſeptuageſimus ſextus* (in Cyclo Theophili) *Paſchæ dies invenietur adſcriptus, quem à Paſſione Domini nullius exempli, nullius conſtitutionis admittit auctoritas. Nam diem VIII. Kal. Majarum ab eo cognoſcimus præfinitum, qui anni limitem antiquitus conſtitutum excedit.* Et cùm dixiſſet quandoque celebratum Paſcha nono, & decimo Kal. Maii, addit: *Ad octavum autem Kal. Majarum Paſchalem obſervantiam perducere, nimis inſolens, & aperta tranſgreſſio eſt.* Itaque teſtatur Leo in Romanâ Eccleſiâ Paſcha non poſſe excedere diem 23. Aprilis. Tune ergo, ſomniculosè, feliciter inveniſti Paſcha A. 387. celebratum VII. Kal. Maii; hoc eſt, 25. Aprilis, cùm Leo Pontifex tam proximus eidem anno, & cui ſchedæ omnes deceſſorum in Archivis patebant, teſtetur rem eſſe *nullius exempli, inſolentem, & apertam trangreſſionem?* Hæres ſtupidus, hujus Leonis rugitu expergefactus, ac territus. Synodus Palæſtina auctoritate Victoris Papæ, imperante Septimio Severo, Cæſareæ coacta, terminos Paſchales conſtituerat, cujus Synodi fragmentum Beda recitat, & concludit: *Conſtitutum ergo eſt in illa Synodo ut ab XI. Kal. Aprilis, uſque in XI. Kal. Maii Paſcha debeat obſervari, & nec antea, nec poſteà cuicumque conſtitutum limitem tranſgredi ſit facultas.* Hinc ſcribit Paſchaſinus Lilybitanus Epiſcopus ad S. Leonem Magnum, A. 417. Zoſimo Romano Pontifice, erratum in die Paſchatis: *Tunc enim*, inquit, *cùm declinaretur ne decimo Kal. Maii dies Paſchæ teneretur, celebratum octavo die Kal. Aprilis, id eſt pro emboliſmo communis eſt annus tentus, & error graviſſimus ortus.* Ex hoc rurſus infertur A. 387. non fuiſſe celebratum Paſcha in Romanâ Eccleſiâ die 25. Aprilis; aliàs non caviſſent poſt annos triginta idem feſtum peragere die 22. Aprilis, cùm plurimi exemplum A. 387. adducere potuiſſent. Itaque Zoſimus, ne celebraretur Paſcha die 22. Aprilis, die extrà limitem Synodi Cæſarienſis, juſſit peragi die 25. Martii. At Leo Magnus interpretatus Paſcha paſſionis, non Reſurrectionis à Palæſtinis, Victore Pontifice præeunte, ſtatutum, duos dies limiti Cæſarienſi addi poſſe decrevit, ut limes ad IX. Kal. Maii die 23. Aprilis figeretur, in laudata Epiſtolâ 64. qui in ſequenti ad Eudoxiam Auguſtam ait de Theophilo ſtatuente Paſcha die 24. Aprilis: *A totius antiquitatis exemplo, & ab omni auctoritate Patrum diſcordat.* Addit verò ab aliis eo anno 455. *die XIV. Majarum* Paſcha notatum. Orientales Theophili Cyclum obſervabant, quem annorum 437. vocat Ricciolus tom. 1. Chrolog. lib. 1. cap. 26. aitque conflatum ex Lunaribus Cyclis 23. Solaribus 15. & prætereà annis 17. Sed errat; nam S. Cyrillus ejuſdem nepos ſcribit de Theophilo avunculo in prologo Cycli annorum 95. *Quadringentorum octodecim annorum Circulum Paſchalem inſtituit.* Itaque Cyclus Theophili inchoatus ab A. 380. continebat Cyclos Lunares XXII. Solares XIV. & annos viginti ſex. Apud Latinos celebrior Cyclus erat annorum 84. quo Eccleſiam Romanam, Leone Pontifice, uſam exiſtimo. Proſper in integro Chronico, quod edidit Labbeus tom. 1. Bibl. Mss. ad conſulatum Fauſti & Galli, Imperatore Diocletiano, vulgaris Epochæ 298. ait: *Finis Cycli tertii, quartique principium;* & rurſus ad conſulatum Antonii & Syagrii A. 382. *Finis Cycli quarti, & exordium quinti.* Eſt Cyclus annorum 84. per Teſſaradecaëteridem ſexies multiplicatam. Paſchaſinus S. Leonis ad Synodum Calchedonenſem legatus, in laudatâ Epiſtolâ ſcribit: *Nam ſupputatio Romana, qua Cyclo concluditur, cujus ipſe de quo agitur, erit annus ſexageſimus tertius, qui cœpit à conſulatu Antonii & Syagrii.* Loquitur de Paſchate A. 444. qui ſi erat LXIII. Cycli inchoati A. 382. Antonio & Syagrio Coſſ. patet Romanam Eccleſiam Cyclo annorum 84. uſam; ille quippe Cyclus ex Proſpero erat annorum 84. Hæc verò præcipua erat utriuſque Cycli diverſitas, quòd Latini in eo Cyclo terminos Paſchales ſtatuebant Ægyptiis diſformes. Nam Latini Neomeniam Martii à tertio Non. Martii uſque in III. Non. Aprilis per dies 29. extendebant. Theophilus verò ab VIII. Id. Martii uſque ad Nonas Apriles. Hinc factum eſt, ut Theophilus Dominicam Paſchalem biduo ultrà limitem Latinorum protraheret; cùm enim illi limitem ſolemnitatis Paſchalis ſiſterent in die 23. Aprilis, Theophilus in die 25. Aprilis Paſchalis Dominicæ terminum poſuit, à quo tamen termino Romana Eccleſia abhorrebat, ut ex Zoſimi Paſchate,

te,

Digitized by Google

te, ac Leonis Epiſtolis oſtenſum eſt: quamvis poſteà S. Leo in Paſchate anni 455. ſtudio pacis, Ægyptiorum canones ſecutus, Paſcha die 24. Aprilis celebrandum decreverit; ægrè id S. Proſpero ferente, utì patet in fine Chronici. Itaque quoties Cyclus Lunæ VIII. Ægyptiorum cum literâ C concurrebat, in celebrando Paſchate à Romanâ Eccleſia diſcordabant. Hoc planè contigit A. 387. qui erat VIII. Cycli Theophili, & VI. Cycli Romani annorum 84. Et ſanè, ſi non ſupereſſet Epiſtola S. Ambroſii ad Epiſcopos per Æmiliam, dubius foret dies, quo eo anno Auguſtinus baptizatus fuit; verùm ex aureâ planè Ambroſii Epiſtolâ pag. 301. Tom. 4. diſcimus, quid ipſe de die dubio Paſchatis ejus anni decreverit. Itaque ſcribit ad Epiſcopos Æmiliæ Judæos eo anno Paſcha egiſſe XIII. Kal. Aprilis, id eſt, die 20. Martii. Hillelis Hebræi Aſtronomi canones id temporis ſequebantur, ex cujus Enneadecaeteride A. 387. decima quarta Niſan cadebat in diem ſabbati 20. Martii, cum Neomenia Tiſri fuerit A. 386. die 31. Auguſti feria VI. At Chriſtiani Latini, quòd ante Æquinoctium, quod ante 21. diem Martii non incipiebat, juxtà canones, ſeu decreta Nicænæ Synodi, eo die Paſcha non celebrarunt, ſed die XIV. Kal. Maii. Id colligitur ex laterculo vetuſto Paſchali centum annorum, quod terminatur ad A. 411. ibi enim legimus: *Valentiniano III. & Eutropio* (nempè A. 387.) *XIV. Kal. Maii.* Hunc Cyclum habés apud Bucherium pag. 259. Comment. in canonem Victorii Aquitani, qui ad eundem Ann. 387. duo Paſchata ſignat: *XIV. Kal. Maii*, juxtà Latinos, & *VII. Maii*, juxtà Ægyptios. At S. Ambroſius juxtà Cyclum Theophili Paſcha memorato A. 387. celebrandum decrevit: *Ergo*, inquit, *ſecundùm Ægyptios celebraturi ſumus Dominicam Paſcha, hoc eſt, ſeptimo Kal. Maii, qui eſt trigeſimus Pharmuthi menſis.* Erat eo anno Alexandrinis Cyclus Lunæ VIII. Solis IV. lit. C. Luna XIV. cadebat in diem 23. Pharmuthi, quæ erat Dominica; ac proinde in ſequentem Dominicam Pharmuthi 30. quæ apud Latinos erat 25. Aprilis, feſtum Paſchale protraxerunt. Sanctus Proterius Martyr & Patriarcha Alexandrinus, in Epiſtola ad S. Leonem Magnum tom. 3. Concil. edit. Labbeanæ pag. 1352. ait: *In centeſimo quoque tertio anno ab imperio præfati Diocletiani, cùm Luna Paſchalis XIV. Pharmuthi vigeſima tertia die qui eſt XIV. Kal. Majarum eſſet die Dominico superventura, iterum ſeptimana quæſita eſt, & Dominicum Paſcha trigeſimâ die menſis ipſius Pharmuthi, qui eſt VII. Kal. Majarum conſtat eſſe celebratum, &c.* Initium imperii Diocletiani ſumitur ab anno Chriſtiano 284. adde annos 103. eris ad A. 387. cujus Paſcha in Ægypto peractum eſt die 25. Aprilis. Ambroſius in laudatâ Epiſtolâ Ægyptios ſecutus, ait: *Quòd ſi movet, quia quartam decimam Lunam tranſeuntes, quæ die Dominicâ incidet, hoc eſt, quarto decimo Kal. Mai, ſequenti Dominicâ* (VII. Kal. ſeu die 25. Aprilis) *inſtaurandam celebritatem ſuademus, auctoritas extat hujuſmodi, &c.* Scripſit hanc Epiſtolam Ambroſius Ann. 381. ſiquidèm ibidem ait: *Sed cum antè biennium celebraverimus Paſcha Dominicam undecimo Kal. Maii.* Hoc Paſcha die 21. Aprilis contigerat A. 379. Cyclo Lunæ apud Ægyptios XIX. Solis XXIV. lit. F. Unde colligitur antè ſexennium cœptum diſcuti dubium de Paſchate A. 387. Cæterùm quamvis eo anno Luna XIV. Martii juxtà Ambroſium Ægyptios ſecutum, caderet in diem Dominicam Aprilis 18. apud Romanos tamen ea die 18. Paſcha celebrantes, ætas Lunæ XVI. habebatur, cùm Neomeniam Martii biduo antè Ægyptios inchoarent, utì conſtat ex laterculis Victorii Aquitani, ubi A. 387. dies Paſchatis *XIV. Kal. Maii Luna XVI.* ſignatur. Longiùs abs te abii, ò Macede; Nam fui in Ægypto cum Theophilo ac Proterio; perrexi in Palæſtinam ad Synodum Cæſarienſem; tranſmiſi in Galliam, ut Cyclos Proſperi ac Victorii intelligerem. Romam veni, ut Leonis de limite Paſchali ſententiam audirem. Denique Mediolanum perrexi, ut Ambroſii decretum de Paſchate A. 387. cognoſcerem. Nullus dubito, quin plura ex hoc meo Itinerario intellecturus ſis, quàm ex tuo illo ſomniando cognoveris. Tui unius gratiâ tot Cyclos perluſtravi, ut jam tandem, quæ oraculi voces ſunt, noſceres te ipſum; nempè inaniter jactaſſe Paſcha anni 387. *à te diligentiſſimè inquiſitum, & certiſſimè exploratum, & feliciter repertum, & evidenter demonſtratum eſſe:* quæ tua verba ad Somnium 48. prænotavi. Profectò, ſi non extaret illa Epiſtola S. Ambroſii, nihil inveniſſes, ac nihil demonſtraſſes, cùm ex Leonis Epiſtolâ convincereris in Romanâ Eccleſiâ nunquam per ea tempora, quorum memoria ad Leonis Pontificatum pervenerat, poſt diem 23. Aprilis feſtum Paſchale inſtauratum. Diem Paſchatis A. 387. à Ludovico ab Angelis, conterraneo tuo, didiciſti, qui apud Pennotum, quem rapaci manu expoliaſti, lib. 1. Hiſt. Trip. cap. 4. de die baptiſmi S. Auguſtini ſcribit: *Menſis erat Aprilis, & dies 24. in quam illo anno Domini 387. ſabbatum Paſchale incidit.* Quid ergo jactas diem Paſchalem ejus anni *à te diligentiſſimè inquiſitum, & certiſſimè exploratum, & feliciter repertum, & evidenter demonſtratum eſſe.* Illa dies inventa ab Auguſtiniano ſcriptore, Magiſtro Conimbricenſi (qui idem unus eſt tot titulorum, quibus in librorum tuorum frontiſpiciis intumeſcis) & tibi poſteà oblata fuit à Pennoto, ut in eadem de anno 387. baptiſmo Auguſtini aſſignato, tot inter abs te tibimet datos plauſus, triumphares. Quid Equitis Rinaldini fores pulſas, ut oraculum de die Paſchatis A. 387. accipias? Vir doctiſſimus æquè ac modeſtiſſimus diem deſignavit 25. Aprilis, ac pudori tuo conſulens, & quòd intelligendo non eras (nam quos ab illo edoctus fueras, Paſchales characteres confudiſti) noluit ea dicere, quæ te audire decebat; videlicet: Næ tu, homo, vigilas, qui tam enixè petis, ut diem Paſchatis A. 387. tibi exponam, ut ex eodem neſcio quid pro tempore baptiſmi S. Auguſtini expiſceris? Habes domi tuæ Epiſtolam Sancti Ambroſii, qui ipſummet Auguſtinum baptizavit; ibi Sanctus Doctor prolixiùs agit de die Paſchatis A. 387. Habes aliam de eadem die Paſchali S. Proterii Epiſtolam, ex qua diſces qua die menſis inciderit Luna XIV. Martii; cur in alteram Dominicam diem 25. Aprilis ea ſolemnitas perducta fuerit; intelliges Æram Diocletiani, quæ facilior eſt, quàm Metonis aut Calippi periodi, quàm vagum illud Thoth annorum Nabonaſſari. Vir optimus hæc ſubticuit, ne tam ſupinam ignorantiam Scriptori quinquaginta tomorum exprobrare videretur. Interim unus adhuc ſcrupulus tibi evellendus eſt, quo fit, ne baptiſmum S. Auguſtini illo tuo clavo trabali figas in hoc ipſo anno 387. *Nam*, inquis, *Paſcha Ann.* 430. (perperam loqueris; cùm mente ſomnies annum 387.) *incidit in diem 25. Aprilis, qua die Mediolani eſſe non potuit, cùm eſſet ad Oſtia Tiberina cum Matre, ac ſociis poſt 17. dies à diſceſſu Mediolano, pridie quàm Monica decubuiſſet ex febribus*,

Digitized by Google

uti conſtat ex proximo Itinerario. Igitur adynaton prorſus eſt ponere eo anno 430. obitum Auguſtini quem ſibi jure vendicet annus 431. cujus Paſcha fuit 9. Aprilis die accommodato ad faciendum iter (loquere , quæſo , uti ſomnias ; videlicet ; *Igitur adynaton prorſus eſt ponere eo anno 387. baptiſmum Auguſtini , quem ſibi jure vendicet annus 388. cujus Paſcha fuit 9. Aprilis.* Jam proſequere.) *Quin & ad omnem ſeriem dierum , viæ , commorationis , incolumitatis , ægritudinis , mortis Monicæ evolvendam.* Videſis quam comis ac gratioſus ſim , qui tua etiam deformia ſomnia reformo. Verùm nec te juvat baptiſmus Auguſtini fixus *trabali clavo* in die octavâ Aprilis Ann. 388. ſiquidèm uti demonſtravi ad Somnium X. Auguſtinus per integram hebdomadem Neophytus debuit Mediolani ſubſiſtere , quod tu quoque Itinerarii tui oblitus affirmaſti, ut poſteà intelliges. At ſemel admiſsâ morâ unius hebdomadis apud Mediolanum, obitus Monicæ apud Oſtiam nequaquam contingere potuit die IV. Maii ejus anni 388. Joannes Rivius lib. 1. de Vitâ S. Auguſtini cap. 1. §. 35. mortem Monicæ recitat anno Chriſti 389. *poſtquam* , inquit, *ipſe tum Auguſtinus ætatis annum trigeſimum tertium complevisſet ex lib. 9. Confeſſ. cap. 11.* ubi ſcribit Matrem defunctam *quinquageſimo & ſexto ætatis ſuæ , trigeſimo & tertio ætatis meæ.* Errat vir aliàs eruditus. Nam cùm ipſe rectè ſtatuat natum Auguſtinum Idibus Novembris A. 354. idem A. 389. menſe Majo exacto anno ætatis 34. agebat quintum ſuprà trigeſimum. Thomas Herrera , Petrus Campo , Ludovicus ab Angelis , ac Aloyſius Torellus ſcribunt Auguſtinum baptizatum A. 387. die 24. Aprilis ; Monicam verò è vitâ migraſſe A. 388. quarta die Maii , Auguſtini ætatis anno trigeſimo tertio completo. Et hi quidèm ſcribunt Auguſtinum cùm poſt baptiſmum aliquantiſper Mediolani ſubſtitiſſet , inde poſteà cum Matre ac ſociis viâ Aureliâ per Tuſciam , ubi Monachorum conventus inviſit , Romam , ac denique Oſtiam profectum , ac ibidem Matrem IV. Nonas Maii amiſiſſe. Petrus Campo putat Auguſtinum Oſtiæ moratum uſque ad necem Maximi Tyranni. Alii Romam reverſum dicunt. Exponam paucis quid , auctore Auguſtino, dicendum videatur. Sanctus Doctor cùm lib. 9. Confeſſ. narraſset ſe Mediolani baptiſma ſuſcepiſſe , ac ibidem aliquantiſper poſteà commoratum cap. 8. hæc ſtatim ibidem ait ; *Quærebamus quiſnam locus nos utiliùs haberet , ſervientes tibi , pariter remeabamus in Africam.* Itaque ſtatuit rectà in Africam pergere. Idem cap. 10. narraturus quod ſibi in colloquio cum Matre apud Oſtiam contigerat , ait : *Illic apud Oſtia Tiberina , ubi remoti à turbis , poſt longi itineris laborem inſtaurabamus nos navigationi , &c.* Si Auguſtinus diutiùs anteà Romæ commoratus fuiſset , ac libros , quos ab ſe poſt baptiſmum Romæ ſcriptos teſtatur lib. 1. Retract. cap. 7. 8. & 9. compoſuiſset , antequàm Oſtiam deſcenderet , non dixiſset *poſt longi itineris laborem* ; cùm Româ uſque Oſtiam ex Antonini Itinerario iter tantùm ſit M. P. XVI. vel uti modò numerant, XVIII. Et quidèm cap. 9. lib. cit. ait : *Cùm autem Romæ demoraremur , &c.* Hinc patet Rivium ac Petrum Campo falsò ſcripſiſſe Auguſtinum , ſcriptis Romæ libris laudatis , cum Matre ac ſociis Oſtiam ſe contuliſſe , in Africam tranſmiſſurum. Quare ex illis verbis *poſt longi itineris laborem* , manifeſtè colligimus Auguſtinum Mediolano profectum , rectà Oſtiam viâ Aureliâ perrexiſſe eodem A. 387. quo fuerat baptizatus. Porrò viâ Aureliâ per Piſas , ac indè diſtantes M. P. 159. Centum-Cellas , Lorium uſque iter habuit ; illinc verò ad Oſtia Tiberina deflexit , ubi cùm *poſt longi itineris laborem* , ſeſe navigationi inſtauraret , Monica mater è vitâ migravit. Auguſtiniani ſcriptores vulgò affirmant eo in itinere Auguſtinum Tuſciæ monaſteria inviſiſſe. Tu cum magiſtro tuo Pennoto negas pag. 716. quòd nec Auguſtino aut ſociis pecunia ſuppetebat ad ea diverticula facienda ; quia , inquis , *Alipius , & ſi nobilitate præſtaret , vivebat tamen de conſultis & reſponſis Juriſprudentiæ , ſicut Auguſtinus de Rhetorica facultate , & quem* , uti præmittis, *merces jamdiu pro Rhetoricæ magiſterio defecerat.* Nihil niſi ſomniando loqueris. Auguſtinus A. 386. exeunte æſtate , unà cum Alipio rus Caſſiciacum ſeceſſerat , ac profeſſione Rhetoricâ abdicatâ , in Italiâ cum filio ac Alipio ſubſtitit uſque ad necem Maximi , quæ contigit die 28. Auguſti Ann. 388. Itaque qui propriis impenſis biennio vitam in Italiâ ducere potuerunt , quoſdam etiam nummos habebant , quibus parumper ab inſtituto itinere deflecterent ad Tuſciæ Monaſteria perluſtranda. Si vigilans ſcripſiſſes , fortè laudaſſes Auguſtini teſtimonium lib. 1. de moribus Eccl. Cathol. cap. 33. *Vidi*, inquit, *ego diverſorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum , quibus unus presbyter præerat vir optimus & doctiſſimus. Romæ etiam plura cognovi , &c.* Hæc ſcribebat Auguſtinus poſtquam Mediolano Romam venerat , antequam in Africam traſmitteret ; qui ſi Tuſciæ etiam monaſteria inviſiſſet, eadem ſanè ibidem commemoraſſet. Sed ad obitum Monicæ redeamus. Hunc contigiſſe anno 387. antè Idus Novembris , quamvis menſis ignoretur , tradit Auguſtinus , dum ait ſe anno ætatis *trigeſimo & tertio* matrem amiſiſſe ; ille verò annus Auguſtino exibat die 13. Novembris A. 387. Quòd ſi annus 33. completus intelligatur , ac dies mortis Monicæ ponatur IV. Maii A. 388. Auguſtinus ſuprà annum otioſus à ſcribendo fuiſſet. Nam lib. 1. Retract. cap. 6. narrat quæ Mediolani inter Competentes adlectus, ac proximè baptizandus ſcripſit : tum cap. 7. recitat quæ *jam baptizatus , cùm Romæ eſſet* , elucubravit. Quare cùm ruri degens , ſeſe ad baptiſmum præpararet , ac jam jam ſacris myſteriis initiandus , libros ſcriberet , qui fieri potuit , ut baptizatus pleno anno, ſtylo parceret, nec quicquam in literas mitteret? Hinc circà Autumnum A. 387. Romam reverſum eundem puto , ubi ſacris literis , *in quibus nondum aſsuetum ſe fuiſſe* fatetur lib. 1. Retract. cap. 7. accuratam operam ponens , Monachorum conventus , eorumque vivendi inſtituta perluſtrans , ac libros inſuper ſcribens , majorem A. 388. partem exegit ; ſiquidèm lib. 3. cont. lit. Petiliani cap. 25. teſtatur ſe ex Italicâ *peregrinatione jam poſt Maximi Tyranni mortem Africam repetiſſe.* In vetuſtis Martyrologiis Adonis, Bedæ , Notkeri , Rabani , Vandalberti & aliorum veterum die 4. Maii S. Monicæ nomen non legitur , ac proinde poſt plura ſæcula ab ejuſdem obitu , in ſacris tabulis recitari cœpit , ut inventionis, ſive translationis potiùs, quàm mortis dies ſub initium Maii recolatur , quod ſæpiùs in aliis Sanctis ibidem commemoratis contingere certum eſt. Verùm ſi in ſacris dyptichis Oſtienſis Eccleſiæ ex certâ traditione S. Monicæ obitus IV. Nonas Maii ſignatus ſit , noſtrorum Scriptorum opinio præferatur , qui putant Auguſtinum poſt baptiſmum partim Mediolani commorando , partim in Tuſciæ monaſteriis perluſtrandis annum exegiſſe. Quædam forſan hac de re nobis exhibebunt eruditiſſimi Patres Henſchenius ac Papebrochius tom. 1. SS. menſis Maii , qui brevi in lucem emittetur.

MA-

Digitized by Google

M A C E D O.

Ibidem *E Sto deinceps annus nativitatis, baptiſmi, obitûs Auguſtini indubitatus, ſcilicet natum anno 355. baptizatum anno 388. mortuum anno 431.*

S O M N I U M L.

HOmo oimis imperioſus es, qui etiam ſomniando leges condis, ac edicta promulgas, quibus deinceps ſomnicoloſi tantùm obediant. Somnias ſemel anoum natalem; ſiquidèm natus eſt Auguſtinus anno 354. Idibus Novembris. Somnias iterùm annum baptiſmi; quia bapeizatus eſt anno 387. die 24. Aprilis, Luna XX. Martii, quo anno S. Ambroſius diem Paſchatis juxtà canones Ægyptiorum celebravit, cùm Romæ die 17. Sabbatum ſanctum eo anno peregiſſent. Denique ſomnias annum obitûs, quia ad ſuperos abiit anno 430. V. Kal. Septembris, Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ. teſte Divo Proſpero Sancti Auguſtini amico, ac defenſore, qui certè vigilans annum illum deſignavit, quemadmodum tu tam locupleti & invicto teſtimonio aut ignorato, aut diſſimulato, alterum annum ſtatuendo, ſomniaſti.

M A C E D O.

Ibidem *V Ertamus ſtylum ad inſtitutum doctrinæ, &c. Summa eſto. Chriſtum Dominum omnes Chriſtianæ vitæ rationes, & ſtatus, inſtituiſſe, prædicaſſe, exercuiſſe, &c.*

SOMNIA SOMNIATA.

JAm tandem ad metam tui Itinerarii perveniſti, & quidèm tam benè ſoporatus, ut ad Somni aram votivam tabellam clavo illo tuo trabali figere poſſis. Extat ad ſomnum Orphei hymnus perelegans ac jucundus, quem etiam recantes. Itioerarium Auguſtini deſcripſiſti, ita tamen ut viam qua ille inceſſerit, ignoremus: quò verò tu eo in Itinerario deviaveris, nullus non videat. At modò dicis: *Vertamus ſtylum ad inſtitutum.* O otinam nunquam animum induxiſſes ab inſtituto divertere; neque enim tot monſtroſa inmanium ſomniorum portenta evolgaſſes. Hæc cùm offendiſſem, vix oculis fidem meis habere poteram, ac ſubindè ſomniare me potiùs, qoàm lectitare arbitrabar. Nam monſtro ſimile videbatur hominem, qui in frontiſpicio libri inſcribitur XXXXX. *Librorum Auctor*, non io magnum quodpiam volumen, ſed in unam & alteram tantùm paginam, & utramque grandioribus characteribus impreſſam, tam denſam ſomniorum ſarraginem congeſſiſse. Hinc majorem illorum partem Typographi negligentiæ adſcribendam ratus, indicem erratorum, quæ in calce ejus tomi emendantur, conſului, atque huncce titulum legi: *Errata enormia ſic corrige, quæ ſunt in ultimo Tractatu de Inſtitutione Chriſti.* Tum, inquam, Itinerarium eſt adpoſitum uti coronis Tractatui de Inſtitotione Chriſti, eodem enim deſcripto, ait: *Vertamus ſtylum ad inſtitutum doctrinæ;* nam ab Incarnatione Chriſti ad Itinerarium Auguſtini, quæ quantis paraſangis ab invicem diſtent, nemo ignorat, uno ſaltu tranſilierat. Itaque perluſtro primam pagellam indicis; verto paginam. Hæreo, tam paucos inibi verſus emendationum primo aſpectu obſervans. In priori verſu lego: *Pag. 725. col. 2. lin. 14. ſuæ: interpone ante vocem ſequentem.* Nam Typographus ediderat: *Ergo dic nono ægritudinis ſuæ quinquageſimo & ſexto ætatis ſuæ.* Itaque dicit reponendum *nono ægritudinis ſuæ, quinquageſimo, &c.* Quàm ſeverus, inquam, corrector, qui nec onius comæ, ſeu interpoſitionis defectum ſois io ſcriptis patitur! hunc tamen inter *errata enormia* recenſet. In pag. 727. quòd editum fuerat 348. *decenſis, ex tribus, ſupputando*, advertit legendum: 388. *decurſum, extritus, ſupputandi.* Repeto editum exemplar nullum erratum noto, ſed lego: 388. *decurſum, extritus, &c* Item pag. 728. ait perperam legi: *clarum, miſiſſe, appellato*, ac reponendom, *clavum, miſſa, appellatio.* Adeo impreſſam paginam, ac lego: *clavum, miſſa, apellatio.* Idem in correctionibus pag. 729. obſervo. Quid hoc, inquam, homine faciemus, qui ſoa etiam ſomniat errata, quæ corrigat? Verùm dicam, ot res eſt. Illas paginas iterùm typis imprimendas curavit, quòd cùm eaſdem quibuſdam erroribus conſperſas obſervaſset, illis expunctis, emendatiſſimas ſecundis curis excudit. Nullumne tot tantorùmque ſomniorum emendavit? Nullum. Non illam Paſchalium characterum confuſionem advertit? Ita planè non vidit. Quid cùm pag. 727. lin. 3. col. 1. pro annis 348. repoſuit 388. non adnotavit errorem ſtatim ibidem connexum, quòd ab anno 388. ad 431. annos numeravit *quadraginta ſex?* Equidèm errorem non expuoxit. Et de defectu unius comæ eſt ſollicitus! Quidoi igitur jure dicam te ſomnia ſomniaſse, dum legens ac relegens folium illud impreſſum, minima quædam errata emendaſti; at *enormia errata*, qoæ ibidem admiſiſti, iterùm ſomniando comprobaſti, nec obligatam fidem impleviſti. Et tamen initio clamabas: *Danda eſt opera & quidèm magna;* Si eo nomine veniat longior ſomniorum continuatio, magnam te operam dediſſe non ibo inficias, quamvìs nolo te illis vocibus quantulumcumque Itinerario conſarcinando laborem abs te impeoſum jactare. Nullus enim ſomniando laborat; quamvìs plerumque in ſomniis ſibi laborare videatur. Si quæ in ſomniis errata perpetuantur, vigilantes poſteà reos facerent, quot errorum pœnas lueres! Peccaſti in Grammaticam ſemel & iterum vitio tautulogiæ. Peccaſti in Logicam minus extremum in ſyllogiſmo in conluſione ponendo, quod in neutrâ præmiſſa locaveras. Peccaſti in Geographiam, dom dixiſti: *Roma ad Oſtia Tiberina.* Peccaſti in Arithmeticam, cum datis oumeris 388. & inſuper 46. collegiſti ſummam 431. Peccaſti in Aſtronomiam dum characteres Paſchales annorum 387. & 388. aſſignaſti annis 430. & 431. Peccaſti in Chronologiam, dum annos nativitatis, baptiſmi, ac mortis S. Auguſtini triplici metachroniſmo pervertiſti. Peccaſti in Breviarium Romanum, eidem imponens Clericatum Auguſtini ante ejuſdem baptiſmum. Peccaſti in Principes imperii Romani, menſem in eorundem literis commutans. Peccaſti in Syoodos, dobitans de Epiſtolâ Capreoli quam Epheſina Synodus actis inſeruit. Peccaſti in ſacros ritus ac cæremonias Eccleſiæ, in Majorum leges ac ſtatuta; dum Auguſtinum heſternâ die Neophytum, à ſacris ſtatim templis abſtractum, in veſte candidâ, per Italiæ manſiones, Paſchali hebdomade, tuamet mann traxiſti. Peccaſti in Epiſcopos; dum Capreolum Primatem Carthaginenſem uti nimium eredulom, ac falſis nuntiis deceptum, ſugillaſti. Peccaſti in Amicos, ac conſiliarios toos, dum Equitem Rinaldinum tuarum inſignium hallucinationum auctorem, ſive ſuffragatorem produxiſti. Peccaſti in Auguſtinum; dum conjunctionem *Domini & Filii*, qua ille adeò freqoenter utitur, ioeptam & diſſonam appellaſti. Peccaſti denique in te ipſum, dum tantam ſomniorum congeriem, tam deoſam fabularum

farra-

Digitized by Google

farraginem, tam vaſtam errorum ſtruem in duas illas infelices ac deplorabiles Itinerarii tui pagellas addenſaſti, congeſſiſti, coacervaſti, quo partam hucuſque qualemcumque tui nominis famam tum apud ſuperſtites, tum etiam apud poſteros malo, non quidèm fato, ſed planè facto tuo denigrares, imminueres, imò etiam extingueres. Eruditi quique tuum hocce Itinerarium cum riſu legunt, ac cachinnos ſubindè ſuſtollunt. Nos ſoli Auguſtiniani ægrè ferimus te, quem dudum in oculis ac corde ferebamus, ea in literas mittere, quibus apud univerſos hac tuâ non provectâ, ſed planè decrepitâ ætate, in ridiculo habearis. Nos quidèm Aborigines, & ſinè certo Auctore natos, uti etiam cætera, ſomniaſti. At ſcito Monachatum S. Auguſtini ſolidiori fundamento innixum eſſe, quàm ut ab ſomniante non dicam ſubrui, ſed nec tantillum loco moveri poſſit. Angelicus Aproſius Intimelienſis magnum bonarum Artium ac ſodalitii noſtri ornamentum, nuperas ad me literas miſit, quibus ſignificabat P. Magiſtrum Aloyſium Torellum Bononienſem in præfatione Tomi VI. Sæculorum Auguſtinienſium, quam ex Pennoto crambem recoctam, & comeſam (tertium epitheton, quod in hunc tuum fœtum maximè quadret, apud Catullum bis invenies epigram. 57.) repoſuiſti, uno oris flatu in ventos ſparſiſſe. Gabriel Pennotus te certè melior hiſtoricus, plura contrà Auguſtini Monachatum congeſſerat, quæ tamen Thomas Herrera, Petrus Campenſis, Joſeph Sabbatinus, ac laudatus præſertim Torellus eruditè æquè ac ſolidè confutarunt. Interim alienis litigiis temet immiſcens, quædam ſcripturis, quæ te potiùs Pennoti diſcipulum, quàm advocatum, quo ille maximè indiget, publicabunt. Nam noſtrorum libris ignoratis, alienis armis indutus, inani quodam verborum impetu in certamen deſcendis, cùm nomine ſaltem, cognoſcendi tibi fuiſſent hoſtes, priùs quàm eos ad pugnam provocares. Cæterum Auguſtiniani recentis adverſarii tui conatus immemores, veteris tantùm amicitiæ memores, hocce te ſcripto admonendum cenſuerunt, ut Itinerarium Auguſtini non quidèm ad limam, ſed ad incudem revoces; & ſi fortè illud in meliorem formam haud potis ſis redigere, cùm omnes penè literæ lituram poſcant, duas illas tibi ſomniatas pagellas mille in partes laceratas, flammis abſumas. Nec illa leviora errata reputes, quòd in calce Operis tibi exciderunt, illud mihi reponendo; *Et tu inſidiaberis calcaneo meo?* Noris, *vetus poëta*, Achillem toto licèt corpore invulnerabilem, in calcaneo tamen, quâ minimâ corporis parte ictibus patebat, percuſſum occubuiſſe. At ego eo certè conſilio tela in libri tui calcaneum collimavi, ut mentis incolumitatem acciperes; ſiquidèm videris eâdem jam laborare, quum tanto faſtu, ac imperio jactas *magnam operam, demonſtrationes, argumenta invicta, irrefragabilia*; cùm dicis omnia tibi *explorata ac comperta*; cùm magno promiſſor hiatu exclamas: *Uno ictu omnes controverſias amputabo*; cùm more Romano iterum clamas; *Annum fixi, & clavum adegi, quem nemo poſſit refigere*; cùm Chronologorum veluti Imperator leges de anno obitus Auguſtini promulgas, edicens: *Hunc deinceps, Lector, certum habeto & indubitatum, idque meis calculis efficiam*. nempè cùm datis annis 388. & additis 46. colligis ſummam annorum 431. Nonne ampullata verba, tantus in loquendo ſaltus, tanta in diſputando ſecuritas, te mente deceptum produnt, dum ea eructas, quæ poſteà, ſi ſanæ mentis haberi velis, publicâ palinodiâ recantes? Divini vatis Eccleſ. 34. 5. oraculum audias: *Somnia extollunt imprudentes*; quibus ne adcenſearis; noli laureolam ex ſomniis petere, ac in iiſdem tibimet triumphum canere. Scribis pag. 718. col. 1. *Gratiam ei facere non poſſum vetus & ſeverus Poeta.* Cùm autem poetæ dicantur à Satyrico: *in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo*; haud miramur te veterem poetam tanta nuperrimè ſomniaſſe, cum fabulæ vigilantium ſomnia dicantur. Morphea Somniorum Dux Ovidio Met. XI. 635. laudatur:

——Non illo juſſos ſolertiùs alter
Exprimit inceſſus.

Hic ſanè te docuit, ac ea, qua plurimum poteſt, arte egit, ut in hoc tuo Itinerario cum tanto faſtu, Ciceronis verba ſunt lib. 2. de finibus, *inceſſum fingeres, quo gravior viderere.* Auctor eſt Pauſanias lib. 2. in Corinthiacis Ardalum apud Trœzenios aram dedicaſſe: *Ad eam aram*, inquit, *Muſis & Somno ſacra faciunt: Muſis omnium Deorum maximè amicum ſomnum ipſum cenſentes.* Quindi igitur tu *vetus & ſeverus POETA* unà ſimul Muſas ac Somnum colas? Equidèm Somno quinquaginta inſomnia totidem veluti victimas immolaſti. De Monachatu S. Auguſtini non ut hiſtoricus, ſed veluti Poeta ſcripſiſti; tot enim ſomniatas tibi fabulas inſeruiſti, ut iiſdem lectis, illa laudati Ovidii carmina repoſuerim:

Somnia vana jacent totidem quot meſſis ariſtas,
Sylva gerit frondes, ejectat litus arenas.

Scribis pag. 723. *Sanè miror cùm in domum Auguſtini vitæ intro, intro autem cogitatione, & animo, & affectu, imò ſemper ibi habito.* Habitas apud Auguſtinum tanquam hoſpes in diverſorio, non tanquam familiaris in penetralibus. Si in Auguſtini domum ingraſſes, profectò eundem heſternâ die baptizatum, ac recentiſſimum Neophytum, in veſte candidâ, ipſo ſolemni die Paſchali, domo abſtractum, ad iter Romam versùs celerrimè capeſſendum, non impuliſſes. Hoc ſomnium legibus nuperis Neophytis ab Eccleſia impoſitis, repugnans, totius tui Itinerarii unicum fundamentum eſt, nec ullâ arte abs te ſuſtineri poteſt, niſi iterùm ſomnies novum ac uni tibi notum diploma Siricii Papæ, qui Auguſtinum ac ſocios Neophytos Chriſtianâ lege ſolvendos cenſuerit, quò iter in Africam quàm citiſſimè maturarent. Num apud Mediolanum in Auguſtini domum intraſti, quando, uti poſtea ſcripſit lib. 9. Confeſſ. cap. 8. jam baptizatus cum Evodio ibidem habitabat! *Qui habitare*, inquit, *facis unanimes in domo, conſociaſti nobis & Evodium juvenem ex noſtro municipio, &c. Simul eramus, ſimul habitabamus, placito ſancto. Quærebamus quiſnam locus nos utiliùs haberet, ſervientes tibi, pariter remeabamus in Africam.* Auguſtinus prænarrato ſuo baptiſmo, ſcribit Evodium in contubernium Mediolani ſecum veniſſe, ac *unanimes in domo habitaſſe placito ſancto*, antequàm iter in Africam ſuſciperent. Tu verò Auguſtinum paucis poſt baptiſmum horis domo extrahis, magnis itineribus Romam & Oſtiam trahis. Ne, quæſo, tergiverſeris; actutùm ediſſere qui *ſemper ibi habitas*, num quando in domum Auguſtini apud Mediolanum intras, Evodium ac reliquos ejuſdem contubernales ibidem videas, vel potius cùm die Paſchatis, nondum orto ſole, ad Auguſtini domum pergis,

—— obſcuraque limina portæ,
Qua greſſum extulerat, repetis: Virg. 2. Æneid.

vacuam Afris hoſpitibus ædem ſpectans, lecto ſuper poſtes titulo: EST LOCANDA, diſcedas: Reſpondes pag. 632. in fine col. 1. *Hinc vivendi rationem, quam Catechumenus Auguſtinus inchoaverat, CONTINUAVIT POST BAPTISMUM MEDIOLANI, ut ſcribit lib. 9. cap. 8.* Simul eramus, ſimul habitabamus

in

in placito ſancto. Quærebamus quiſnam locus nos utiliùs haberet ſervientes tibi. Pariter remeabamus in Africam. *Comitemur Auguſtinum, & inſpiciamus, quomodo vixerit in Africa.* Necte parumper moras; paucis te Mediolani convenio, priuſquàm illinc temet in Africam proripias. Si Auguſtinus illam vivendi rationem *continuavit poſt baptiſmum Mediolani*, jam fateris Auguſtinum poſt baptiſmum, aliquot ſaltem dies Mediolani ſubſtitiſſe, ac proinde ſomnias in Itinerario S. Doctorem A. 388. die 8. Aprilis Sabbato ſancto Mediolani baptizatum, inſequenti die nonâ Paſchalis ſolemnitatis, ſtatim Mediolano Romam verſus diſceſſiſſe. Tertullianus in lib. de Anima cap. 46. ait: *Homerus duas portas diviſit ſomniis; corneam veritatis: fallaciæ eburneam.* Ex Odyſſ. lib. 19. Virgilius in fine VI. Æneid.

Sunt geminæ ſomni portæ: quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris;
Altera candenti perfecta nitens elephanto;
Sed falſa ad cœlum mittunt inſomnia Manes.

Cùm dixiſti Auguſtinum altera à ſuſcepto baptiſmate die, Mediolano evolaſſe, haud ſanè ibidem *in domum Auguſtini intraſti*; ſed ex eburneâ portâ falſa ac fallacia inſomnia emiſſa, in mentis tuæ domum intrarunt, quibus deceptus, ac deluſus, tam procul ab Auguſtini apud Mediolanum domo, per ſpatia imaginaria peregrinabare, ut impoſterum non modò *XXXXX. librorum Auctor*, verùm etiam *quinquaginta Somniorum Fictor* clueas. Quis te malus genius decepit, ut tam fabuloſum Itinerarium ſomniares, ac epitaphii, quod te jam ſenem decrepitum manet, elogia tot ridicula inſomnia publicando, corrumperes? Scribis in hoc ipſo tuo libro pag. 433. col. 2. *Cùm Theologiæ ſtudia inchoarem Conimbricæ inter Patres Jeſuitas anno* 1615. Hinc anno ætatis tuæ nonageſimo, quàm octogeſimo proximior videris, ut magìs te deceat de vitæ tuæ itinere claudendo, quàm de Auguſtini Itinerario deſcribendo cogitare. Equidèm & piget & pudet me bonas aliquot horas in tuis ſomniis excutiendis perdidiſſe; quamvìs, ut Senecæ verbis utar Epiſt. 76. *Ego tamen hìc aliquid & doceo. Quæris quid doceam? Etiam ſeni eſſe diſcendum.* In indice librorum, quos S. Gelaſius Papa proſcripſit, legimus: *Itinerarium Petri Apoſtoli apocryphum.* Haud falsò ſperem fore ut quicunque Itinerarii tui Somnia intellexerit, idem hoc ſtigmate dignum judicet: ITINERARIUM *Auguſtini poſt baptiſmum Mediolano Romam* APOCRYPHUM.

FINIS.



INDEX
RERUM MEMORABILIUM,
Quæ in his operibus continentur.

A

Acemetæ Monachi, alii à Monachis Scythis. Pag. 111. col. 2. Dicti etiam Studitæ, & undè. ibidem, In Synodo C. P. obſiſtunt Anaſtaſio Imperatori, aliiſque Calchedonenſe Concilium improbantibus. ibid. Nullum ſibi in Abbatem ſiount conſtitui, qui idem Concilium non reciperet. ibid. Alter eorum anathema contrà Acacium ſe ipſum ejuſdem Pallio affixit. ibid Eorundem Monaſteria Romanæ ſedis contrà Eutychianos præſidium ibid. A Legatis Pontificiis conſuluntur. ibid Negabant, Chriſtum dici poſſe Unum de Trinitate, ac B. Virginem verè, & propriè dici poſſe Deiparam. ibid. Ipſorum Legati ad Joannem II damnantur. 114. 2. Iidem ab eodem Pontifice Neſtorianæ hæreſeos damnati 132, 2. Ipſi ſoli non recipiunt theſim de Uoo ex Trinitate jam definitam. 135. 1.

Adam io ſtatu Inoocentiæ motus primò primos habere non poterat. 63. 1. Pro eodem ſtatu non indigebat oratione maioris auxilii impetratoria ad perſeverandum. 65. 1. & 196. 1. Neque ſpeciali Dono actualis perſeverantiæ. 203. 1.

Advocati dicti etiam ſcholaſtici. 113. 1.

Æquivocæ propoſitiones modò approbatæ, modo reprobatæ ab Eccleſia. 138. 1. Sic pariter verba æquivoca. ibid. Plura afferuntur exempla. ibid. Æquivoca priùs diſtinguenda, quàm definienda. 141. 2. Æquivocarum propoſitionum Maximus Architectus Pelagius. 139. 1.

Africanæ Diœceſeos limites exactius ſtatuti 16. 2. Ejuſdem Eccleſiæ Tabulæ à Carolo à S. Paulo, & Holſtenio editæ ſupplentur 17. 1.

Afri duas ejuſdem nominis urbes quomodo diſtinguerent. 7. 2 Eorundem cum Romanâ ſede de Apellationibus controverſia unde cœperit. 4. 2.

Afri Provinciæ Byzacenæ Epiſcopi in Sardinia exules conſuluntur ſuper propoſitione: De Uno ex Trinitate Carne paſſo. 124 2. Eorum ad Monachos Scythas reſponſio. ibid. Quo anno fuerint ab exilio reduces. 151. 1.

Agapetus Papa Joannis II. Succeſſor qua de cauſa Conſtantinopolim perrexerit. 133. 2. Anthimum Eutychianum ſuo conſpectu prohibitum invaſi ſede deiicit, Mennâ ſubrogato. ibid. Accipit literas à Juſtiniano Imperatore ſuper propoſitione: De Uno ex Trinitate &c quarum mendoſa ſignatio corrigitur. ibid. Item accipit ab eodem Imperatore Libellum Fidei. 134. 1. Reſpondet Juſtiniano, & præfatur quædam notanda. ibid. Confirmat damnationem Acemetarum ab Joanne prædeceſſore factam. ibid. Mandum epiſtolæ ab eodem C. P. datæ corrigitur. ibid. Moritur C. P ibid.

Aguirre Cardinalis laudatus. 162. 1.

Albini Voluſiani ex Etruria oriundi. 33. 1. Albinæ familia delineatur. 32. & 33. 2

S. Ambroſius primus invexit ſacros hymnos in Eccleſiam Latinam. 216. 1. Ipſius conſtantia in cuſtodiendis Baſilicis ab Arrianorum invaſione. ibid. Populi in eundem amor. ibid. A Valentiniano mittitur Treviros Legatus ad Maximum Tyrannum. 217. 1. Iterum eadem Lagatione fungitur ibid. Paſcha an. 387. celebravit juxta Cyclos Ægyptiorum, 229. 1. Juſtinæ Valentiniani Matris in eundem furor 216. 1. Quo anno Corpora SS. Gervaſii, & Protaſii repererit. ibid.

Anaſtaſius Imperator Eutychianus. 108 1 Propoſitionem de Uno ex Trinitate Carne paſſo cum cæteris Eutychianis dolo malo corrumpit ibid Ob tale facinus populus Imperium eidem abrogare contendit. ibid. Quo año, & qua morte obierit. 109. 1. & 117. 1.

Anima rationalis aliâ ratione patitur triſtitiam, odium, & cæteras intrinſecas paſſiones; & aliâ ratione patitur vulnera, flagella &c. 116. & 120. 1.

Antonius Magliabecus Mediceæ Bibliothecæ Cuſtos laudatur 22. 1. 176. 1.

Apellationum Controverſia inter Afros, & Romanam ſedem unde cœperit. 4. 2.

Apollinarii error qui fuerit. 115. 2. & 139. 2. improbatur. 120 1.

Aquilejenſis Diœceſis Palagiano errore fuit infecta. 21. 2. Ejuſdem Epiſcopus alter Auguſtinus quo tempore Auguſtinus Hipponanſibus præerat. ibid

Arelatenſe primum Concilium quo anno, & quo Pontifice indictum. 6. 2.

Arrius docuit in Trinitate reperiri aliud, atque aliud. 141. 1.

Auctor librorum de Perſecutione Vandalica quinam ſit 7. 1.

S. Auguſtinus quo die natus 210. 1. & 231. 1. quo anno 230. 2. & 231. quo anno baptizatus. 215. 2. 217. 2. 221. 2. 228. 1. & ſeq. Ejuſdem iter poſt baptiſmum Mediolano Romam. 230. 1. Mediolani Eremiticæ Vitæ proludit. 232. 2. Non erat Clericus, ſed Monachus in Monaſterio Tagaſteoſi quando venit Hippoοem. 220. 2. A populo per vim apprehenſus in Preſbyterum conſecratur. 219. 2. quo anno id contigerit. 221. 1. Adhuc Preſbyter diſſerit de ſymbolo coram Epiſcopis 219. 1. Quot annis Preſbyter fuerit. 221. 1. Ipſius Vitæ uſque ad Baptiſmum Chronologia ex eodem deducta 222. 1. Quo anno, & à quo fuerit in Epiſcopum ordinatus. 12. 2. 219. 1. Uſque ad Epiſcopatus initia adhæſit Semipelagianis. 164. & 165. 1. Eius hac in re ignorantia fuit vincibilis licèt inculpata. ibid. & 188. 2. Qua occaſione ſcripſerit libros de Prædeſtinatione SS. & de Dono Perſeverantiæ. 184. 2. Ejuſdem epiſtola 163. quo anno ſcripta. 1 2. Qua de re tum ipſe, tum alii ex Auguſtiniana Gente Epiſcopi non interfuerint Synodo Africanæ in cauſâ de Apellationibus habitæ. 15. 2. Ejuſdem de Prædeſtinatione doctrina impugnatur à pluribus in Galliâ viris. 159. 1. Defenditur à Proſpero. ibid. Naſcentem Neſtorii hæreſim prævocat. 121. 2. & 139. 2. Ejus de auxilio *quo*, & *ſine quo non* doctrinam quot Galli Jeſuitæ impugnant, tot Jeſuitæ Hiſpani defendunt. 64. 1. Quot annis Epiſcopatum geſſerit. 218. 2. Quot annos vixerit. ibid. Peculiari Sacra vocatur à Theodoſio juniore ad Epheſinum Generale Concilium. 223. 2. & 224. 1. Mortuus eſt antequam illam acciperet. ibid. Quo anno Mortuus. 215. 1. 226. 2. 231. 1. Ejuſdem mors quo tempore innotuerit Theodoſio. 225. 1. Laudatur à Jo. II. 132. 2.

Auxilium *quo*, & *ſine quo non* quid ſit. 198. 2. Auxilium *ſine quo non* naturæ integræ proprium, datur etiam in ſtatu naturæ reparatæ. ibid. 1. & 2. in hoc ſtatu eſt parva gratia 201. 1. Proximè ſufficiens quid ſit. 193. 2. 195. 1. remotè ſufficiens quid ſit. ibid. 89. 1. 205. 2. Vide: Gratia.

Bail

Digitized by Google

B

Baii (Michaelis) propoſitiones quo ſenſu damnentur 40. 1. & 43. 1.
Baronii, & Garnerii Sententia rejicitur circa annum, quo ſcripta fuit epiſtola 163. Auguſtini. 1. 2. Ejuſdem, & aliorum error in epiſtolâ Juſtiniani ad Agapetum corrigitur. 142. 2. Ipſius de Monachis Scythis judicium improbatur. ibid. & ſeq. Ejus error in epiſtolâ Dioſcori ad Hormiſdam notatus 118. 2. Idem emendatus circà annum, quo obiit ſocer Piniani. 29. 2.
Benedictini Monachi Cœnobii S. Germani à Pratis in Galliâ laudantur 143. 2. 158 1. 209 1.
Blondelli Calviniſtæ argumentum Vincentii Lirinenſis Sanctitatem impetens, ſolvitur 178. 1.
Brunonis Neuſſer opinio de ſtatu Controverſiæ inter Monachos ſcythas, & Victorem Diaconum exploditur 112. 1. & ſeq. Alii ejuſdem de eadem re errores notantur. 140. 1. & ſeq.

C

Capreoli de Auguſtini mortē ad Theodoſium ſeribentis Epiſtola legitima 224. 2. & ſeq
Cathecumeni dabant nomen Epiſcopo die 40. antè baptiſmum. 210 2.
Chriſtus, licèt duas habeat naturas, non eſt duo Filii, ſed unus, idemque Filius Dei, & Filius hominis. 114. 1. Ipſius compoſitio Neſtorii æquè ac Eutychetis errores eliminat. ibid. Eadem aſſeritur ab argumento à Neſtorianis efformato. 115. 1. Definitur à Synodo V. ibid. & 135. 2. Quâ ratione dicatur paſſus. 120. 1. In Chriſto non eſt alius, atque alius, benè tamen aliud, atque aliud. 121. 1.
Chriſtus eſt Unus de Trinitate 120. 1. & ſeq. Hæc propoſitio non poteſt eſſe vera in primo modo dicendi per ſe ratione Unionis affectivæ, qualem poſuit Neſtorius; ſed neceſſe eſt, ut Chriſtus ſit phyſicè, & realiter Unus de Trinitate. 112. 2. V. Scythæ Monachi.
Chriſtianus Lupus Auguſtinianus magnus antiquitatis Eccleſiaſticæ reparator laudatus. 13. 2. 143. 2. 158. 1. 177. 2. 185 1.
Clerici uni Eccleſiæ addicti non poterant alteri Eccleſiæ incardinari 220. 2. Ubi minoribus ordinibus initiabantur, deſinebant vocari Laici. ibid.
S. Cœleſtinus Papa non eſt auctor Capitulorum ipſius Epiſtolæ aſſutorum, quibus Semipelagianorum doctrina damnatur. 52. 1. 167. 2. Ejuſdem Auguſtino honorifica Epiſtola à Semipelagianis detorquetur. 53. 2. Non indixit Epheſinum Generale Concilium. 90. 1. Quo anno mortuus. 182. 2.
Commonitorium Vincentii V. Vincentius Lirinenſis.
Communicatio Idiomatum in Chriſto, Theologis poſteà commonis, clarè traditur ab Auguſtino. 130. 2.
Competentes qui ſint, quotque antè baptiſmum diebus Symbolum ab Epiſcopo docerentur. 216. 2.
Concilia Generalia qualem additionem patiantur in ſuis dogmatibus. 110. 1. 117. 1. Undè habeant ſuam infallibilitatem. 130. 1.
Concupiſcentia eſt habitus vitioſus, & qualitas poſitiva ſecundum eſſentiam mala. 66. 1. & 67. 1. Non eſt naturæ proprietas, ſed vitium. ibid. Eſt tradux peccati originalis, ejuſque materiale. 70. 1.
Conſcientia erronea quarè peccatum importet. 163. & 164. 1. Habens conſcientiam erroneam non eſt in poteſtate proximâ ad vitandum peccatum. 173. 2.
Controverſiæ inter Monachos Scythas, & Victorem Diaconum Status qualis. 112. 1. 117. 2. 130. 1. 142. 2. 147. 2. quot annis viguerit. 113 2. Nil ſuper ea definitum ab Joanne Patriarcha C. P. 118. 1. Nec à Legatis ad Juſtinum Imperatorem miſſis. 116. 1. Qui nunquam examinarunt quæſtionem controverſam. 118. 1. Fuit pura puta Logomachia. 122. 1. 141. 1. Perſimilis contentioni de hypoſtaſis voce. 122. 1. Juſtiniani Imperatoris ad ſedandos motus hac de re excitatos ſollicitudo. 131. & ſeq. A Joanne II. jam tandem dirimitur. 133. 2.
Controverſia de Appellationibus inter Afros, & Romanam ſedem, undè cœperit 4. 2.
Cyclus Paſchalis Latinorum in quo differret à Cyclo Ægyptiorum. 228. 2.
S. Cyprianus ſuam de rebaptizandis hæreticis doctrinam à quo primùm hauſerit. 165. 2. Ipſius hac in re ignorantia erat vincibilis, non tamen culpabilis. ibid. Ordinariam ſolùm diligentiam adhibuit, ut eam evitaret 166. 1. Extraordinariam adhibere non tenebatur antè exortam cum Stephano Papa contentionem. ibid.
S. Cyrillus Alexandrinus Apollinarii hæreſis accuſatur. 138. 1. Ipſius propoſitio: *Una Natura Dei Verbi incarnata* duas in Chriſto Naturas exprimit. ibid. In ſenſu Cyrilli eſt catholica, in ſenſu verò Eutychianorum eſt hæretica. ibid.

D

DEus poteſt dici paſſus non exprimendo, ſed ſubintelligendo *Carne* 131 1.
Diocletianus quo anno cœperit Imperium 229. 1.
Dionyſius Exiguus Monachus Scytha laudatur 119. 1.
Dionyſius Petaviusè ſociet. Jeſu laudatur. 183. 1.
Dioſcorus alter ex Legatis C. P. in cauſa Monachorum ſcribit Hormiſdæ, ſe ab iiſdem accuſatum purgans. 119. 1. Ejuſdem epiſtolæ ſubſignatio mendoſa notatur. 118. 2. Invadit per ſchiſma Sedem Romanam. 148. 1. Moritur. ibid. Excommunicatur à Boniſacio II. ibid. Abſolvitur ab Agapeto, & quare. ibidem.
Donatiſtarum hæreſis qua regione ortum habuerit. 20. 2. Quot, & quæ Eccleſiæ Donatiſtas Epiſcopos haberent. ibid. Iidem in Collatione ab Orthodoxis victi ab Honorio Imperatore expelluntur. ibid.

E

ECcleſia aliquando damnavit propoſitiones in ſenſu ab auctore intento, abſque eo, quod falleretur. 139. 1.
Epheſina Synodus indicitur, inſcio Cœleſtino, à Theodoſio Imperatore. 90. 1.
S. Epiphanius quo anno fuerit ordinatus Patriarcha C. P. 124. 1. Quo anno mortuus, quiſve illi ſuffectus. 133. 2.
Epiſtola S. Felicis Papæ ad Petrum Fullonem eſt legitima. 107. 2.
Epiſtolæ Imperatorum quo nomine per antonomaſiam appellatæ. 53. 2. & 223. 2.
Epiſtola S. Leonis ad Flavianum ſpeciali approbatione inſignitur 106. 2.
Epiſtolæ Primatum Epiſcopos ad Synodos evocantes quomodò nuncupatæ. 223. 2.
Epiſtola, quæ circumfertur, Theodoſii ad Auguſtinum vocatur in dubium. 91. 1.
Euſtochium non nomen, ſed cognomen Filiæ Toxotii, & Paulæ. 26. 2.
Eutychetis error qui fuerit. 114. 2. Confutatur ex Theſi à Monachis Scythis ſtatutâ. ibid. Non docuit confuſionem Naturarum in Chriſto, 120. 2 & 138. 2.
Eutychiani quale haberent ſuæ hæreſis fundamentum. 138. Docent Chriſtum Divinitate paſſum 151. 1. Confutantur ex theſi Scytharum. 154. 1 Docent confuſionem naturarum in Chriſto. 138. 2.
Excomunicatio non poteſt ferri in demortuum. 148. 2. Fertur in hæreticos publicè judicatos. 150. 1.

F

FAuſtus Regiorum Epiſcopus Semipelagianorum Coriphæus 109. 2.
Ferrandus Carthaginenſis ſequitur Præſules in Sardiniâ exules. 129 2. Ibi fit monachus in Monaſterio Auguſtinianæ diſciplinæ à Fulgentio extructo. ibid. Conſulitur ab Anatolio R. E. Diacono ſuper Controverſiâ de Uno ex Trinitate. ibid. Doctrinæ famâ celebris à Carthaginenſi Epiſcopo Diaconus ordinatur. 130 1. Studet apprimè Auguſtino ibid. Docet Concilia Generalia habere ſuam infallibilitatem

Digitized by Google

tem à Romanâ Sede ibid. Quo anno reſcripſerit ad Anatolium 131. 2.
S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus os, & lingua Byzacenorum Præſulum in Sardiniâ relegatorum. 134. 2, quâ occaſione ſcripſerit volumen de Incarnatione, & Gratiâ ibid. Conſulitur à Ferrando Diacono de pluribus de Trinitate quæſtionibus. 127. & 129. 2. Scytharum Monachorum patrocinium ſuſcipit, & quare. 152. 2.

G

GAlli Epiſcopi plures Auguſtini de Gratiâ & Prædeſtinatione doctrinam impugnant. 159. 1 & 160. 1 Fuerunt Viri ſanctitate & doctrinâ præſtantes ibid. Eorum ignorantia de initio Fidei erat vincibilis, non tamen culpabilis. 163. 2.
Græci Epiſcopi ſolebant conſecrari etiam aliis extrà Dominicam diebus. 124. 1. 132. 2.
Gratia nomine quid intelligendum 140 1
Gratia inefficax, quam aliqui ſufficientem appellant, datur etiam in ſtatu naturæ reparatæ ab efficaci diſtincta. 83. 1. Quid illa ſit. 85. 1 89. 1. 1 3. 1 195. 1. 205 2. Non datur infidelibus ad hoc ut poſſint orare. 84. 2. Non eſt neceſſaria ad hoc ut tranſgreſſio legis imputetur ad culpam. 83. 1.
Gratia proximè ſufficiens quid ſit. 193. 2. 195. 1. Non ſemper adeſt cum inſtat præceptum. 195. 1. Orationibus impetranda. ibid Aliquando datur independenter ab oratione. 45. 1. Ejuſdem proxima ad orandum ſufficientia deſcribitur 199. & ſeq Eſt neceſſaria ad hoc ut habitus Fidei, ſpei, & Charitatis exeant in ſuos actus. 84 2. Hujus privatio in homine undè oriatur. 194. 2. 196 1.
Gratia divina neceſſaria eſt ad ſuperandam ignorantiam intellectûs, & voluntatis difficultatem. 187. 1.
Gratia illuminationis dat cognitionem præcepti; gratia inſpirationis dat deſiderium illius adimplendi 1.9. 1. Hujus gratiæ ambigua intelligentia Pelagio familiaris ad illudendum Eccleſiæ 140. 1. Auguſtini diſcipulorum de eadem gratiâ doctrina. 51. 1.

H

HAbitus Fidei, ſpei, & Charitatis debent excitari divinâ gratiâ ad hoc ut in ſuos actus exeant 84. 2.
Henoticum, ſeu Unitivum Zenonis Imperatoris decretum quo anno editum 107. 2. A Græcis tandem receptum, à Latinis uſque reprobatum 107. 2.
Henricus Noris la ſæ Pontificiæ poteſtatis inſimulatus. 137. 1. 144. 1. Defenditur 145. 1. Ejuſdem de Hiſtoria Pelagianâ liber ter apud ſupremæ Inquiſitionis tribunal in examen vocatus, ter à cenſura immunis. 177 1. Primus Eccleſiaſticæ Eruditionis Profeſſor in Piſanâ Academiâ 2a 2 Romanæ Inquiſitionis Qualificatoribus adnumeratur. 103 1. Inter ejuſdem Conſultores adlegitur. 157. 1. Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtos datur 103. 2. 177. 1. A Macedo laudatur. 89. 1. Item à Queſnello. 110. 2.
S. Hilarius Arelatenſis Caſſiani de gratiâ doctrinæ, adeoque Semipelagianis adhæſiſſe dicitur à probatiſſimis auctoribus. 34. 1. 160. 2. 164. 1.
Hormiſdas Pontifex Romanus ad Juſtinum Imperatorem Legatos mittit ad diſſidia Latinam inter, & Græcam Eccleſiam componenda. 109. 2. Accipit literas à Juſtiniano Juſtini Nepote adverſus Monachos Scythas. 117. 2. Ab iiſdem Monachis Romæ convenitur ſuper theſi. *De Una ex Trinitate* &c. 112. 2. Quam non approbat, & quarè. 141. 1. Nec unquam illam in examen vocavit. 137. 2. Non damnavit eoſdem Monachos, licèt illos perſtrinxerit. 125. 1. 149. 1. 127. 1. 129. 2. Ipſius ad Poſſeſſorem Epiſtola à Byzacenis Patribus eidem adjudicata, quo anno ſcripta. 116. 1. Non fuit Cathedrale reſponſum 137. 2 149. 1. Quo anno mortuus 151 1.
Hymni ſacri quando primùm, & à quo in Eccleſiâ Latinâ cantari cœperint. 216 1.
Hypoſtaſis nomen cauſa diſſidii Latinos inter, & Græcos. 122. 2. fuit pura Logomachia. ibid.

I

IGnorantia pœna peccati originalis. 187. 1. Alia vincibilis, alia invincibilis. 163. 1. Vincibilis alia eſt culpabilis, alia inculpata. ibid. & 187. 2. Occiſores Apoſtolorum laborabant ignorantiâ vincibili, & culpabili. 164. 2. 166 2 Ignorantia Cypriani hæreticos rebaptizantis erat etiam vincibilis, ſed inculpata 164. 1. Ignorantia invincibilis quæ 188. 2. Ipſius certi limites non poſſunt facilè deprehendi. 187. 1. Non eſt ſemper invincibilis, licèt humanis viribus vinci non poſſit. ibid 2 Ad eam evitandam duplex diligentia. 165. 1 Ad hoc ut dicatur invincibilis non ſufficit apparentia relata ad intellectum 166. 2. Non habet locum in Epiſcopis in ordine ad Canones ab Eccleſiâ ſtatutos. ibid.
Indifferentia libertatis non requiritur ad merendum, vel demerendum 42. 1.
Infidelitas negativa in iis, quibus non eſt prædicatum Evangelium, non eſt peccatum. 186. 2.
Infideles deſtituuntur gratiâ, quâ poſſint orare. 197. 2. Non tamen patiuntur antecedentem peccandi neceſſitatem. 206 1. & ſeq.
Infirmitas virium ad implenda mandata cognoſcitur ex ſolâ Lege ſinè aliqua gratia. 19. 2. Propriæ infirmitatis cognitio eſt neceſſaria cuique ad hoc ut proximè poſſit orare ibid. & ſeq.
Joannes II. excipit Epiſtolam cum inſigni Legatione, ab Imperatore Juſtiniano. 131. 2 Tres illi de Trinitate quæſtiones ab iiſdem Legatis proponuntur ſolvendæ ibid Eaſdem diutinas controverſas jam tandem definit. ibid in Synodo Romæ coactâ ratas habet. 133. 2. Laudat Auguſtinum, ipſiuſque ſententiis definitionem confirmat ibid. Damnat Acemetarum Legatos 114. 1. Ipſos etiam Monachos Acemetas Neſtorianæ hæreſeos damnat. 132. 2 Moritur. ibid.
S. Jo: Chryſoſtomos à Semipelagianiſmi notâ vindicatus. 179 2. & 180. 1.
Jo: Mabillon Benedictinus Congregationis S. Mauri in Galliâ laudatus 209 1.
Juſtis volentibus, & conantibus quomodò præcepta Dei ſint poſſibilia. 85. 2.
Juſtina Valentiniani Junioris Mater Arrianis favet. 216. 1. Ipſius in Ambroſium iræ ibid. Unà cum Filio pergit Theſſalonicam ad Theodoſium. 217. 1. quo anno obierit. ibid.
Juſtini Imperatoris genus, ejuſque in Catholicam religionem pietas. 109. 1. Annus ſuſcepti Imperii. ibid. Petit ab Hormiſdâ Pontifice Legatos ad Eccleſiæ res componendas. ibid. quos ſolemni pompâ excipit ibid.
Juſtinianus Juſtini Nepos, ac ſucceſſor initio Monachis Scythis contradicit 111 2. Scribit Hormiſdæ contrà eoſdem. 117. 2. Deindè operâ Vitaliani Magiſtri militum iiſdem favet. 121 2. Integro biennio interpellat Pontificem per literas, ut theſis de *Uno ex Trinitate* &c. definiatur. 126. 2. Quando imperium ſolus adminiſtraverit. 131. 2 Inſignem Legationem Joanni II deſtinat in cauſâ Monachorum. ibid. Tres quæſtiones eidem Pontifici ſolvendas proponit; quæque illæ ſint. 132 2. Ipſius ad eundem Joannem Epiſtola eſt legitima. 133. 1. Devictis Vandalis Africam recipit, & Siciliam invadit. 133 1. Refert in Codicem theſim Monachorum à Joanne jam definitam. ibid. laudatur 136. 1.

L

LEgati Acemetarum ad Joannem II. qui fuerint 114. 1. 132 1. ab eodem Pontifice damnantur. 114 1.
Legati C. P. ad Juſtinum Imperatorem qui ab Hormiſdâ miſſi fuerint 109. 2. qua de re ibid. quando pervenerint, quavè pompa excepti. ibid. Theſis de *Uno ex Trinitate* coram ipſis agitari cœpta. ibid. Quam tamen improbant non ut hæreticam, ſed ut novam. 110. 1. & 112. 2. Nunquam candem in examen adducunt 118. 1. Romam revertuntur. 126. 2
Legati à Juſtino Imperatore, & ab Epiphanio Patriarcha C. P. Romam ad Hormiſdam miſſi. 126. 2. Qui fuerint, quave de cauſa. ibid.

Lex

Lex ſola ſinè aliquâ gratiâ admonet de propria infirmitate ad ſervanda mandata. 119. 2. Eadem obligat, ipſiuſque tranſgreſſio imputatur ad culpam etiamſi nulla in tranſgrediente ſit gratia. 83. 1.

Libertas in individuo ſtat cum neceſſitate in ſpecie. 45. 1. Ejuſdem indifferentia non requiritur ad merendum, vel demerendum. 42. 1.

M

MAſſilienſes. V. Semipelagiani.

Maxentius Monachorum Scytharum Patronus. 112. 2. Fortè non fuit Monachus Scytha. 151. 2. Confutat Hormiſdæ epiſtolam ad Poſſeſſorem datam, injecto colore, quod fuerit alicujus hæretici patus 125. 2. 150. 1. Eundem Hormiſdam Neſtorianis, ac Pelagianis petulanter accenſet. 126. 1. Non fuit Eutychianus, ſed ad ſummum ſchiſmaticus dum Pontificis epiſtolam dicteriis excepit 152. 1. Fatetur, Romanum Pontificem nunquam in rebus Fidei à ſententiâ univerſalis Eccleſiæ deviare. ibid. Defendit Auguſtinianam de Gratiâ doctrinam adversùs Fauſtum Rejeoſem. 126. 1. & 153. 1.

Maximus Tyrannus Gratianum Valentiniani Junioris fratrem occidit. 216. 1. Ambroſium bis ab eodem Valentiniano ſibi Legatum miſſum, ac deinde Dominum excipit. 217. 1. In Italiam irrumpit, ipſumque Valentinianum ab imperio deturbat. ibid. Arrianis infenſus. ibid. Quo anno ipſius perſecutio contigerit. ibid. A Theodoſio Imperatore necatur. 217. 2. Quo anno mortuus. 230. 2.

Menna conſtituitur Patriarcha C. P. ab Agapeto, pulſo Anthimo Eutychiano. 133. 2. Mortuo Agapeto celebrat Synodū, in qua damnat Acephalos. 134. 2.

Monachi, ſi nulli eſſent ordini initiati, Laici dicebantur. 220. 1. & 2.

Monachi Acemetæ: V. Acemetæ.

Monachi Benedictini: V. Benedictini.

Monachi Scythæ: V. Scythæ.

S. Monica S. P. Auguſtini Mater quo anno, & qua die obierit. 230. 1. Variæ referuntur, & refelluntur de eadem auctorum ſententiæ. ibid.

N

NAtalis Alexander Ordinis F. Præd. laudatus. 177. 1.

Neophiti totâ Paſchali hebdomade ſacris intereſſe debebant. 213. 2.

Neſtorius quem habuerit Magiſtrum. 106. 1. Ejuſdem impia doctrina. 113. & 114. 2. Confutatur ex theſi Scytharum. ibid. 118. 1. 120. 2. 121. 1. 123. 2. 131. 2. Virulenta ipſius dogmata quis primus damnaverit. 114. 2. Etiam à Synodo V. damnantur. 135. 2. Dolus ab eodem adhibitus ad confitendam unam in Chriſto Perſonam. 122. 2.

Noris: V. Henricus Noris.

O

OPinio probabilis quæ ſit. 186. 1. ipſius probabilitas duplex. ibid.

Opus omne, quod fit ſinè lumine Fidei, & impulſu gratiæ peccatum eſt. 40. 1.

Opus omne, quod *non eſt ex Fide, peccatum eſt*, quomodo ſit intelligendum, elucidatur ex Patribus. 41. 2.

Oratio fervens fit per gratiam ab intrinſeco efficacem, ſeu Auxilium *quo*. 202. 2. Eadem ad hoc ut reapſe gratiam impetret adimplendo præcepto neceſſariam, tria requirit 199. 1. & 201. 1.

Ordinari in Presbyteros, inſtante neceſſitate, ſolebant etiam inviti. 220. 1. Plura hac de re adducuntur exempla. ibid. Has ordinationes Eccleſia prohibuit. ibid.

P

PAlatinum officium quale. 117. 2. 126. 2.

Particula *De* quid ſignificet in propoſitione: *Unus de Trinitate* &c. 120. 2.

Paſcha antè S. Leonis Magni Pontificatum non exceſſit diem 23. Aprilis. 228. 1. Anno 387. in Eccleſiâ Mediolanenſi fuit celebratum more Ægyptiorum. 229. 1.

Paſchalis Latinorum Cyclus in quo differret à Cyclo Ægyptiorum. 228. 2.

Peccati definitio ab Auguſtino tradita lib. de duabus. Ani: c. 11. non competit omnibus peccatis. 42. 1. 80. 1. Non datur peccatum ubi non datur Legis tranſgreſſio. 169. 2. & ſeq.

Peccatum eſt omne opus, quod fit ſine lumine Fidei, & impulſu gratiæ. 40. 1. *Omne, quod non eſt ex Fide, peccatum eſt*, quomodo ſit intelligendum elucidatur ex Patribus. 41. 2.

Peccatum originale eſt cauſa reprobationis, & quomodo. 205. 1. Ipſius tradux, & materiale eſt concupiſcentia. 70. 2.

Pelagius æquivocarum propoſitionum architectus. 139. 2. Hac arte illuſit Synodo Paleſtinæ, & ipſi penè Auguſtino. ibid. & 140. Id præſtitit ambiguâ gratiæ intelligentiâ. ibid. Quid nomine gratiæ intelligeret. ibid. Ejus doctrina pluribus in Galliâ Epiſcopis familiaris. 160. 1. Aquilejenſem quoque Diœceſim infecit. 21. 1.

Pelagiani tenebant, nulla opera eſſe æternæ Vitæ meritoria ſinè gratiâ juſtificante. 39. 1. & 40. 1. Excludebant pueros non baptizatos à Regno Cœleſti, eo quia gratiam adoptionis non haberent. ibid.

Perſeverantia alia temporaria, alia finalis. 203. 1. Homo in ſtatu naturæ reparatæ non eſt proximè potens ad perſeverandum. ibid. 2.

Perſonæ nomen in divinis quando, & qua occaſione à Patribus uſurpari cœptum. 122. 1.

S. Petrus tentatione pulſatus de ſuis viribus præſumpſit. 202. 1. idcircò non erat proximè potens ad orandum. ibid.

Petrus Fullo Eutychianus Antiochenæ ſedis invaſor. 107. 1. Docet, Divinitatem in ſeipsâ paſſam. ibid & 123. 1. Ex Epiſcopali cathedrâ dejicitur, eamque iterum Henotici ſubſcriptione recuperat. 107. 2.

Pontifex Romanus quid juris habeat quà Epiſcopus, quà Metropolita, quà Primas, quà Patriarcha, quà Papa. 93. 1. Quando loquatur ex Cathedrâ. 137. 2. Ejuſdem auctoritas in controverſiis de Fide definiendis 117. 2. 130. 1. & in libris proſcribendis. 174. 2.

S. Poſſidius Calamenſis Epiſcopus Auguſtinianæ diſciplinæ Monachus quarè non interfuerit Synodo Africanæ in causâ de Appellationibus habitæ. 15. 2. qua de causâ & quo anno in Italiam navigaverit. 30. 1.

Potentia remota, & proxima ad implenda mandata, quæ ſint. 193. 1. Remota ſufficit ad hoc, ut tranſgreſſor Legis fiat reus peccati. ibid. proxima ad orandum non ineſt iis, qui obicem ponunt propriam infirmitatem non cognoſcendo, vel ex conſcientiâ erroneâ operando. 193. 2. 201. 2. Eadem proxima ad perſeverandum finaliter non ineſt hominibus poſt Adæ peccatum. ibid. eâ privantur propter originale peccatum. 204. 2. & ſeq.

Præcepta Dei quomodo ſint poſſibilia juſtis volentibus, & conantibus. 85. 2. quo ſenſu damnetur prima ex quinque famoſis propoſitionibus. ibid. Non dicuntur impoſſibilia quamvis humanis viribus adimpleri non poſſint. 187. 2.

Prædeſtinatiani hæretici nulli fuere. 180. 1.

Presbyteri, inſtante neceſſitate, ordinabantur etiam inviti. 220. 1. plura hac de re afferuntur exempla. ibid. id tamen Eccleſia prohibuit. ibid.

Probabilitas duplex. 186. 1.

S. Proclus Patriarcha C. P. primus auctor propoſitionis: *Unus è Trinitate eſt incarnatus, & paſſus*. 105. 1. qua occaſione illam excogitarit. ibid. 112. 2.

Propoſitio: *Unus è Trinitate eſt incarnatus, & paſſus* à quo primum fuerit pronuntiata, quave occaſione. 105. 1. 112. 2. Ejuſdem ſenſus Catholicus quoad utramque partem 106. 1. Fuit in causâ, ut Eutychianus audiret, qui eandem contrà Neſtorianos exponebat, & Neſtorianus haberetur, qui contrà Eutychianos illam propugnabat. 108. 1. Anaſtaſius Imperator eam dolo malo corrumpit. ibid. Fit cauſa diſſidii inter Monachos Scythas, & Victorem Diaconum. 110. 1. Per decem annos fuit adiaphora. 129. 1 quot annis Catholicos excruciaverit. 113. 2. A Petro Fullone Eutychiano ſenſu expoſita

à Felice III. reiicitur. 107.2. Singula ipſius verba examinantur, & ſenſus Catholicus ab hæretico diſcriminatur. 120. 1. & ſeq. Neſtorianos opprimit. 121. 1. Ab Joanne II. definitur, atque Auguſtini ſententiis confirmatur. 132. 1. Inſeritur à Juſtiniano Imperatore hymno ab ſe compoſito. 133. 1. Ejuſdem definitio confirmatur à Vigilio. 135. item à Synodo V. ibid. à Lateranenſi ſub Martino Papa, & Mart. 136. 2. transfertur in Codicem ab eodem Juſtiniano. 133. 1.

S

S. Sabas qua arte duos Monachos deprehenderit Neſtorianos. 112. 2.

Sacerdotii, ac Sacerdotis nomine aliquando Epiſcopus, & Epiſcopatus deſignabantur. 182. 2.

Scythæ Monachi decertant cũ Victore Diacono ſuper Theſi: *De Uno ex Trinitate* &c. 110. 1. Juſtiniano Imperatori primùm inſenſi, poſteà operâ Vitaliani Magiſtri militum eum eodem conciliantur. 111. 2. Eorundem theſis non improbatur à Legatis quia hæretica, ſed quia nova. 112. 1. Romam clam pergunt cauſam Pontifici delaturi. ibid. Arrianæ hæreſis ab adverſariis inſimulantur. 123. 1. Eutychianis deputantur à Baronio, & Bellarmino. 142. 2. Defenduntur à Vaſquez, Petavio &c. 111. 1. 114. 2. 117. 1. 121. 1. 143. 1. 151. 1. 154. 1. Eorundem theſis in Patriarchatu Antiocheno, & Hieroſolymitano libello profeſſionis Fidei inſerta. 124. 1. 127. 1. Per quatuordecim menſes Romæ morantur, quo tempore communicant cum Hormiſdâ. 149. 1. Fugam Româ meditantes ab eodem Pontifice in liberâ cuſtodiâ detineri jubentur. 124. 1. Mittunt Legatos cum Epiſtola ad Præſules Byzacenos in Sardinia relegatos. ibid. Ipſorum Fides ab iiſdem Præſulibus laudatur ibid. Româ clam ſecedunt factâ ad Imperatorum Statuas proteſtatione. 125. 1. Ab Hormiſdâ perſtringuntur. 125. 2. 149. 1. Non tamen dicuntur hæretici, ſed contentioſi 127. 2. 129. 1. Non fuerunt rei, ſed actores contrà Epiſcopos ſuæ Provinciæ. 146. 1. Item coràm Patriarchâ C. P. non ſteterunt tanquam rei, ſed tamquam actores contrà Victorem Diaconum ibid. Non fuerunt ab ipſo damnati. 147. 1. Nec à Legatis Hormiſdæ. ibid. Nec ab eodemet Hormiſdâ. 149. 1. Supremum controverſiarum judicem Romanum Pontificem agnoſcunt. 152. 1. Propugnant Auguſtinianam de divinâ Gratiâ doctrinam. 152. & 153. 1.

Semipelagiani etiam Maſſilienſes dicti, & quare. 184. 1. Ipſorum de gratiâ doctrina quæ fuerit. 51. 1. Non fuerunt à Cœleſtino damnati. 52. 1. 167. 2. S. Auguſtini de Prædeſtinatione ſententiam tanquàm novum dogma reiiciebant. 52. 1. de quo à Cœleſtino redarguuntur. ibid. quomodò ejuſdem Epiſtolam S. Auguſtini de gratiâ elucubrationes commendantem detorſerint. 53. 2. dum Auguſtini doctrinam impugnabant, non erant hæretici. 54. 1. qua ratione ab objecto Pelagiano dogmate ſe defenderent. ibid. Omnes bonos virtutum actus gratiæ divinæ deputabant. 161. 2. Initium Fidei ex nobis eſſe dicebant. ibid. & 166. 2. hæc opinio ante Synodum Arauſicanam II. erat quæſtionis, non dogmatis. 161. 2. 163. 2. & ſeq. adeoque ipſorum ſanctitas cum hoc errore conſtabat. 162. 1. Gratiam prævenientem, & inchoantem negabant. 181. 1. Eorundem de initio Fidei opinio per centum annos fuit adiaphora. 167. quo anno damnata fuerit ibid. Eorum hac de re ignorantia fuit vincibilis, ſed inculpata 163. 1. 187. 2. Ipſorum error undè primùm cœperit. 182. 2. Latiùs ex Maſſilienſi urbe per Galliam extenditur. 183. 1. In eodem errore fuit etiam Auguſtinus uſque ad Epiſcopatûs initia. 164. 1. & ſeq. quâ ratione victus illum abiecerit ibid. Iidem cogunt Synodum adversùs Synodum Arauſicanam, 183. 1. quam tandem recipiunt. ibid. Quis fuerit eorum anteſignanus. 190. 2.

Severiani hæretici qui fuerint, quid docerent, & à quo ortum duxerint. 108. 2.

Subſiſtentia antè Auguſtinum abſolutè, & pro ſubſtantiâ accepta. 122. 2. Quando relativè in Eccleſia uſurpari cœpit. ibid.

T

THeodorus Mopſueſtenus decem millium voluminum auctar. 106. 1. Magiſter Neſtorii. ibid. Ipſius Perſona, & ſcripta in proprio auctoris ſenſu damnantur à Synodo V, 139. 1.

Theodoſius ſenior ab Juſtinâ, & Valentiniano convenitur, ſuam opem adverſus Maximum Tyrannum implorantibus. 217. 1. Copias contrà eundem Maximum dirigit, eumque interficit. ibid. quo anno id acciderit. 230. 2.

Theodoſius Junior peculiari ſacrâ Auguſtinũ ad Epheſinum Concilium invitat. 223. 2. & ſeq. Ipſius ad Auguſtinum epiſtola, quæ circumfertur, vocatur in dubium. 91. 1. Ejuſdem literæ Orientales Epiſcopos ad eandem Synodum evocantes, quo die, menſe, & anno datæ. 224. 1. Auguſtini mors quando à Capreolo fuerit eidem renunciata. 225. 1.

Timor purè ſervilis, nullâ charitate permixtus, licèt bonus, non tamen excludit voluntatem peccandi. 78. 1.

Trifolius Presbyter contendit, Chriſtum non poſſe dici *Unum de Trinitate.* 113. 2. Ipſius argumentum exſufflatur. ibid. alia ejuſdem argumenta ſolvuntur. 119. 2. & ſeq.

SS. Trinitatis Perſonæ non ſunt aliud, atque aliud; ſed alius, atque alius. 121. 1. Perſonæ nomen in Trinitate quando cœperit uſurpari, & qua occaſione. 123. 1.

V

VAlentinianus Junior quo anno imperium fuerit adeptus 216. 1. Impellente Juſtinâ Matre favet Arrianis ibid. bis mittit Ambroſium Treviros ad Maximum Tyrannum. 217. 1. Ejuſdem Maximi in Italiam adventu territus Theſſalonicam Theodoſii opem imploraturus pergit. ibid. Ab eodem reſtituitur imperio. ibid. quo anno mortuus. 218. 1.

Verbum Divinum aliâ ratione dicitur incarnatus, & aliâ ratione dicitur paſſus. 116. 1.

S. Vincentius Lirinenſis auctor obiectionum Vincentianarum. 53. 1. 159. 1. quo tempore eas ſcripſerit. ibid. & 157. 2. adhæſit ſemipelagianis. ibid. A quo ſuam de gratiâ doctrinam hauſerit. 52. 2. Ejus Commonitorium laudatur. 173. 1. & ſeq. Ipſius opinio de Auguſtinianâ de gratiâ, & Prædeſtinatione doctrinâ. ibid. Recenſentur auctores Semipelagianis eundem accenſentes. 175. 2. & ſeq. Blondelli Calviniſtæ argumentum ipſius ſanctitatem impetens ſolvitur. 178. 1. Variæ referuntur de ejuſdem Commonitorio ſententiæ. 179. 2. & ſeq.

Vitalianus Juſtini Imperatoris militum Magiſter de re catholicâ contrà Anaſtaſium Imperatorem optimè meritus. 111. 2. Monachos Scythas Juſtiniano conciliat. ibid. eoſdem ſæpè hoſpitio recipit. 112. 1.

Vitalis Apollinariſtarum Epiſcopi profeſſio Fidei modò approbatur, modò reprobatur, & quarè. 139. 2.

Unum quandoque deſignat numerum, quandoque numerum excludit. 120. 1. 128. 2. Vox *Unus* in propoſitione: *De Uno ex Trinitate* &c. quomodò intelligenda 120. 2. ſi ſumatur eſſentialiter, propoſitio eſt hæretica; ſi perſonaliter, eſt Catholica. 139. 1.

Z

ZEno Imperator credidit Chriſtum eſſe *Unum de Trinitate* 108. 1. edidit Henoticum cum hac inſertâ propoſitione. 107. 2. Quo anno illud emiſerit. ibid. Tale edictum à Græcis tandem recipitur; ſed à Latinis ſemper reprobatur, & quare ibid.

F I N I S.

Inſcriptiones duæ ex Grutero pag. 33. col. 1. & 2. ſic debent exponi.

Col. 1. n. 13.

RELIGIOSISSIMOQUE
C. CEIONIO RUFO. VOLUSIANO. V. C.
CORR. ITALIAE. PER ANNOS OCTO.
PROCONSULI AFRICAE.
COMITI. DOMINI. NOSTRI.
CONSTANTINI. INVICTI.
ET PERPETUI. SEMPER. AUGUSTI.
PRAEFECTO. URBI. JUDICI. SACRARUM.
COGNITIONUM. CONSULI.

Col. 2. n. 28.

CEIONIUS. RUFIUS VOLUSI
ANUS. V. C. ET INLUSTRIS.
EX. VICARIO. ASIAE. ET CEIO
NI. RUFI. VOLUSIANI. V. C.
ET. INLUSTRIS. EX PREFECTO. PRE
TORIO ET. EX. PREFECTO URBIS.
ET. CECINE. LOLLIANE. CLARISSI
ME. ET INLUSTRIS. FEMINE.
DEE. ISIDIS. SACERDOTIS. FILIUS.
ITERATO. EX. VIGINTI ANNIS. EX. PERCEP
TIS. TAUROBOLIIS. VI. ARAM. CONSTITUIT.
ET CONSECRAVIT. VI. KAL. JUN. D. N. VALEN
TINIANO. AUG. & NEOTERICO. CONS.

ERRATA	*CORRIGE*
Pag. 27. col. 2. lin. 22. illa	lege ille
Pag. 28. col. 1. lin. 2. facere	Jacere
Pag. 29. col. 2. lin. 65. exeuntè	exeunt è
Pag. 41. col. 2. lin. 36. Tuam	Tutam
Pag. 46. col. 1. lin. 25. libripendit	libripendis
Pag. 50. col. 2. lin. 30. faceret	facere
Pag. 52. col. 1. lin. 44. ſcit, ſinècereque	ſcitè ſincereque
Pag. 55. col. 1. lin. 19. cum,	cum y
Pag. 56. col. 2. lin. 7. mirum	mimum
Pag. 61. col. 2. lin. 43. reſpondet	reſpondent
Pag. 67. col. 2. lin. 24. eſſe	eſſet
Pag. 76. col. 1. lin. 57. cumque	cum quæ
Ibid. col. 2. lin. 53. Auguſtinus	Auguſtinum
Pag. 94. col. 2. lin. 53. tua	tuam
Pag. 106. col. 1. lin. 3. facerent	fecerant
Pag. 117. col. 1. lin. 5. diceret	dicerent
Ibid. col. 2. lin. 54. ſuſpiciendum	ſuſcipiendum
Pag. 153. col. 1. lin. 57. Hic	Hi
Pag. 154. col. 2. lin. 45. fuiſſet	fuiſſent
Pag. 155. col. 2. lin. 36. habetare	hebetare
Pag. 176. col. 1. lin. 60. ipſo	ipſos
Pag. 177. col. 2. lin. 69. res	tres
Pag. 186. col. 1. lin. 1. judicetis	judiceris
Pag. 191. col. 2. lin. ult. imponat.	imponant
Pag. 203. col. 2. lin. 9. Quodam	Quod tam
Pag. 214. col. 2. lin. 36. icto	ictu
Pag. 219. col. 1. lin. 12. ſium	cum
Pag. 220. col. 1. lin. ult. ullo ordine	ulli ordini

Digitized by Google